

**Cicero medicus, h. e., Selectos e M.T. Ciceronis operibus locos : vel omnino medicos, vel facillime ad res disciplinasque medicas transferendos / in literarum medicarum cultorum vsum congegessit, indice locupletissimo instruxit et praefatus est Adamus Michael Birkholz.**

### **Contributors**

Cicero, Marcus Tullius.  
Kobert, Rudolf, 1854-1918  
Francis A. Countway Library of Medicine

### **Publication/Creation**

Lipsiae : Apud Augustum Bauerum, 1812.

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/kn2g4ktb>


### **License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by the Francis A. Countway Library of Medicine, through the Medical Heritage Library. The original may be consulted at the Francis A. Countway Library of Medicine, Harvard Medical School. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome  
collection**

Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>




J. M. J. Couradi.  
1872.

HARVARD  
MEDICAL LIBRARY



IN THE  
Francis A. Countway  
Library of Medicine  
BOSTON

M 10366



Prof. Dr. R. Kober  
Rostock i. M.

# CICERO MEDICUS.

---

H. E.

S E L E C T O S

•

M. T. CICERONIS

OPERIBUS LOCOS,

VEL OMNINO MEDICOS, VEL FACILLIME

A D R E S

DISCIPLINASQUE MEDICAS TRANSFE-  
RENDOS,

IN LITERARUM MEDICARUM CULTORUM

VSUM CONGESSIT,

INDICE LOCUPLETISSIMO INSTRUXIT

ET PRAEFATUS EST

ADAMUS MICHAEL BIRKHOLZ

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE DOCTOR, FACULTATIS MEDICAE  
LIPSIENSIS SENIOR, COLLEGII PRINCIPUM MAIORIS COLLE-  
GII ET SOCIETATIS OECONOMICAE SOCIUS  
HONORARIUS

Prof. R. Kober

Geh. Med.-Rat.

Rostock

---

EDIT. NOVA VILIOR. PRET.

---

L I P S I A E,

APUD AUGUSTUM BAUERUM.

MDCCCXII.

(Const. 1 Thlr. 8 Gr.)



ERASMUS

· Artes extenuantibus et dicentibus: *non opus esse facundia, facundissime respondit: nec opus est barbarismis et soloecismis.*

---

MEDICARVM LITERARVM STVDIOSIS

S. D.

ADAMVS MICHAEL BIRKHOLZ.

---

Non longa quanquam apud Vos nobis neque suscepti laboris excusatione, neque capti consilii significatione, opus esse videbatur; vtrumque enim vel ex ipso ipsius opusculi indice, vulgo titulum vocant, elucet; verum quaedam tamen erant, quae taciti praeterire noluimus, quaeque vt praefatiunculae loco Vobiscum communicarem, nec alienum ab hoc loco et consilio, nec inutile existimaui. Scilicet vi muneris nostri, quo in huius literariae Vniuersitatis Facultate medica per hos viginti quinque annos fungimur, saepius intelleximus, in examinibus et colloquiis cum artis medicae Studiosis et Candidatis

super rebus medicis, tum quod ad theoriam, tum quod ad praxin, latine quidem instituendis, tarditatis in respondendo, imo ipsius taciturnitatis causam non tam semper in ipsa rerum ignorantia, quam in vnius linguae latinae inscientia potius, indeque nata in respondendo anxietate atque timiditate, saepe esse quaerendam. Haud raro enim iuuenes, vel ex officinis pharmaceuticis, vel ex tabernis chirurgicis, vel e disciplina quoque medico-chirurgica militari, vel denique alio vitae genere quodam antea mutato, ad scholas demum medicas accedunt, et praeter prima rudimenta latinae linguae ita parum secum adferunt, vt aliis sese erudiendos in hac ipsa lingua tradere adhuc debeant. Et hi quidem certe non habebunt, quo meliore duce, quam libello hoc nostro, Magistri alicuius ope legendo atque explicando, vti possint, ex quo statim cum Cicerone, latini sermonis principe, de rebus medicis latine cogitare, scribere et colloqui discant. Ipsorum vero quoque illorum Studiosorum, quibus quidem aliud antea vitae genus non mutandum erat, sed qui protinus e scholis ad nos, medicinae addiscendae causa, aduolarunt, haud pauci sane sunt, qui vel priuata minusque diligenti institu-

tione, nimis illa saepe cursoria atque ieiuna, vsi, vel in scholis minus bene constitutis festinabundi versati, siue ipsi sua, siue praeceptorum quoque suorum culpa, diligentio-rem purioris linguae latinae cultum neglexerunt; cuius quidem tam pudendae negligentiae suae poenas per omne studiorum, imo per omne saepe vitae tempus, dare solent acerbissimas. Contra ea cum ex nostra, tum ex aliorum quoque experientia edocti non sine magna semper voluptate cognouimus, qui in nostram Musarum sedem literarum medicarum studiosi e scholis publicis bene institutis, inprimis tribus illis Electoralibus Saxonis \*) aduenerint, quam felicitatem et nobis per integrum sexennium in schola Electorali Grimae, *Krebsio* in-

---

\*) Quae *Saxoniae bona* carminis parte posteriore Lipsiae d. XXVIII. Febr. MDCCLXV. 4. v. 14—29. eccinit Vir Cl. I. G. ECCIVS, Poës. Professor:

Nec minus, vt parcam plures laudare minores,  
 Eminent ante alias celebris trias illa scholarum,  
 Quae tria non falso cimelia dixeris esse.  
 Quod si forte tibi sit filius indole praestans,  
 Vel frater, vel, cui sit res angusta, propinquus,  
 Qui tamen inuicto in Musas ardore feratur:

primis et *Opitio* tum Magistris, florente, cui Deus semper fauceat! contigisse, laeti semper gratique recordamur, eos plerumque egregiam nobis probasse latine et scribendi et colloquendi facultatem suam atque facilitatem, coniunctam eam cum rerum medicarum quoque copia, ita, vt non sine laude atque congratulatione a nobis e tentaminibus atque colloquiis dimitterentur. Videtur enim linguarum doctorum studium iuuenum studiosorum ingenia ita acere et intellectum ita praeparare, vt, quo quis ab eo sit magis instructus exornatusque, hoc fere melius et promptius capiat atque intelligat res ipsas medicas atque disciplinas, hocque vere magis cum fructu

---

*Porta en! alma patet, patet incluta GRIMMA, Misena,*  
 In quibus et pietas, et fraudis nescia virtus,  
 Qua sit cuique homini ratione paranda, docetur,  
 Doctrinaeque bonae cum multis artibus acri  
 Traduntur pueris studio, curaque fideli,  
 Cum disciplinae quadam grauitate salubri,  
 Vt ne consuescat sensim studiosa iuuentus  
 Haecce suis stulte postponere seria ludis,  
 (Qui mos heu! nimium culpabilis incipit esse  
 Peruersi saeculi) sed discere lege seuera.

medicorum scholis, latine certe habendis, interesse possit; contra vero ea supinus iste veterum linguarum neglectus atque contemptus, nescio quam parere soleat ingenii atque intellectus stupiditatem.

Audiamus hic alterum, post *Camerarium* illum, communem Germaniae praeceptorem atque Doctorem, quo et nobis contigit uti Magistro et perhonorifico scripturularum nostrarum iudice, IOANNEM AUGUSTUM ERNESTI, τὸν πάλιν, qui in *Progr. quo ad memoriam emendatorum per Lutherum sacrorum celebrandam inuitat prid. Kalend. Nouembr. CIOIOCLXXVI. 4. p. x.* narrare audiuit b. *Wernsdorsium* de Bergero illo, *ICTo Vitembergensi*, dicere solito: qui scientiam linguae latinae et graecae in *Academiam* attulerit, is, ad quodcunque genus se doctrinae contulerit, in eo bene proficiet et bene doctus ex *Academia* discedet: qui earum rudis venerit, is nihil efficiet (*der wird sein Lebetage ein Stümper bleiben*). Quem turpem doctarum linguarum neglectum, dici vix potest, quam hodie alant atque foueant rerum medicarum scriptores, ipsique, prohi dolor! publici in literariis Vniuersitatibus professores; dum, conscribendo et docendo res doctas, indocta vtuntur lingua sua vernacula, adeoque, siue

hoc negligentiae, siue imperitiae fiat culpa, lectoribus suis auditoribusque pessimo esse solent exemplo. Scilicet, quidni ingenui confiteamur, dantur in literarum Vniuersitatibus, non inuitis quidem patronis suis atque commendatoribus, inuita tamen Minerua, facti professores, qui bonas quidem literas satis male profitentur, et sapere tamen dum sibi soli saepe videntur atque aliorum, quae falso putant, vitia corrigere audent, ipsi, turpiter lapsi, inscitiam stulte produnt suam. Sic nuperrime nobismetipsis accidere meminimus, vt talis paulo arrogantior professor quidam nos publice reprehenderet, quod non, vti tamen vulgo, *physionomia*, sed, pro lubitu, *physiognomoniam*, scripsissemus. Scilicet si tacuisses! —

Et crebra sunt hodie in multorum professorum libris vitia etymologica, repetenda ea ex vnius graecae linguae ignorantia: v. c. *Atropa* (*Atropos*), *anorgicum*, (*anorganicum*), *athmosphaera*, (*atmosphaera*), *empyricus*, (*empiricus*), *gypsum*, (*gypsum*), *Hippocrates*, (*Hippocrates*), *oximel*, (*oxymel*), *oxigenium*, (*oxigenium*), *phagadenica*, (*phagedaenica*), *rachitis*, (*rachitis*), *stoechyometria*, (*stoechiometria*), *stratagema*, (*strategema*), *ichthyophthalmus*, (*ichthyophthalmus*), et

sexcenta alia, quae commemorare pudet, quaeque ab alumno quartano Grimano vix committebantur, commissa vero certe non impunita ferebantur. Neque vero est, quod nobis vnus et item alter hinc reclamet, illinc insusurret: quid vero tandem medico practico opus est accurata linguae latinae cognitione? Iam satis est, si formulas saltem medicas scribere, legere atque intelligere potest; neque morbi hominis eloquentia, sed artis remediis persanantur. — Nimirum, si medicum practicum putas eum, qui ab vna caeca methodo sua et ab vnis formulis pendet medicis; quanquam ne has quidem sine graecae latinaeque linguae cognitione aliqua, recte legere atque scribere potest, et pharmacopoeo, hactenus intelligentiori, haud raro deridendum sese propinat; aut quoque eum, qui in curandis morbis semel iterumque bono suo genio potius, quam ingenio bono suo, adiuuatur; aut denique purum putum empiricum, quem ne a circumforaneo quidem et seplasiario, nec ab aniculis veneficis distingui velis \*). — Accedit et

---

\*) Quod medicorum practicorum *vulgus* notauit *van SWIETEN* commentar. in H. Boerhaaue aphor. de



nobis peccatum esse putabimus, quam si parum. Quorsum vero tandem omnis hic qualiscunque noster labor spectat? Nempe eo, ut, in tanta hodie paucitate scriptorum latinorum de rebus medicis probabili-  
 lium, qui, ut I. F. FISCHERI, Viri graecae latineque peritissimi, iudicio utar verissimo: „verba ita struunt,  
 „eamque orationis formam in libris suis adhibent, ut  
 „vernaculum inde ingenium, non latinum, agnoscere  
 „statim possis, ita, ut nemo, qui lectione veterum  
 „scriptorum assuetus sit, eorum scripta unquam, nisi  
 „inuitus, attingat;“ tirones medici, quorum imprimis commoditati utilitati-  
 que consultum volumus, adiecto rerum et verborum indice locupletissimo, opusculo hoc Ciceroniano, tanquam enchiridio, commode possint uti, quod diligenter consulant et assidua lectione fere ediscant, undeque, tanquam e promo con-  
 quodam, rerum atque verborum, imo vero integra-  
 rum dicendi formarum ac sententiarum praestantissimarum copiam promant, et ita, quum velint ipsi de rebus medicis pure atque eleganter, rarissimo certe hodie exemplo, disserere, colloqui atque scribere, habeant, ad quod se, velut ad exemplar, referant, quod exprimant et imitentur, omninoque, ut


verbo dicam, in latine colloquendo scribendoque, dici  
 vere haberique possint *Medici Ciceroniani*. Neque  
 vero minus hac in re tueri voluimus antiquam fa-  
 mam atque gloriam, vti omnino nostrae literariae  
 Vniuersitatis, ita inprimis Ordinis in eadem Medico-  
 rum, qui de latinae linguae studio praeclare semper  
 meruit; cuius rei testem facio vti grauissimum ma-  
 ximeque honorificum, ita quoque intelligentissimum  
 Virum S. V. ERNESTI, qui loco laudato p. XI. et  
 XII. ita magnifice de Medicis iudicat: „Est haec laus  
 „medici ordinis, quod in eo permulti fuere, qui lin-  
 „guam latinam adeo praeclare callerent, vt etiam in  
 „scribendo se praeclaros Ciceronis imitatores prae-  
 „starent. Quid enim elegantius oratione *Fracastorii*  
 „et *Fernelii*, quem cum legere coepi, Ciceronis  
 „librum aliquem mihi legere visus sum, vt alios ta-  
 „ceam. Et (in praef. ad Initia doctrinae solidioris)  
 „si alios medicos auersere, *Fracastorium* tamen, *Fer-*  
 „*nelium*, *Bergerum*, *Platnerum*, et si qui sunt his  
 „similes, in deliciis habeas. Horum igitur talium  
 „virorum exemplum imitamini, si et ad scientiam  
 „doctrinae vestrae praeclaram et gloriam nominis  
 „peruenire cupiatis.“ Quam Summi illius Viri com-

mendationem cohortationemque maximae ut apud me, ita et, sperauerim, apud Vos, auctoritatis, meam quoque ad Vos facio. Huius enim consilii ut Vestrum quisque erit studiosissimus, ita maxime rationibus suis est consulturus. Enimuero cum Quinctiliano mihi persuasum est, eum iam multum profecisse, cui Cicero valde placeat. Quodsi itaque intellexero, quum Vobis tradiderim *Ciceronem Medicum*, (usus, ut hoc in transitu dicam, editione Verburgii Amsteld. MDCCXXIV. Voll. III. 4.) Vestrisque commodis ita consuluerim, ita tempori et sumptibus percerim Vestris, ut omnem iam Ciceronem, quatenus ad Vos Vestraque literarum studia proxime spectat, praetermissis omnibus ad Vos propius non pertinentibus, ad manus semper, tanquam *enchiridion medicum*, et in deliciis habere et diurna nocturnaue versare manu possitis, hoc quaecumque Vobis inseruendi studium meum, non plane Vobis displicuisse, imo vero hac re potius id perfecisse me, ut laudatus pristinus purioris elegantiorisque latinae linguae amor atque cultus, iam, eheu! apud Vestrum quamplurimos neglectus fereque extinctus, denuo refocillaretur atque instauraretur, ita, ut in posterum

praelectionibus et dissertationibus publicis atque colloquiis maiori cum fructu atque laude interesse possitis; habebo certe, de quo impense laeter mihi vehementer gratuler et cur aliorum in me odium Vatinianum et nescio quam aeternam malevolentiam atque iniuriam, qua omnibus semper velis remisque contendunt atque impediunt, quo minus et ego, quamuis dignissimus, publico aliquo munere suffultus, Vobis in maiorem magisque peculiarem modum utilis esse possim, susque deque habeam et generoso despiciam animo. Cum SENECA vero *aequo animo audienda sunt imperitorum conuitia et ad honesta videnti contemnendus est ipse contemptus.* Scr. Lipsiae in ipso mercatu vernali A. C. MDCCCXV.

---

CICERO MEDICUS.



---

Rhetor. ad C. Herenn. II, 5. Si tumore et liuore decoloratum est corpus mortui, significat eum veneno necatum.

---

ibid. II, 25. Vitiosa est confirmatio rationis, cum ea re, quae plura significat, abutimur pro certo vnius rei signo, hoc modo: Necessesse est, quoniam pallet, aegrotasse: aut, necesse est, peperisse, quoniam sustinet puerum infantem. Nam haec sua sponte certa signa non habent, si non cetera quoque similia concurrant; quod si concurrerint, nonnihil huiusmodi signa adaugent suspicionem.

---

ibid. III, 11. De magnitudine vocis et firmitudinis parte, quoniam altera natura, altera cura comparatur, nihil ad nos attinet commonere, nisi vt ab iis \*), qui non inscii sunt eius artificii, ratio curandae vocis petatur.

---

\*) Medicos intelligit, aut potius *φωνασκους*, id est, formandae vocis magistros, quales apud antiquos fuerunt, quorum ars *φωναστικη* a Theophrasto dicitur: qui tamen hodie non inutiles, vt opinor, essent, iis qui causas in foro agunt, aut quibus in magna hominum celebritate aliquando dicendum est. Pontan.

ibid. III, 20. Si accusator dixerit, ab reo hominem veneno necatum; et hereditatis causa factum arguerit, et eius rei multos dixerit testes et conscios esse: si hoc primum, ut ad defendendum nobis expeditum sit, meminisse volumus; in primo loco rei totius imaginem conformabimus; aegrotum in lecto cubantem faciemus ipsum illum, de quo agetur, si formam eius detinebimus. Si eum non agnouerimus, aliquem aegrotum non de minimo loco sumemus, ut cito in mentem venire possit, et reum ad lectum eius adstituemus, dextra poculum, sinistra tabulas, medico testiculos arietinos tenentem. Hoc modo et testium, et hereditatis, et veneno necati memoriam habere poterimus.

---

ibid. III, 27. Formae dignitas aut morbo deflorescit, aut vetustate exstinguitur.

---

ibid. III, 28. Esse oportet, ut viuas; non viuere, ut edas.

---

ibid. III, 45. Huic exemplum satis idoneum subiici non potuit, propterea quod hic locus non est a tota causa separatus, sicuti membrum aliquod, sed tanquam sanguis, perfusus est per totum corpus orationis.

---

Cic. de inuent. rhet. I, 5. Medici officium dicimus esse, curare ad sanandum apposite; finem, sanare curatione.

Materiam artis eam dicimus, in qua omnis ars, et ea facultas, quae conficitur ex arte, versatur; vt si medicinae materiam dicamus morbos ac vulnera, quod in his omnis medicina versetur.

---

ibid. I, 17. Vt cibi satietas et fastidium, aut subamara aliqua re releuatur, aut dulci mitigatur; sic animus defessus audiendo, aut admiratione integratur, aut risu renouatur.

---

ibid. I, 25. In victu considerare oportet, apud quos, et quo more, et cuius arbitrato sit educatus, quos habuerit artium liberalium magistros, quos viuendi praeceptores, quibus amicis vtatur, quo in negotio, quaestu, artificio sit occupatus: quo modo rem familiarem administret, qua consuetudine domestica sit. — Ac si de non viuo quaeretur, etiam quali morte sit affectus, erit considerandum.

---

Habitum autem appellamus, animi, aut corporis constantem, et absolutam aliqua in re perfectionem; vt virtutis, aut artis perceptionem alicuius, aut quamuis scientiam. Et item corporis aliquam commoditatem, non natura datam, sed studio industriaque partam. Affectio est, animi, aut corporis ex tempore, aliqua de causa, commutatio, vt laetitia, cupiditas, metus, molestia, morbus, debilitas, et alia, quae genere in eodem reperiuntur.

ibid. I, 29. Si peperit, cum viro concubuit.

---

ibid. I, 30. Quoniam cicatrix est, fuit vulnus.

---

ibid. I, 38. Ex medicina nihil oportet putare proficisci, nisi quod ad corporis vtilitatem spectet, quoniam eius causa est instituta.

---

ibid. I, 40. Si peperit, virgo non est, peperit autem.

Si peperit, cum viro concubuit; peperit autem. Conficitur hoc: concubuit igitur cum viro.

Quoniam peperit, cum viro concubuit.

---

ibid. I, 46. Si spiritum ducit, viuit.

---

ibid. I, 50. Inconstans est, quod ab eodem de eadem re, diuerse dicitur: vt, si quis, cum dixerit, qui virtutem habeat, eum nullius rei ad bene viuendum indigere, neget postea sine bona valetudine posse bene viuere.

---

ibid. I, 56. Quemadmodum enim dixit rhetor Apollonius: lacrima nihil citius arescit.

---

ibid. II, 9. Et ex victu multae trahuntur suspiciones, cum, quemadmodum, et apud quos,

et a quibus educatus et eruditus sit, quaeritur, et quibuscum viuat, qua ratione vitae, quo more domestico viuat.

Habitus autem, quoniam in aliqua perfecta et constanti animi aut corporis absolute consistit, quo in genere est virtus, scientia, et quae contraria sunt; res ipsa, causa posita, docebit, ecquid hic quoque locus suspicionis ostendat. Nam affectionis quidem ratio perspicuam solet prae se gerere coniecturam, vt: amor, iracundia, molestia; propterea quod et ipsorum vis intelligitur, et, quae res harum aliquam rem consequantur, faciles cogniti sunt.

Studium autem quoniam est assidua et vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio, facile ex eo ducetur argumentatio, quam res ipsa desiderabit in causa.

---

ibid. II, '54. Temperantia est rationis in libidinem, atque in alios non rectos impetus animi, firma et moderata dominatio. — Continentia est, per quam cupiditas consilii gubernatione regitur.

---

ibid. II, 56. Incolumitas est salutis tuta atque integra, conseruatio.

---

ibid. II, 57. Corpus mortale aliquo tempore interire necesse est; atque ita necesse, vt vis ea postulat, quam modo describebamus, necessitudinis, cui nulla vi resisti potest, quae neque

mutari, neque leniri potest. — **Homines mortales** necesse est interire, sine adiunctione; vt cibovtantur, non necesse est, nisi cum illa exceptione: extra quam, si nolint fame perire.

---

ibid. II, 58. Ac summa quidem necessitudo videtur esse honestatis: huic proxima, incolumitatis: tertia ac leuissima, commoditatis: quae cum his nunquam poterit duabus contendere. Hasce autem inter se saepe necesse est comparari, vt, quamquam praestet honestas incolumitati, tamen vtri potissimum consulendum sit, deliberetur. Cuius rei certum quoddam praescriptum videtur in perpetuum dari posse. Nam, qua in re fieri poterit, vt, cum incolumitati consuluerimus, quod sit in praesentia de honestate delibatum, virtute aliquando et industria recuperetur, incolumitatis ratio videbitur habenda: cum autem id non poterit, honestatis. Ita in eiusmodi quoque re, cum incolumitati videbimur consulere, vere poterimus dicere, nos honestatis rationem habere; quoniam sine incolumitate eam nullo tempore possumus adipisci.

---

ibid. II, 59. **Animi** est, virtus, cuius de partibus paulo ante dictum est. **Corporis**, valetudo, dignitas, vires, velocitas.

---

Cic. de oratore I, 14. Neque vero **Asclepiades** is, quo nos medico amicoque vsi sumus, tum, cum eloquentia vincebat ceteros medicos, in

eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentiae.

---

ibid. I, 25. Et si quis est, qui haec putet arte accipi posse, quod falsum est (praeclare enim se res habeat, si haec accendi, aut commoueri arte possint: inseri quidem et donari ab arte non possunt omnia; sunt enim illa dona naturae) quid de illis dicet, quae certe cum ipso homine nascuntur? linguae solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam et figura totius oris et corporis? Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit: (neque enim ignoro, et quae bona sint, fieri meliora posse doctrina, et quae non optima, aliquo modo acui tamen et corrigi posse) sed sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu, motuque corporis vasti atque agrestes, ut, etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint. Sunt autem quidam ita naturae muneribus in iisdem rebus habiles, ita ornati, ut non nati, sed ab aliquo deo ficti esse videantur.

---

ibid. I, 27. Ceterarum homines artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerunt, quam solent, aut noluisse, aut valetudine impediti non potuisse consequi, id quod scirent, putantur.

---

ibid. I, 37. Quid ergo hoc fieri turpius, aut dici potest, quam eum, qui hanc personam susce-

perit, vt amicorum controuersias causasque tueatur, laborantibus succurrat, aegris medeatur, afflictos excitet; hunc in minimis tenuissimisque rebus ita labi, vt aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur?

---

ibid. I, 62. Nunc et Scaeuola, quoniam in Tusculanum ire constituit, paullum requiescet, dum se calor frangat; et nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam.

---

ibid. II, 9. Neque enim si de rusticis rebus agricola quispiam, aut etiam id, quod multi, medicus de morbis, aut de pingendo pictor aliquis diserte dixerit, aut scripserit, idcirco illius artis putanda sit eloquentia.

---

ibid. II, 18. Tum, cum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho iudicaret, hic Poenus non optime graece, sed tamen libere respondisse fertur: multos se deliros senes saepe vidisse; sed qui magis, quam Phormio, deliraret, vidisse neminem.

---

ibid. II, 21. Atque, vt a familiari nostro exordiar, hunc ego, Catule, Sulpicium, primum in causa paruula adolescentulum audiui, voce, et forma, et motu corporis, et reliquis rebus aptum ad hoc munus, de quo quaerimus: oratione autem ce-

leri et concitata, (quod erat ingenii) et verbis efferuescentibus et paulo nimium redundantibus, (quod erat aetatis) non sum aspernatus. Volo enim se efferat in adolescente foecunditas; nam facilius, sicut in vitibus, reuocantur ea, quae sese nimium profuderunt, quam si nihil valet materies, noua sarmenta cultura excitantur: Ita volo esse in adolescente, vnde aliquid amputem. Non enim potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum.

---

ibid. II, 28. Neque enim est boni, neque liberalis parentis, quem procrearit et eduxerit, eum non et vestire et ornare.

---

ibid. II, 44. Sicut medico diligenti, priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus eius, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis et natura corporis cognoscenda est.

---

ibid. II, 58. Atque illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, vbi sit, quomodo exsistat, atque ita repente erumpat, vt eum cupientes tenere nequeamus, et quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus. Neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet; et, si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi quidem illi scirent, qui pollicerentur.

---

ibid. II, 79. Si quae restitui sanarique non possit.

---

ibid. II, 80. Sed cohaerens cum omni corpore membrum esse videatur.

---

ibid. II, 85. Hisque quatuor causis totidem medicinae opponuntur.

---

ibid. III, 2. Namque tum latus ei dicenti condoluisse, sudoremque multum consecutum esse audiebamus: ex quo cum cohorrisset, cum febris domum rediit, dieque septimo lateris dolore consumtus est.

---

ibid. III, 5. Ac mihi quidem veteres illi maius quiddam animo complexi, multo plus etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest: qui omnia haec, quae supra et subter, vnum esse, et vna vi, atque vna consensione naturae constricta esse dixerunt. Nullum est enim genus rerum, quod aut avulsum a ceteris per seipsum constare, aut, quo cetera si careant, vim suam atque aeternitatem conseruare possint.

---

ibid. III, 7. Natura nulla est (vt mihi videtur) quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili

laude dignentur. Nam et auribus multa percipimus, quae etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia saepe, ut id, quod proximum audias, iucundissimum esse videatur: et oculis colliguntur paene innumerabiles voluptates, quae nos ita capiunt, ut vnum sensum dissimili genere delectent, et reliquos sensus voluptates oblectent dispares, ut sit difficile iudicium excellentis maxime suauitatis.

---

ibid. III, 25. Licet hoc videre in reliquis sensibus; vnguentis minus diu nos delectari, summa et acerrima suauitate conditis, quam his moderatis: et, magis laudari quod ceram, quam quod crocum olere videatur. In ipso tactu esse modum et mollitudinis et laeuitatis. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius, quique dulcitudine praeter ceteros sensus commouetur, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit? quis potionem uti, aut cibo dulci diutius potest? cum utroque in genere ea, quae leuiter sensum voluptate moueant, facillime fugiant satietatem. Sic omnibus in rebus, voluptatibus maximis fastidium finitimum est.

---

ibid. III, 53. An tu existimas, cum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui morbis, alios qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur?

---

ibid. III, 40. Omnis translatio, quae quidem summa ratione est, ad sensus ipsos admouetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus.

---

ibid. III, 45. Incolumitatis ac salutis omnium causa videmus hunc statum esse huius totius mundi atque naturae, rotundum vt coelum, terra-que vt media sit, eaque sua vi nutuque teneatur; sol vt circumferatur, vt accedat ad brumale signum, et inde sensim ascendat in diuersam partem; vt luna accessu et recessu suo solis lumen accipiat; vt eadem spatia quinque stellae dispari motu cursuque conficiant. Haec tantam habent vim, vt paulum immutata cohaerere non possint: tantam pulcritudinem, vt nulla species ne excogitari quidem possit ornatio. Referte nunc animum ad hominum, vel etiam ceterarum animantium formam et figuram; nullam partem corporis sine aliqua necessitate affictam; totamque formam quasi perfectam reperietis arte, non casu.

ibid. III, 57, s. Omnis enim motus animi suum quendam a natura habet vultum et sonum et gestum; totumque corpus hominis et eius omnis vultus omnesque voces, vt nerui in fidibus, ita sonant, vt a motu animi quoque sunt pulsae. Nam voces, vt chordae sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant, acuta, grauis, cita, tarda, magna, parua; quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera: laeue, asperum, contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono, attenuatum, inflatum. Nullum est enim horum similium generum, quod non arte ac moderatione tractetur. Hi sunt actori, vt pictori, expositi ad variandum colores. Aliud enim vocis genus iracundia sibi

sumat: acutum, incitatum, crebro incidens. — Aliud miseratio ac moeror: flexibile, plenum, interruptum, flebili voce. — Aliud metus: demissum, et haesitans, et abiectum. — Aliud vis: contentum, vehemens, imminens quadam incitatione grauitatis. — Aliud voluptas: effusum, lene, tenerum, hilaratum ac remissum. — Aliud molestia: sine commiseratione graue quiddam et vno pressu ac sono obductum.

ibid. III, 59. Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum: quo melius nostri illi senes, qui personatum, ne Roscium quidem, magnopere laudabant. Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi. Nam haec est vna pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes et communicationes possit efficere. Neque vero est quisquam, qui eadem contuens, efficiat. — Quare oculorum est magna moderatio. Nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias, aut ad prauitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum intentione, tum remissione, tum coniectu, tum hilaritate, motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis, quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo, et leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet; is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data; quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commouentur.

ibid. III, 61. Sed iam surgam<sup>us</sup>, inquit, nos-  
que curemus, et aliquando ab hac contentione dis-  
putationis animos nostros, curamque laxemus.

---

Cic. Brut. 3. Nam me istis scito literis, ex  
diuturna perturbatione totius valetudinis tan-  
quam ad adspiciendam lucem esse reuocatum.

---

ibid. 3. Sed scire cupio, quae te Attici lite-  
rae delectauerint. Istae vero, inquam, Brute,  
non modo delectationem mihi, sed etiam, vt spero,  
salutem attulerunt. Salutem? inquit ille; quod-  
nam tandem genus istuc tam praeclarum literarum  
fuit? An mihi potuit, inquam, esse aut gratior  
vlla salutatio, aut ad hoc tempus aptior, quam il-  
lius libri, quo me hic affatus, quasi iacentem exci-  
tauit? Tum ille, nempe eum dicis, inquit, quo  
iste omnem rerum memoriam breuiter, et, vt mihi  
quidem visum est, perdiligenter complexus est?  
Istum ipsum, inquam, Brute, dico librum mihi sa-  
luti fuisse.

---

ibid. 4. Ipsa mihi tractatio literarum salu-  
taris fuit, admonuitque, Pomponi, vt a te ipso su-  
merem aliquid ad me reficiendum.

---

ibid. 8. Nam et aures ipsae quid plenum,  
quid inane sit, iudicant, et spiritu, quasi necessi-  
tate aliqua, verborum comprehensio terminatur:  
in quo non modo defici, sed etiam laborare turpe  
est.

---

ibid. 9. Succus ille et sanguis incorruptus vsque ad hanc aetatem oratorum fuit, in qua naturalis inesset, non fucatus nitor.

---

ibid. 13. Nam vt semel e Peiraeo eloquentia euecta est, omnes peragrauit insulas, atque ita peregrinata tota Asia est, vt se externis oblineret moribus, omnemque illam salubritatem Atticae dictionis quasi sanitatem perderet, ac loqui paene dedisceret.

---

ibid. 14. Quis enim putet aut celeritatem ingenii L. Bruto illi, nobilitatis vestrae principi, defuisse? qui de matre suauienda ex oraculo Apollinis tam acute, arguteque coniecerit, qui summam prudentiam simulatione stultitiae texerit.

---

ibid. 14. Nihil sane mihi legisse videor, tantummodo coniectura ducor ad suspicandum.

---

ibid. 16. Sed ille Graecus ab omni laude felicior. Habet enim certos sui studiosos, qui non tam habitus corporis opimos, quam gracilitates consecretentur; quos, valetudo modo bona sit, tenuitas ipsa delectat. Quanquam in Lysia saepe sunt etiam lacerti, sic vt fieri nihil possit valentius.

---

ibid. 34. Atque etiam ingenio et sermone eleganti, valetudine incommoda, C. Sextius

Caluinus fuit: qui etsi cum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat.

---

ibid. 55. Sed cauenda est presso illi oratori inopia et ieiunitas: amplo autem inflatum et corruptum orationis genus. Inueniebat igitur acute Cotta, dicebat pure ac solute: et vt ad infirmitatem laterum perscien-ter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus.

---

ibid. 56. Quare hoc doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque: et ea duce vtentem sic instituere, vt Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos.

---

ibid. 58. O generosam, inquit, stirpem, et tanquam in vnam arborem plura genera, sic in istam domum multorum insitam atque illuminatam sapientiam!

---

ibid. 60. Sedente Cn. Octauio, collega, qui deuinctus erat fasciis et multis medicamentis, propter dolorem artuum, delibutus. — Memoria autem ita fuit nulla, vt aliquoties, tria cum proposuisset, aut quartum adderet, aut tertium quaereret. Qui in iudicio priuato vel maximo — sub-

ito totam causam oblitus est, idque veneficiis et cautionibus Titiniae factum esse dicebat. Magna haec immemoris ingenii signa. —

---

ibid. 61. Iam qui hac parte animi, quae custos est ceterarum ingenii partium, tam debilis esset, vt ne in scripto quidem meminisset, quid paulo ante posuisset, huic minime mirum est ex tempore dicenti solitam effluere mentem.

---

ibid. 62. Cn. Pomponius lateribus pugnans, incitans animos, acer, acerbus, criminosus.

---

ibid. 63. Et erat eius quidem tanquam habitus non inurbanus; actio paulum cum vitio vocis, tum etiam ineptiis claudicabat.

---

ibid. 66. Nam huius aequalis et inimicus C. Fimbria, non ita diu iactare se potuit: qui omnia magna voce dicens, verborum sane bonorum cursu quodam incitato ita furebat tamen, vt mirarere tam alias res agere populum, vt esset insano inter disertos locus. — Qui cum esset nec peracutus (quanquam et ex facie et ex vultu videbatur).

---

ibid. 67. Is laborem, quasi cursum forensem, diutius non tulit, quod et corpore erat infirmo, et hominum ineptias ac stultitias, quae deuoran-

dae nobis sunt, non ferebat, iracundiusque respuebat, siue morose, vt putabatur, siue ingenuo, liberoque fastidio. — Huius si vita, si mores, si vultus denique non omnem commendationem ingenii auerteret, maius nomen in patronis fuisset.

---

ibid. 75. Caesar autem rationem adhibens; consuetudinem vitiosam et corruptam pura et incorrupta consuetudine emendat.

---

ibid. 80. Hoc ipsum etiam posuisse pro argumento, quod ille, cum pestem capitis sui, cum indicia mortis, se comperisse manifesto et manutene diceret, tam solute egisset, tam leniter tam oscitanter. Nulla perturbatio animi, nulla corporis, frons non percussa, non femur: pedis (quod minimum est) nulla suppletio. Sic nos summi oratoris vel sanitate, vel vitio, pro argumento ad diluendum crimen vsi sumus. Atqui dubitamus, inquit, vtrum ista sanitas fuerit, an vitium?

---

ibid. 83. Atqui eae notae sunt optimae; credo: sed nimia vetustas nec habet eam, quam quaerimus, suauitatem, nec est iam sane tolerabilis. Num igitur qui hoc sentiat, si is potare velit, de dolio sibi hauriendum putet? Minime: sed quandam sequatur aetatem.

---

ibid. 91. Nunc, quoniam totum me non naevo aliquo aut crepundiis, sed corpore omni videris

velle cognoscere, complectar nonnulla etiam, quae fortasse videantur minus necessaria. Erat eo tempore in nobis summa gracilitas et infirmitas corporis: procerum et tenue collum; qui habitus et quae figura non procul abesse putatur a vitae periculo, si accedit labor et laterum magna contentio. — Itaque cum me et amici et medici hortarentur, vt causas agere desisterem: quodnis potius periculum mihi adeundum, quam a sperata dicendi gloria discedendum putavi. Sed cum censerem, remissione et moderatione vocis et commutato genere dicendi, me et periculum vitare posse et temperatius dicere: vt consuetudinem dicendi mutarem, ea causa mihi in Asiam proficiscendi fuit. — Ita recepi me biennio post, non modo exercitior, sed prope mutatus. Nam et contentio nimia vocis reciderat, et quasi referuerat oratio, lateribusque vires et corporis mediocris habitus accesserat.

---

ibid. 92. Iam videbatur illud in me, quidquid esset, esse perfectum et habere maturitatem quandam suam.

---

Cic. orat. 8. Cum vero inclinata vlulanti-que voce, more asiatico, canere coepisset, quis eum ferret? aut quis potius non iuberet auferri?

---

ibid. 9. Quae est autem in hominibus tanta peruersitas, vt, inuentis frugibus, glande vescantur? An victus hominum, Atheniensium beneficio excoli potuit, oratio non potuit?

---

ibid. 17. Est enim actio quasi corporis quaedam eloquentia, cum constet e voce atque motu. Vocis mutationes totidem sunt, quot animorum, qui maxime voce commouentur. — Dicerem etiam de gestu, cum quo iunctus est vultus; quibus omnibus, dici vix potest, quantum intersit, quemadmodum utatur orator. — Mira est enim quaedam natura vocis: cuius quidem, e tribus omnino sonis, inflexo, acuto, graui, tanta sit et tam suavis varietas perfecta in cantibus.

---

ibid. 18. Ac vocis quidem bonitas optanda est. Non est enim in nobis; sed tractatio atque vsus in nobis. Ergo ille princeps variabit et mutabit; omnes sonorum, tum intendens tum remittens, persequetur gradus: idemque motu sic utetur, nihil vt supersit in gestu. Status erectus et celsus: rarus incessus, nec ita longus: excursio moderata, eaque rara: nulla mollitia ceruicum, nullae argutiae digitorum, non ad numerum articulus cadens: trunco magis toto se ipse moderans et virili laterum flexione; brachii projectione in contentionibus, contractione in remissis. Vultus vero, qui secundum vocem plurimum potest, quantum affert tum dignitatem tum venustatem? In quo cum effeceris, ne quid ineptum, aut vultuosum sit, tum oculorum est quaedam magna moderatio. Nam vt imago est animi, vultus; sic indices oculi: quorum et hilaritatis, et vicissim tristitiae modum res ipsae, de quibus agetur, temperabunt.

---

ibid. 22. In omnibus rebus videndum est,

quatenus. Etsi enim suus cuique modus est, tamen magis offendit nimium, quam parum.

---

ibid. 23. Etsi enim non plurimi sanguinis est, habeat tamen succum aliquem oportet, ut, etiam si illis maximis viribus careat, sit (ut ita dicam) integra valetudine. — Fucati vero medicamenta candoris et ruboris omnia repellentur: elegantia modo et munditia remanebit.

---

ibid. 25. Valentiorum haec laterum sunt, nec ab hoc, quem informamus, aut expectanda, aut postulanda. Erit enim ut voce, sic etiam oratione suppressior.

---

ibid. 37. Nobis priuata in causa magna et graui, cum coepisset Curio pater respondere, subito assedit, cum sibi venenis ereptam memoriam diceret.

---

ibid. 45. Omnium magnarum artium, sicut arborum, altitudo nos delectat; radices stirpesque non item: sed esse illa sine his non potest.

---

ibid. 53. Nimium quod est, offendit vehementius, quam id, quod videtur parum.

---

ibid. 65. Nam ubi lubido dominatur, innocentiae leue praesidium est.

---

ibid. 71. Facilius est enim apta dissolvere;  
quam dissipata connectere.

---

Cic. Topic. 6. In partitione quasi membra  
sunt: ut corporis, caput, humeri, manus, latera,  
crura, pedes, et cetera.

---

ibid. 16. Omnium autem causarum in aliis  
inest constantia, in aliis non inest. In natura et  
in arte constantia est, in ceteris nulla.

---

ibid. 17. Cum enim nihil sine causa fiat;  
hoc ipsum est fortunae euentus, obscura causa.

Cadunt etiam in ignorationem atque in im-  
prudentiam perturbationes animi: quae quan-  
quam sint voluntariae, (obiurgatione enim et ad-  
monitione deiiciuntur) tamen habent tantos motus,  
ut ea, quae voluntaria sunt, aut necessaria interdum,  
aut certe ignorata videantur.

---

ibid. 18. Ut enim causa effectum indicat, sic  
quod effectum est, quae fuerit causa, demon-  
strat. — Causarum enim cognitio cognitionem  
euentorum facit.

---

ibid. 19. Magna est vis ad persuadendum;  
scientiae, aut vsus; plerumque enim creditur iis,  
qui experti sunt.

---

ibid. 20. A dormientibus quoque multa significata visis, quibus ex locis sumi interdum solent ad fidem faciendam testimonia deorum.

---

Cic. orator. partit. 7. Memoria est gemina literaturae quodammodo, et in dissimili genere persimilis. Nam ut illa constat ex notis literarum et ex eo, in quo imprimuntur illae notae: sic confectio memoriae, tanquam cera, locis utitur, et in his imagines, ut literas, collocat.

---

ibid. 10. In personis naturae primum spectantur, valetudinis, figurae, virium, aetatis, marium, foeminarum: atque haec quidem in corpore. Animi autem, aut quemadmodum affecti sunt, virtutibus, vitiis, artibus, inertis: aut quemadmodum commoti, cupiditate, metu, voluptate, molestia. Atque haec quidem in natura spectantur.

---

ibid. 17. Cito enim arescit lacryma, praesertim in alienis malis.

---

ibid. 25. Neque vero mors eorum, quorum vita laudabitur, silentio praeteriri debet, si modo quid erit animadvertendum aut in ipso genere mortis, aut in iis rebus, quae post mortem erunt consecutae.

---

ibid. 24. Si quid **necesse** est, (Necesse autem id est, sine quo salui, liberiue esse non possumus,) id est reliquis et honestatibus in ciuili ratione, et commodis antep~~on~~endum.

---

Cic. de opt. gen. orat. 3. Sed quatenus ualuerunt, **sani** et **sicci** duntaxat habeantur, sed ita, ut palaestrice spatium in xysto iis liceat, non ab Olympiis coronam petant. Qui cum careant omni vitio, non sunt contenti quasi bona valetudine, sed vires, lacertos, sanguinem quaerunt, quandam etiam suauitatem coloris. Eos imitemur, si possumus: sin minus, illos potius, qui incorrupta sanitate sunt, (quod est proprium Atticorum,) quam eos, quorum vitiosa abundantia est, quales Asia multos tulit.

---

Cic. orat. pro P. Quint. 2. Ita fit, ut ego, qui tela depellere et vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, **cum etiam** telum aduersarius nullum iecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, cum et vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit: et si qua in re, id quod parati sunt facere, **falsum crimen**, quasi venenatum aliquod telum, iecerint, **medicinae faciendae locus non erit.**

---

ibid. 4. Moritur in Gallia Quintius, cum adesset Naeuus, et moritur repentino.

---

ibid. 15. Huic acerbissimum viuo videntique funus indicitur; si funus id habendum sit, quo non amici conueniunt ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emtores, vt carnifices, ad reliquias vitae lacerandas et distrahendas.

ibid. 18. Vixit enim semper inculte atque horride: natura tristi ac recondita fuit: non ad Solarium, non in campo, non in conuiujs versatus est.

Cic pro S. Roscio Amerino 22. Magna est enim vis humanitatis: multum valet communio sanguinis: reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura: portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, vt, propter quos hanc suauissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce priuarit: cum etiam feras inter se partus atque educatio et natura ipsa conciliet.

ibid. 23. Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, cum omnia diuina atque humana iura scelere nefario pollisset, somnum statim capere potuisset; propterea quod qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.

ibid. 24. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis: ex quo si qua macula concepta est; non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur. — Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat: suum quemque scelus agitat amentiaque afficit: suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. Hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae; quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant.

ibid. 40. Atqui ea sunt animadvertenda peccata maxime, quae difficillime praecauentur.

ibid. 42. Non in omnes arbitror omnia convenire.

ibid. 44. Intellego, me ante tempus haec scrutari, et propemodum errare, qui, cum capiti Sex. Roscii mederi debeam, reduuiam curem.

(Scholiastes: Redubiam curem.) Redubia est vulnus ex vngue, quod graece panaricium dicitur.)

(Scholiastes: Intellego, iudices, me ante tempus.) Stultitia autem medici est, ut pro capite panaricium (παρωρυχίαν) curet.)

Reduuiam curem) Reduiam multi libri veteres. Quam scripturam etiam, apud Festum reperio: qui reduuiam a reduire declina-

tam dicit, quod soluere significat. Est enim rediuvia (inquit) morbus, quum circa vngues cutis se resoluit. Sensus est igitur: quum magno malo mederi debeam, vitae scilicet et capiti — nunc curam leuiusculi mali suscipio. — Rediuuiam scribitur apud Festum, non reduuiam. Rediuuiam, inquit ille, alii reluuuium appellant, cum circa vngues cutis se resoluit: quia luere, est soluere. Lambinus.)

---

ibid. 45. Etenim si Iupiter Optimus Maximus, cuius nutu et arbitrio coelum, terra, mariaque reguntur, saepe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore hominibus nocuit, vrbes deluit, fruges perdidit: quorum nihil pernicii causa, diuino consilio, sed vi ipsa, et magnitudine rerum, factum putamus: at contra, commoda, quibus vtimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus.

---

ibid. 51. Qui, si iam satis aetatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret; quoniam ad dicendum impedimento est aetas, et pudor, qui ornat aetatem.

---

ibid. 53. Homines sapientes, et ista auctoritate et potestate praeditos, qua vos estis, ex quibus rebus maxime respublica laborat, iis maxime mederi conuenit.

---

Cic. pro Q. Rosc. Comoed. 7. Oro atque obsecro vos, qui nostis, vitam inter se vtriusque conferte: qui non nostis, faciem vtriusque considerate. Nonne ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam, et clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? Qui idcirco capite et superciliis semper est rasis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur.

---

Cic. in Q. Caecil. diuinat. 5. In hac libidine hominum nocentissimorum, in populi Romani quotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offensione, cum hoc vnum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, vt homines idonei atque integri causam reipublicae legumque susciperent: fateor, me, salutis omnium causa, ad eam partem accessisse reipublicae subleuandae, quae maxime laboraret.

---

ibid. 17. Sed repente e vestigio, ex homine, tanquam aliquo Circae poculo, factus est Verres: redit ad se, atque ad mores suos.

---

ibid. 22. Et profecto aut hoc remedium est aegrotae ac prope desperatae reipublicae, iudiciisque corruptis, ac contaminatis paucorum vitio ac turpitudine, homines ad legum defensionem, iudiciorumque auctoritatem, quam honestissimos

et integerrimos, diligentissimosque accedere: aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, profecto nulla vnquam medicina his tot incommodis reperietur.

A nobis multos obsides habet populus Romanus, quos vt incolumes conseruare, tueri, confirmare ac recuperare possimus, omni ratione erit dimicandum. Habet honorem, quem petimus; habet spem, quam propositam nobis habemus; habet existimationem, multo sudore, labore vigiliisque collectam: vt, si in hac causa nostrum officium ac diligentiam probauerimus, haec, quae dixi, retinere per populum Romanum incolumia ac salua possimus: si tantulum offensum titubatunque sit; vt ea, singulatim ac diu collecta sunt, vno tempore vniuersa perdamus.

---

Cic. in Verr. act. I, 5. In stupris vero et flagitiis nefarias eius libidines commemorare pudore deterreor; simul illorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos coniugesque suas, integras ab istius petulantia conseruare non licitum est.

---

ibid. I, 7. Id sum assecutus, vt tertius dies sic hominem prosterneret, vt, morbo simulato, non, quid responderet, sed, quemadmodum non responderet, deliberaret.

---

ibid. I, 18. Non dubito, quin, tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio vnquam fuit religionis, nunc tamen in metu periculoque tuo,

tuorum tibi scelerum veniat in mentem. Potestne tibi vlla spes salutis commoda ostendi, cum recordaris, in deos immortales quam impius, quam sceleratus, quam nefarius fueris?

---

ibid. I, 54. Isti color immutatus est: vultus, oratio, mens denique excidit; quid ageret, coepit cogitare.

---

ibid. I, 58. Ideo, quod communis est causa, commune periculum: communi praesidio talis improbitas, tanquam aliquod incendium, restingueda est. Habemus enim liberos paruos; incertum est, quam longa nostrum cuiusque vita futura sit. Consulere viui ac prospicere debemus, vt illorum solitudo et pueritia quam firmissimo praesidio munita sit.

---

ibid. II, 11. Semper ita viuamus, vt rationem reddendam nobis arbitremur.

---

ibid. II, 15. Aut eum, quem commodum erat, medicum suum dabat.

---

ibid. II, 36. Quod eum multo magis figura et lineamenta hospitae delectabant.

---

ibid. II, 63. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit.

---

ibid. III, 1. Legem sibi ipsi dicunt innocentiae, continentiae, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitae reposcunt: atque eo magis, si id, ut ante dixi, faciunt nulla re commoti alia, nisi utilitate communi. Nam qui sibi hoc sumpsit, ut corrigat mores aliorum, ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse ab religione officii declinarit?

Nos, qui iam et quid facere, et quantum iudicare possemus, ostendimus, nisi facile cupiditates nostras teneremus, nunquam ipsimet nobis praecideremus istam licentiam libertatemque vivendi.

ibid. III, 2. Atque hoc ego plus oneris habeo, (si onus est id appellandum, quod cum laetitia feras ac voluptate) quod ita postulatur ab omnibus, ut ab iis se abstineant maxime vitiis, in quibus alterum reprehenderint. — Omnia postremo, quae vindicari in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est is, qui, quod in altero vitium reprehendit, in eo ipse deprehenditur.

ibid. III, 4. Ex quo intelligi potest, eos vobis esse carissimos, qui ita vixerunt, ut sine vestro praesidio salvi esse non possint.

ibid. III, 9. Verris mores improbos impurosque nostis. Fingite vobis, si potestis, aliquem,

qui in omnibus istis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines esse possit; is erit Apronius ille: qui, ut ipse non solum vita, sed etiam corpore atque ore significat, immensa aliqua vorago est, aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium. — Postremo, ut odor Apronii taeterimus oris et corporis, quem (ut aiunt) ne bestiae quidem ferre possent, vni isti suavis et iucundus videretur.

---

ibid. III, 11. Quid? ista cohors quorum hominum est? Volusii haruspici et Cornelii medici, et horum canum, quos tribunal meum vides lambere. — Veniendum erat ad eos contra Apronium, qui nondum etiam Aproniani conuiuii crapulam exhalassent.

---

ibid III, 12. Surrexisset Apronius, noua dignitas publicani, non ut decumanus, squaloris plenus ac pulueris; sed unguentis oblitus; vino vigiliisque languidus. Omnia primo motu ac spiritu suo, vini, unguenti, corporis odore compleret.

---

ibid. III, 21. Nympho cum se vellet aequo iudicio defendere, iste viros optimos recuperatores dat, eundem illum medicum Cornelium (is est Artemidorus Pergaeus, qui in sua patria dux isti quondam et magister ad despoliandum Dianae templum fuit) et haruspicem Volusianum et Valerium praeconem.

---

ibid. III, 25. Statuitur, vt dico, eques Romanus, prope annos XC. natus, in Apronii conuiuio, cum interea Apronius caput atque os suum unguento perfricaret. — Lollius, aetate et morbo impeditus, ad testimonium dicendum venire non potuit.

---

ibid. III, 26. Videtis condemnari alios a medico et praecone praetoris.

---

ibid. III, 28. Ingerebat iste Artemidorum, Cornelium medicum, Tlepoleum pictorem, et eiusmodi recuperatores, quorum ciuis Romanus nemo erat; sed Graeci sacrilegi, iampridem improbi, repente Cornelii.

---

ibid. III, 56. Scitote, tantam acerbiteriam istius, tantum scelus in aratores fuisse (incredibile dictu est, iudices, sed et factum et tota Sicilia perulgatum) vt homines, propter iniurias, licentiamque decumanorum, mortem sibi ipsi consciuerint. Centuripinum Dioclem, hominem locupletem, suspendisse se constat, quo die sit ei nunciatum, Apronium decumas redemisse. Dyrrachinum, primum ciuitatis, eadem ratione mortem oppetisse, dixit apud vos homo nobilissimus, Archonidas Elorinus, cum audisset tantum decumanum professum esse ex edicto istius sibi deberi, quantum ille bonis suis omnibus efficere non posset. Haec tu, tametsi omnium hominum dissolutissimus crudelissimusque semper fuisti, tamen nunquam perpeterere;

propterea quod illi gemitus luctusque prouinciae ad tui capitis periculum pertinebant: non, inquam, perpeterere, vt homines iniuriae tuae remedium morte ac suspendio quaerent, nisi ea res ad quaestum et ad praedam tuam pertineret.

---

ibid. III, 60. Hic tu medicum, et haruspicem, et praeconem tuum, recuperatores dabis?

---

ibid. III, 76. O consuetudo peccandi, quantum habes iucunditatem in improbis et audacibus, cum poena abfuit et licentia consecuta est!

---

ibid. III, 1. Venio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium: vt amici eius, morbum et insaniam: vt Siculi, latrocinium. Ego, quo nomine appellem, nescio. Rem vobis proponam: vos eam suo, non nominis pondere, penditote. Genus ipsum prius cognoscite, iudices, deinde fortasse non magnopere quaeritis, quo nomine appellandum putetis.

---

ibid. III, 15. Est boni iudicis, (medici) parvis ex rebus coniecturam facere vnus cuiusque et cupiditatis et incontinentiae.

---

ibid. III, 17. Promptissimi hominis et experientis et inprimis gratiosi.

---

ibid. III, 18. Quod vbi audiuit iste, vsque eo est commotus, vt sine vlla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur. — minitari absenti Diodoro: vociferari palam: lacrimas interdum vix tenere. Eriphylam accepimus in fabulis ea cupiditate, vt, cum vidisset monile, vt opinor, ex auro et gemmis, pulchritudine eius incensa, salutem viri proderet. Similis istius cupiditas: hoc etiam acrior atque insanior, quod illa cupiebat id, quod viderat: huius libidines non solum oculis, sed etiam auribus excitabantur.

---

ibid. III, 45. Ex Aesculapii religiosissimo fano sustulisti?

---

ibid. III, 45. Nemo Agrigenti neque aetate tam affecta, neque viribus tam infirmis fuit, qui non illa nocte, eo nuntio, excitatus surrexerit.

---

ibid. III, 57. Quid? signum Paeanis ex aede Aesculapii praecclare factum, sacrum et religiosum, non sustulisti? quod omnes propter pulchritudinem visere, propter religionem colere solebant. — Atque ille Paean sacrificiis anniuersariis simul cum Aesculapio apud illos colebatur.

---

ibid. III, 66. Homo ridicule insanus, quem Syracusani Theoractum vocant: qui illic eiusmodi est, ut eum pueri sectentur: vt omnes, cum loqui coeperit, irrideant. Huius tamen insania, quae

ridicula est aliis, mihi tum molesta sane fuit. Nam cum spumas ageret in ore, arderent oculi, voce maxima vim me sibi afferre clamaret; copulati in ius peruenimus.

---

ibid. V, 7. Expectatio summa omnium, quidnam id esset: cum exanimatus subito ipse accurrit cum adolescente filio. Nam pater, grandis natu, iam diu lecto tenebatur.

---

ibid. V, 10. Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, iudices, et in Sicilia maxime necessarius, accipite, quam facile sibi iste et iucundum ratione consilioque reddiderit. Primum temporibus hibernis, ad magnitudinem frigorum, et ad tempestatum vim ac fluminum praeclarum sibi hoc remedium comparat: urbem Syracusas elegerat; cuius hic situs atque haec natura esse loci coelique dicitur, ut nullus unquam dies tam magna turbulentaque tempestate fuerit, quin aliquo tempore eius diei solem homines viderent. Hic ita vivebat iste bonus imperator hibernis mensibus, ut eum non facile, non modo extra tectum, sed ne extra lectum quidem quisquam videret: ita diei breuitas, conuiuus; noctis longitudo, stupris et flagitiis conterebatur. Cum autem ver esse coeperat, cuius initium iste non a Fauonio, neque ab aliquo astro notabat, sed, cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur: dabat se labori atque itineribus: in quibus usque eo se praebebat patientem atque impigrum, ut eum nemo unquam in equo sedentem videret.

---

ibid. V, 11. Nam, vt mos fuit Bithyniae regibus, lectica octophoro ferebatur; in qua puluinus erat perlucidus, Melitensi rosa farctus: ipse autem coronam habebat vnā in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi admouebat, tenuissimo lino, minutis maculis, plenum rosae. — Vbi paulisper in cubiculo, pretio, non aequitate iura descripserat; Veneri iam et Libero reliquum tempus deberi arbitrabatur.

---

ibid. V, 13. Hic scilicet est metuendum, ne excitetur Verres, ne denudetur a pectore, ne cicatrices populus Romanus adspiciat, ex mulierum morsu vestigia libidinis atque nequitiae.

---

ibid. V, 14. Vt omnia semper, quae iucunda videntur esse, non modo his extraordinariis cupiditatibus, sed etiam ipsi naturae ac necessitati denegarem.

---

ibid. V, 25. Quid eius sit, vos coniectura quoque assequi debetis.

---

ibid. V, 26. Coniectura bona est.

---

ibid. V, 45. Hunc scitote fuisse Heraclium in ea causa; qui propter grauem morbum oculorum tum non nauigarit, et iussu eius, qui potestatem habuit, cum commeatu, Syracusis remanserit.

---

ibid. V, 49. Matres illorum, vxores, sororesque veniebant; quarum vna, cum ego ad Heracliam noctu accederem, cum omnibus matronis eius ciuitatis et cum multis facibus mihi obuiam venit, et ita, me suam salutem appellans, te suum carnificem nominans, filii nomen implorans, mihi ad pedes misera iacuit, quasi ego excitare filium eius ab inferis possem.

---

ibid. V, 53. Furor enim quidam, sceleris et audaciae comes, istius effrenatum animum, impotunamque naturam tanta oppressit amentia, vt nunquam dubitaret, in conuentu palam supplicia, quae in conuictos maleficii seruos constituta sunt, ea in ciues Romanos expromere.

---

ibid. V, 54. Haec cum maxime loqueretur, sex lictores eum circumsistunt valentissimi, et ad pulsandos verberandosque homines exercitatissimi: caedunt acerrime virgis; denique proximus lictor (de quo saepe iam dixi) Sestius, conuerso bacillo, oculos misero tundere vehementissime coepit. Itaque illi cum sanguis os oculosque complexisset, concidit; cum illi nihilo minus iacenti latera tunderentur, vt aliquando spondere se diceret. Sic ille affectus, illinc tum pro mortuo sublatus, breui postea est mortuus.

---

ibid. V, 58. Quem non ille summo cum studio saluum incolumemque seruauit?

---

Cic. pro A. Caecina 11. An in coacta multitudine, in armis, in telis, in praesenti metu mortis, perspicuo periculo caedis, dubium vobis fuit, vtrum esse vis aliqua videretur, nec ne? Quibus igitur in rebus vis intelligi potest, si in his non intelligetur?

---

ibid. 15. Etenim, recuperatores, non ea sola vis est, quae ad corpus nostrum, vitamque pervenit, sed etiam multo maior ea, quae, periculo mortis iniecto, formidine animum perterritum, loco saepe et certo de statu demouet. Itaque saucii saepe homines, cum corpore debilitantur, animo tamen non cedunt, neque eum relinquunt locum, quem statuerint defendere. At alii pelluntur integri: vt non dubium sit, quin maior adhibita vis ei sit, cuius animus sit perterritus, quam illi, cuius corpus vulneratum sit.

---

Cic. pro L. Manil. 20. Etenim talis est vir, vt nulla res tanta sit, ac tam difficilis, quam ille non et consilio regere et integritate tueri, et virtute conficere possit; sed in hoc ipso ab eo vehementissime dissentio, quod, quo minus certa est hominum ac minus diuturna vita, hoc magis res publica, dum per deos immortales licet, frui debet summi hominis vita atque virtute.

---

Cic. pro A. Cluent. 5. Ea igitur mater Auiti, Melini illius adolescentis, generi sui, contra, quam fas erat, amore capta, primo, neque id ip-

sum diu, quoquo modo poterat, in illa cupiditate continebatur: deinde ita flagrare coepit amentia, sic inflammata ferri libidine, ut eam non pudor, non pudicitia, non pietas, non macula familiae, non hominum fama, non filii dolor, non filiae moeror a cupiditate reuocaret. Animum adolescentis, nondum consilio ac ratione firmatum, pellexit iis omnibus rebus, quibus illa aetas capi ac deliniri potest. Filia, quae non solum illo communi dolore muliebri in eiusmodi viri iniuriis augetur, sed nefarium matris pellicatum ferre non posset, de quo ne queri quidem sine scelere se posse arbitraretur, ceteros sui tanti mali ignaros esse cupiebat: In huius amantissimi sui fratris manibus, et gremio, moerore et lacrymis consenescebat. Ecce autem subitum diuortium: quod solatium malorum omnium fore videbatur. Discedit a Melino Cluentia: ut in tantis iniuriis, non inuita: ut a viro, non libenter. Tum vero illa egregia ac praeclara mater, palam exsultare laetitia, ac triumphare gaudio coepit, victrix filiae, non libidinis. Itaque diutius suspicionibus obscuris laedi famam suam noluit: lectum illum genialem, quem biennio ante filiae suae nubenti strauerat, in eadem domo sibi ornari et sterni, expulsa atque exturbata filia, iubet. Nubit genero socrus, nullis auspiciibus, nullis auctoribus, funestis ominibus omnium,

---

6. O mulieris scelus incredibile, et, praeter hanc vnam, in omni vita inauditum! O libidinem effrenatam et indomitam! O audaciam singularem! non timuisse, si minus vim deorum, hominumque famam, at illam ipsam noctem facesque illas nupti-

ales? non limen cubiculi? non cubile filiae? non parietes denique ipsos, superiorum testes nuptiarum? perfregit ac prostravit omnia cupiditate ac furore: vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.

---

7. Haec cum agere instituisset, oppressa morbo est. Itaque testamentum fecit eiusmodi, ut heredem institueret eundem illum Oppianicum, nepotem suum, atque his diebus paucis est mortua.

---

9. Ille se Tarentum proficisci cum simulasset, eo ipso die puer, cum hora undecima in publico valens visus esset, ante noctem mortuus, et postridie, antequam luceret, combustus est.

---

10. Vos, quaeso, memoria teneatis, — Oppianicum, hominem sceleratissimum, et nocentissimum, esse damnatum: qui uxori suae Cluentiae, quae amita huius auiti fuit, cum ipse poculum dedisset, subito illa, in media portione, exclamavit: se maximo cum dolore mori; nec diutius vixit, quam locuta est; nam in ipso sermone hoc et vociferatione mortua est; et ad hanc mortem tam repentinam, vocemque morientis, omnia praeterea, quae solent esse indicia et vestigia veneni, in illius mortuae corpore fuerunt. Eodemque veneno C. Oppianicum, fratrem, necavit.

---

11. Neque est hoc satis: tametsi in ipso fraterno parricidio nullum scelus praetermissum vi-

detur; tamen, vt ad hoc nefarium facinus accederet, aditum sibi aliis sceleribus ante munivit. Nam cum esset grauida Auria, fratris vxor, et iam appropinquare videretur: mulierem veneno interfecit, vt vna illa, et quod erat ex fratre conceptum, necaretur. Postea fratrem aggressus est: qui sero, iam exhausto illo poculo mortis, cum et de suo, et de vxoris interitu clamaret, testamentumque mutare cuperet, in ipsa significatione huius voluntatis, est mortuus. Ita mulierem, ne partu eius ab hereditate fraterna excluderetur, necauit: fratris autem liberos prius vita priuauit, quam illi hanc ab natura propriam lucem accipere potuerunt: vt omnes intelligerent, nihil ei clausum, nihil sanctum esse posse, cuius ab audacia fratris liberos ne materni quidem corporis custodia tegere potuisset. Memoria teneo, Milesiam quandam mulierem, cum essem in Asia, quod ab heredibus secundis accepta pecunia, partum sibi ipsa medicamentis abegisset, rei capitalis esse damnatam: neque iniuria; quae spem parentis, memoriam nominis, subsidium generis, heredem familiae, designatum reipublicae ciuem, sustulisset. Quanto Oppianicus in eadem iniuria maiore supplicio dignus? siquidem illa, cum suo corpori vim attulisset, se ipsam cruciauit: hic autem idem illud effecit per alieni corporis mortem atque cruciatum. Ceteri non videntur in singulis hominibus multa parricidia suscipere posse: Oppianicus inuentus est, qui in vno corpore plures necaret.

---

12. Itaque cum hanc consuetudinem audaciamque cognosceret auunculus illius adolescentis,

Oppianici, Cn. Magius; isque graui morbo affectus esset, et heredem, illum sororis suae filium, faceret: amicis adhibitis, praesente matre sua, Dinea, vxorem suam interrogauit, essetne praegnans; quae cum se esse respondisset, ab ea petiuit, vt, se mortuo, apud Dineam, quae tum ei mulieri socrus erat, quoad pareret, habitaret, diligentiamque adhiberet, vt id, quod conceperat, seruaret, vt saluum parere posset.

---

13. Fuit Auilius quidam Larinas perdita nequitia et summa egestate, arte quadam praeditus ad libidines adolescentulorum excitandas accommodata: qui, vt se blanditiis et assentationibus in Asinii consuetudinem peritus immersit, Oppianicus continuo sperare coepit; hoc se Auilio, tanquam aliqua machina admota, capere Asinii adolescentiam, et fortunas eius patrias expugnare posse. Cum esset adolescens apud mulierculam quandam atque ibi pernoctaret, et ibi diem posterum commoraretur; Auilius, vt erat constitutum, simulat se aegrotare et testamentum facere velle. Oppianicus obsignatores ad eum, qui neque Asinium, neque Auilium nossent, adducit, et illum, Asinium appellat: ipse, testamento Asinii nomine obsignato, discedit. Auilius illico conualescit. Asinius autem breui illo tempore, quasi in hortulos iret, in arenarias quasdam extra portam Esquilinam perductus, occiditur.

---

14. Quid? auiam tuam, Oppianice, Dineam, cui tu es heres, pater tuus non manifesto necauit?

Ad quam cum adduxisset medicum illum suum, iam cognitum, et saepe victorem, (per quem interfecerat plurimos) mulier exclamat, se ab eo nullo modo velle curari, quo curante suos omnes perdidisset. Tum repente Anconitanum quendam, L. Clodium, pharmacopolam circumforaneum, qui casu tum Larinum venisset, aggreditur, et cum eo H-S. quadringentis, id quod ipsius tabulis tum est demonstratum, transigit. L. Clodius, qui properaret, cui fora multa restarent, simul atque introductus est, rem confecit: prima portione mulierem sustulit; neque postea Larini punctum est temporis commoratus.

---

16. Erat illo tempore infirma valetudine Auitus. Vtebatur autem medico ignobili, sed spectato homine, Cleophanto: cuius serum Diogenem Fabricius ad venenum Auito dandum spe et pretio sollicitare coepit.

---

19. Cum ego pluribus verbis in eo commoratus essem, Scamandro factas insidias esse per Diogenem, constitutumque inter eos de alia re fuisse, vt medicamentum, non venenum Diogenes afferret: hoc cuius usu venire posse: quaerebat, cur in eiusmodi locum, tam abditum, cur solus, cur cum obsignata pecunia venisset.

---

21. Iam hoc quoque prope iniquissime comparatum est, quod in morbis corporis, vt quisque est difficillimus, ita medicus nobilissimus atque

optimus quaeritur: in periculis capitis, vt quaeque causa difficillima est, ita deterrimus obscurissimusque patronus adhibetur; nisi forte haec causa est, quod medici nihil, praeter artificium, oratores etiam auctoritatem praestare debent.

---

53. Vt corpora nostra sine mente: sic ciuitas sine lege, suis partibus, vt neruis, ac sanguine et membris, vti non potest.

---

60. Obiectum est, C. Vibium Capacem ab hoc A. Cluentio veneno esse sublatum. Opportune adest homo summa fide et omni virtute praeditus, L. Praetorius, senator, qui illius Capacis hospes fuit et familiaris. Apud hunc ille Romae habitauit, apud hunc aegrotauit, huius domi est mortuus. — Alterum veneficii crimen, Oppianico huic adolescenti, cum eius in nuptiis, more Larinatium, multitudo hominum pranderet, venenum Auiti consilio paratum: id cum daretur in mulso, Balbutium quendam, eius familiarem, interceptisse, bibisse, statimque esse mortuum. — Nego, illum adolescentem, quem statim epoto poculo mortuum esse dixistis, omnino illo die esse mortuum. Magnum et impudens mendacium. Perspicite cetera. Dico, illum, cum ad illud prandium crudior venisset, et, vt aetas illa fert, sibi tum non pepercisset, aliquot dies aegrotasse, et ita esse mortuum.

---

61. Oppianicum veneno necatum esse, quod ei datum sit in pane per M. Asellium quen-

dam, familiarem illius; idque Auiti consilio factum esse, dicitis.

---

62. Iam vero illud quam non probabile, quam inusitatum, iudices, quam nouum, in pane datum venenum? Faciliusne potuit, quam in poculo? latentius potuit, abditum aliqua in parte panis, quam si totum colliquefactum in potione esset? celerius potuit comestum quam epotum in venas atque in omnes partes corporis permanare? facilius fallere in pane (si esset animaduersum) quam in poculo, cum ita confusum esset, vt secer- ni nullo modo posset? At repentina morte periit. Quod si esset ita factum, tamen ea res, propter multorum eiusmodi mortem, satis firmam veneni suspicionem non haberet. Si esset suspiciosum, tamen ad alios potius, quam ad Auitum pertineret. Verum in eo ipso homines impudentissime mentiuntur. Id vt intelligatis, et mortem eius, et quemadmodum, post mortem, in Auitum sit crimen a matre quaesitum, cognoscite. Cum vagus et exsul erraret, atque vndique exclusus Oppianicus, in Falernum se ad C. Quintilium contulisset: ibi primum in morbum incidit, ac satis vehementer diuque aegrotauit. — Interea Oppianicus cum iam conualesceret, neque in Falerno improbitatem coloni diutius ferre posset, et huc ad urbem profectus esset (solebat enim extra portam aliquid habere conducti) cecidisse ex equo dicitur, et homo infirma valetudine latus offendisse vehementer, et, posteaquam ad urbem cum febre venerit, paucis diebus esse mortuus. Mortis ratio, iudices, eiusmodi est, vt aut nihil habeat suspicionis, aut, si

quid habet, id intra parietes in domestico scelere versetur.

---

63. Post mortem eius **Sassia** statim **moliri** nefaria mulier coepit **insidias** filio: quaestionem habere de viri morte constituit. Emit de **A. Rupilio**, quo erat vsus **Oppianicus** medico, **Stratonem** quendam, quasi vt idem faceret, quod **Auitus** in emendo **Diogene** fecerat. — **Larinum** postquam venit: quae a **Stratone** illo **venenum** antea viro suo datum, sibi persuasum esse simulasset, instructam ei continuo et ornatam, **Larini** medicinae exercendae causa, **tabernam** dedit.

---

64. Hoc ipso fere tempore **Strato** ille medicus domi furtum fecit et caedem eiusmodi. Cum esset in aedibus armarium, in quo sciret esse nummorum aliquantum et auri: noctu duos conseruos dormientes occidit in piscinamque deiecit: ipse armarii fundum exsecuit et atri quinque pondus abstulit, vno ex seruis puero non grandi conscio.

---

65. Mulier iam non morbo, sed scelere furiosa, — in filii caput quaestionem habere conata est. — En hoc illud est, quod ante dixi: mulier abundat audacia; consilio et ratione deficitnr.

---

70. Quam non abesse ab huius iudicio **L. Volusienum**, summo splendore hominem ac virtu-

te praeditum, vellem? quam vellem praesentem posse P. Heluidium Rufum, equitem Romanum, omnium ornatissimum nominare: qui, cum, huius causa, dies noctesque vigilaret, et cum me hanc causam doceret; in morbum grauem periculosumque incidit: in quo tamen non minus de capite huius, quam de sua vita laborat. — At quae mater? quam coecam crudelitate et scelere ferri videtis: cuius cupiditatem nulla vnquam turpitudine retardauit: quae vitiis animi in deterrimas partes iura hominum conuertit omnia: cuius ea stultitia est, vt eam nemo hominem, ea vis, vt nemo foeminam; ea crudelitas, vt nemo matrem appellare possit. Atque etiam nomina necessitudinum, non solum naturae nomen et iura mutauit: vxor generi, nouerca filii, filiae pellex: eo iam denique adducta est, vt sibi, praeter formam, nihil ad similitudinem hominis reseruarit:

---

71. Saepe et multum queretur, deprehensum esse illud quondam Fabricanum venenum. Quod si tum indicatum non esset, non huic aerumnosissimo venenum illud fuisset, sed multorum medicamentum laborum.

---

Cic. de lege agr. c. Rull. XVII, 9. Multa sunt occulta reipublicae vulnera, multa nefariorum ciuium perniciososa consilia: nullum externum periculum est, non rex, non gens vlla, non natio pertimescenda est: inclusum malum, intestinum ac domesticum est; huic pro se quisque nostrum mederi, atque hoc omnes sanare velle debemus.

---

XVIII, 18. Quasi ea res vobis saluti futura sit.

---

XVIII, 35. Non ingenerantur hominibus mores tam a stirpe generis ac seminis, quam ex iis rebus, quae ab ipsa natura loci et vitae consuetudine suppeditantur: quibus alimur et viuimus. Carthaginienses, fraudulentum et mendaces, non genere, sed natura loci, quod, propter portus suos, multis et variis mercatorum et aduenarum sermonibus, ad studium fallendi studio quaestus vocabantur. Ligures, montani, duri atque agrestes. Docuit ager ipse, nihil ferendo, nisi multa cultura et magno labore quaesitum. Campani, semper superbi bonitate agrorum et fructuum magnitudine, urbis salubritate, descriptione, pulchritudine. Ex hac copia, atque omnium rerum affluentia, primum illa nata sunt: arrogantia, quae a maioribus nostris alterum Capua consulem postulauit: deinde ea luxuries, quae ipsum Hannibalem, armis etiam tum inuictum, voluptate vicit.

---

Cic. pro C. Rabirio, 10. Exiguum nobis vita curriculum natura circumscipit, immensum gloriae.

---

ibid. 11. Omnes ii, quorum tu ex aetate coniecturam facere potes.

---

Cic. in Catilin. I, 5. Magna diis immortalibus est habenda — gratia, quod hanc tam tetram,

tam horribilem, tamque infestam reipublicae pestem toties iam effugimus.

---

I, 13. Ut saepe homines aegri morbo graui, cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberint, primo releuari videntur; deinde multo grauius vehementiusque afflictantur; sic hic morbus, qui est in republica, releuatus istius poena, vehementius viuis reliquis ingrauescet.

---

II, 5. Domesticum bellum manet: intus insidiae sunt: intus inclusum periculum est: intus est hostis. Cum luxuria nobis, cum amentia, cum scelere certandum est. Huic ego me bello ducem profiteor, Quirites; suscipio inimicitias hominum perditorum. Quae sanari poterunt, quacunque ratione sanabo. Quae resecanda erunt, non patiar ad perniciem ciuitatis manere.

---

II, 8. Deinde singulis medicinam consilii atque orationis meae, si quam potero, afferam.

---

III, 1. Et, si non minus nobis iucundi atque illustres sunt ii dies, quibus conseruamur, quam illi, quibus nascimur; quod salutis certa laetitia est, nascendi incerta conditio: et quod sine sensu nascimur, cum voluptate conseruamur: profecto, — esse apud vos posterosque vestros in honore debet is, qui — seruauit,

Semper vigilavi et prouidi, — quemadmodum in tantis et tam absconditis insidiis salui esse possemus.

---

III, 2. Deinde, si quid obtigerit, aequo animo paratoque moriar: neque enim turpis mors forti viro potest accidere, neque immatura (Seniori), nec misera sapienti.

---

III, 4. Alter intelligit, mortem a diis immortalibus non esse supplicii causa constitutam: sed aut necessitatem naturae, aut laborum ac miseriarum quietem esse. Itaque eam sapientes nunquam inuiti, fortes etiam saepe libenter optauerunt.

---

Cic. pro Murena, 21. Ex vultu candidatorum coniecturam faciunt, quantum quisque animi et facultatis habere videatur.

---

23. Morbi excusationi poena addita est: voluntas offensa multorum, quibus aut contra valetudinis commodum laborandum est, aut incommodo morbi etiam ceteri vitae fructus relinquendi.

---

Cic. pro Flacco, 2. Quamobrem, nisi hoc loco, nisi apud vos, nisi per vos, — salutem nostram, quae spe exigua extremaque pendet, tenuerimus; nihil est praeterea, quo confugere possimus.

---

ibid. 30. Vxorem abduxit ab Amynta praegnantem: quae peperit apud Decianum filiam, hodieque apud Decianum est vxor Amyntae et filia. — Restituat vxorem: reddat misero patri filiam. Nam membra quae debilitauit lapidibus, fustibus, ferro: manus, quas contudit: digitos, quos confregit: neruos, quos concidit, restituere non potest. Filiam, filiam, inquam, aerumnoso patri, Deciane, redde.

---

Cic. pro Sulla, 16. Mihi cuiusquam salus tanti fuisset, vt mean negligerem?

---

ibid. 22. Neque ego tantum fraterno amori dandum arbitror, vt quisquam de salute suorum consulat, communem relinquat.

---

Cic. pro Archia poëta, 6. Ego vero fateor, me his studiis esse deditum; ceteros pudeat, si qui ita se litteris abdiderunt, vt nihil possent ex his neque ad communem afferre fructum, neque in adspectum lucemque proferre. Me autem quid pudeat, qui tot annos ita viuo, iudices, vt ab nullo vnquam me tempore aut commodo, aut otium meum abstraxerit, aut voluptas auocarit, aut denique somnus retardarit.

---

Cic. ad Quirit. post redit. 1. Sed tanquam bona valetudo iucundior est eis, qui e graui morbo recreati sunt, quam qui nunquam aegro

corpore fuerunt: sic ea omnia desiderata magis, quam assidue percepta, delectant.

---

6. An ego — dubitarem, quin is me, confectum consularibus vulneribus, consulari medicina ad salutem reduceret?

---

Cic. post redit. in Senatu, 4. Nec enim eguissem medicina consulari, nisi consulari vulnere concidissem.

---

9. Qui me a morte ad vitam, a desperatione ad spem, ab exitio ad salutem reuocauit.

---

Cic. pro dom. sua ad Pontif. 5. Res erat non in opinione dubia, sed in praesenti, atque ante oculos proposito periculo: neque id coniectura prospiciebamus, sed iam experti videbamus.

Quid, si vtrumque fuit, et vt fames stimularet homines, et tu in hoc vlcere, tanquam vnguis, existeres? Nonne fuit eo maior adhibenda medicina, quae et illud natiuum et hoc delatum malum sanare posset?

---

36. An ego poteram, cum a tot rerum tanta varietate diuellerer, (quas idcirco praetero, quod ne nunc quidem sine fletu commemorare possum) infitiri me esse hominem, et communem naturae sensum repudiare? Tum vero neque illud meum

factum laudabile, nec beneficium vllum a me in rempublicam profectum dicerem, si quidem ea reipublicae causa reliquissem, quibus aequo animo carerem: eamque animi duritiam, sicut corporis, quod cum vritur, non sentit, stuporem potius, quam virtutem putarem.

---

40. Ex quo intelligitur, multa in vita falso homines opinari: cum ille, qui nihil viderat sciens, quod nefas esset, lumina amisit; istius, qui non solum adspectu, sed etiam incesto flagitio et stupro polluit caeremonias, poena omnis oculorum ad coecitatem mentis est conuersa.

---

Cic. de harusp. respons. 16. Quem ille, propter pecuniam, quam ab eo extorquere non poterat, in vincula coniecit, et medicum intromisit suum, qui legato, socio, amico, libero foedissime et crudelissime venas incideret. — Quales hunc carnifices putamus habere, qui etiam medicis suis non ad salutem, sed ad necem vtatur?

---

18. An tibi luminis obsesset coecitas plus quam libidinis? ne id quidem sentis, conuiuentes illos oculos ab aui tui magis optandos fuisse, quam hos flagrantis sororis? — A diis quidem immortalibus quae potest homini maior esse poena furore atque dementia? — Nam corporis quidem nostri infirmitas multos subit casus per se: denique ipsum corpus tenuissima saepe de causa conficitur: deorum tela in impiorum mentibus figuntur.

Quare miserior es, cum in omnem fraudem raperis oculis, quam si omnino oculos non haberes.

---

Cic. pro P. Sextio, 8. Tanta erat grauitas in oculo, tanta contractio frontis, vt illo supercilio respública, tanquam Atlante coelum, niti videretur.

---

13. Mihi autem hoc propositum est ostendere, omnia consilia P. Sextii, mentemque totius tribunatus hanc fuisse, vt afflictæ et perditæ reipublicæ, quantum posset, mederetur. Ac, si in exponendis vulneribus illis de me ipso plura dicere videbor, ignoscite. Nam et illam meam cladem vos et omnes boni maximum esse reipublicæ vulnus iudicastis.

---

19. Interfectus esset is, qui hac vna medicina sola potuit a reipublicæ peste depelli.

---

21. Nihil ipse legendo quaerendoque cognoueram? nesciebam vitæ breuem esse cursum, gloriæ sempiternum? Cum esset omnibus definita mors, optandum esse, vt vita, quæ necessitati deberetur, patriæ potius donata quam reseruata naturæ videretur? Nesciebam, inter sapientissimos homines hanc contentionem fuisse, vt alii dicerent animos hominum sensusque morte restringi, alii autem tum maxime mentes sapientium ac fortium virorum, cum e cor-

pore excessissent, sentire ac vigere? quorum alterum fugiendum non esse, carere sensu: alterum etiam optandum, meliore esse sensu.

---

25. Sed, — reliquas illius anni pestes recordamini; sic enim facillime perspicietis, quantam vim omnium remediorum a magistratibus proximis respublica desiderarit.

---

29. Meministis illum diem, cum, templo a collega occupato, nobis omnibus de vita eius viri et ciuis timentibus, ipse animo fortissimo venit in templum, et clamorem hominum auctoritate, impetum improborum virtute sedauit.

---

52. Nemo sibi nec valetudinis excusationem, nec senectutis, satis iustam putauit.

---

65. Non est ea medicina, cum sanae parti corporis scalpellum adhibetur atque integrae: **car-nificina** est ista et crudelitas. Hi medentur rei-publicae, qui exsecant pestem aliquam, tanquam strumam ciuitatis.

---

Cic. in Vatin. 5. Omniaque mea tela sic in te conicientur, vt nemo per tuum latus (quod soles dicere) saucietur. In tuis pulmonibus ac visceribus haerebunt.

---

Cic. pro M. Coelio, 6. Illa vero, — in illo homine mirabilia fuerunt, — versare suam naturam et regere ad tempus, atque huc et illuc torquere et flectere: cum tristibus seuerè, cum remissis iucunde, cum senibus grauius, cum iuventute comiter, cum facinorosis audaciter, cum libidinosè luxuriose viuere.

---

12. Equidem multos et vidi in hac ciuitate et audiui, non modo qui primoribus labris gustassent genus hoc vitae, et extremis, vt dicitur, digitis attigissent, sed qui totam adolescentiam voluptatibus dedissent, emersisse aliquando, et se ad frugem bonam, vt dicitur, recepisse, grauesque homines atque illustres fuisse. Datur enim concessu omnium huic aliquis ludus aetati, et ipsa natura profundit adolescentiae cupiditates: quae si ita erumpunt, vt nullius vitam labefactent, nullius domum euertant, faciles et tolerabiles haberi solent.

---

19. At vero in M. Coelio (dicam enim iam confidentius de studiis eius honestis, quoniam audeo quaedam, fretus vestra sapientia, libere confiteri) nulla luxuries reperietur, nulli sumptus, nullum aes alienum, nulla conuiuiorum ac lustrorum libido; quod quidem vitium ventris et gutturis non modo non minuit aetas hominibus, sed etiam auget. Amores autem et hae deliciae quae vocantur, quae firmiore animo praeditis diutius molestae non solent esse (mature enim et celeriter deflorescunt) nunquam hunc occupatum impeditumque tenuerunt.

---

20. Nihil igitur illa vicinitas redolet? nihil hominum fama? nihil Baiæ denique ipsae loquuntur? Illae vero non loquuntur solum, verum etiam personant, huc vnus mulieris libidinem esse prolapsam, vt ea non modo solitudinem ac tenebras, atque haec flagitiorum integumenta non quaerat, sed in turpissimis rebus frequentissima celebritate et clarissima luce laetetur. Verum si quis est, qui etiam meretriciis amoribus interdictum iuuentuti putet: est ille quidem valde severus: negare non possum: sed abhorret non modo ab huius seculi licentia, verum etiam a maiorum consuetudine atque concessis. Quando enim hoc factum non est? quando reprehensum? quando non permissum? quando denique fuit, vt, quod licet, non liceret? Hic ego iam rem definiam: mulierem nullam nominabo: tantum in medio relinquam. Si quae non nupta mulier domum suam patefecerit omnium cupiditati, palamque sese in meretricia vita collocarit, virorum alienissimorum conuiujs vti instituerit, si hoc in vrbe, si in hortis, si in Baiarum illa celebritate faciet; si denique ita sese geret, non incessu solum, sed ornatu atque comitatu; non flagrantia oculorum, non libertate sermonis, sed etiam complexu, osculatione, aquis, navigatione, comiujs, vt non solum meretrix, sed etiam, proçax videatur; cum hac si quis adolescens forte fuerit, vtrum hic tibi, L. Herenni, adulter, an amator: expugnare pudicitiam, an explere libidinem voluisse videatur? — Si qua mulier sit huiusmodi, qualem ego paullo ante descripsi, tui dissimilis, vita institutoque meretricio, cum hac aliquid adolescentem hominem habuisse

rationis, num tibi perturpe aut perflagitiosum esse videatur? Ea si tu non es, sicut ego malo, quid est, quod obiiciant Coelio? sin eam te volunt esse, quid est, cur nos crimen hoc, si tu contemnis, pertimescamus?

---

Cic. in L. Pison. 1. Non enim nos color iste servilis, non pilosae genae, non dentes putridi deceperunt: oculi, supercilia, frons, vultus denique totus, qui sermo quidam tacitus mentis est, hic in fraudem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit. Pauci ista tua lutulenta vitia noueramus; pauci tarditatem ingenii, stuporem debilitatemque linguae.

---

3. Sine vlla dubitatione iuravi, rempublicam atque hanc urbem mea vnus opera esse saluam.

---

6. Meministine, coenum, cum ad te quinta fere hora cum C. Pisone venissem, nescio quo eurgustio te prodire, inuoluto capite, soleatum? et, cum isto ore foetido taeterrimam nobis popinam inhalasses, excusatione te vti valetudinis, quod diceres, vinolentis te quibusdam medicaminibus solere curari? quam nos causam cum accepissemus (quid enim facere poteramus?) paullisper stetimus in illo ganearum tuarum nidore atque fumo: vnde tu nos, cum improbissime respondendo, tum turpissime eructando, eiecisti.

---

17. Nam ille gurges atque helluo, natus abdomini suo, non laudi atque gloriae.

---

18. Sed dicunt isti ipsi, qui mala dolore, bona voluptate definiunt, sapientem, etiam si in Phalaridis tauro inclusus succensis ignibus torreatur, dicturum tamen, suaue illud esse, seseque ne tantulum quidem commoueri. Tantam virtutis esse vim voluerunt, vt non posset vnquam esse vir bonus non beatus.

---

19. Neque vero ego, si vnquam vobis mala precarer, quod saepe feci, in quo dii immortales meas preces audiuerunt, morbum, aut mortem, aut cruciatum precarer.

---

20. Mihi enim non venerat in mentem, furorem et insaniam optare vobis, in quam incidistis. Atqui fuit optandum. Me tamen fugerat, deorum immortalium has esse in impios et consceleratos poenas certissimas constitutas. Nolite enim putare, patres conscripti, vt in scena videtis, homines consceleratos impulsu deorum terreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus, suum facinus, suum scelus, sua audacia de sanitate ac mente deturbat. Hae sunt impiorum furiae, hae flammae, hae faces.

Quid est aliud furere, non cognoscere homines, non cognoscere leges, non senatum, non ciuitatem? cruentare corpus suum? maior haec est vitae, famae, salutis suae vulneratio. Si famili-

am tuam dimisisses, quod ad neminem, nisi ad ipsum te, pertineret, amici te tui constringendum putarent. Praesidium tu populi Romani, custodiam prouinciae, iniussu populi senatusque dimisisses, si tuae mentis compos fuisses?

---

21. Hic si mentis esset suae. — Ille, si non acerrime fureret.

---

25. Hic homullus, ex argilla et luto fictus Epicureus.

Qui (vt noster ille diuinus dixit Epicurus) neque propitii cuiquam esse solent, neque irati. —

Inania sunt ista, mihi crede, delectamenta paene puerorum, captare plausus, vehi per urbem, conspici velle; quibus ex rebus nihil est, quod solidum tenere, nihil quod referre ad voluptatem corporis possis.

---

27. Manus tibi ne afferantur times. Dolor enim est malum, vt disputas: existimatio, dedecus, infamia, turpitude, verba sunt atque ineptiae.

Solet enim in disputationibus suis oculorum et aurium delectationi abdominis voluptates anteferre. — Luxuriam autem in isto nolite hanc cogitare.

Est enim quaedam, quanquam omnis est vitiosa atque turpis, tamen ingenuo ac libero dignior. Nihil apud hunc lautum, nihil elegans; nihil exquisitum (laudabo inimicum) ne magnopere quidem

quidem quidquam, praeter libidines, sumptuosum; toreuma nullum; maximi calices, et hi, ne contemnere suos videatur, Placentini: exstructa mensa, non conchyliis, aut piscibus, sed multa carne subrancia. Serui sordidati ministrant; nonnulli etiam senes: idem coquus, idem atriensis: pistor domi nullus, nulla cella; panis et vinum a propola atque de cupa: Graeci stipati, quini in lectulis, saepe plures; ipse solus: bibiturus quae eodem de solio ministrentur. Vbi galli cantum audiuit, auum suum reuixisse putat: mensam tolli iubet.

---

34. Quem ne maiorum quidem more supplicio affecisti, cum miser ille securibus hospitis sui cervices subiicere gestiret: sed ei medico, quem tecum eduxeras, imperasti, vt **VENAS** hominis incidere.

---

35. Tua scelera dii immortales in nostros milites expiauerunt: qui cum **VNO** genere morbi affligerentur, neque se recreare quisquam posset, qui semel incidisset; dubitabat nemo, quin violati hospites, legati necati, pacati atque socii nefario bello laccessiti, fana vexata, hanc tantam efficerent vastitatem.

---

Cic. pro T. Ann. Milone, 4. Est igitur haec, iudices, non scripta, sed nata lex: quam non didicimus, accepimus, legimus: verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus:

ad quam non docti, sed facti; non instituti sed imbuti sumus: ut, si vita nostra, in aliquas insidias, si in vim, si in tela aut latronum, aut inimicorum incidisset: omnis honesta ratio esset expediendae salutis.

---

7. Quantum luctum in hac urbe fuisse a nostris patribus accepimus, cum P. Africano domi suae quiescenti illa nocturna vis esset illata? quis tum non gemit? quis non arsit dolore? quem immortalem, si fieri posset, omnes esse cuperent, eius ne necessariam quidem expectatam esse mortem?

Ei viro autem mors parabatur, cuius in vita nitebatur salus ciuitatis.

---

8. Sed homo sapiens, et alta et diuina quadam mente praeditus, multa vidit.

---

24. Non poteram in illius mei patriaeque custodis tanta suspicione non metu exanimari: sed mirabar tamen credi popae: confessionem seruorum audiri: vulnus in latere, quod acu punctum videretur, pro ictu gladiatoris probari.

---

30. (quanquam qui poterat salus sua cuique non probari?)

---

37. His lacrymis non movetur Milo; est quodam incredibili robore animi: exilium ibi esse

putat, vbi virtuti non sit locus: mortem naturae finem esse, non poenam.

---

Cic. pro C. Rabir. Post. 6. Serpet hoc malum (mihi credite) longius quam putatis.

---

7. Sed hanc vitam quietam atque otiosam secuti sumus; quae, quoniam honore caret, careat etiam molestia.

---

12. Nec mihi longius quidquam est, iudices, quam videre hominum vultus.

---

14. Mors ob oculos saepe versata est.

---

17. Sed iam omnia timeo: bonitatis ipsius inuidiam reformido. Iam indicat tot hominum fletus, quam sis carus tuis: et me dolor debilitat includitque vocem.

---

Cic. pro M. Marcello, 6. Quare gaude tuo isto tam excellenti bono: et fruire cum fortuna et gloria, tum etiam natura et moribus tuis: ex quo quidem maximus est fructus iucunditasque sapienti.

---

7. Tua enim cautio nostra cautio est: vt, si in alterutro peccandum sit, malim videri nimis ti-

midus, quam parum prudens. — Nam quis est omnium tam ignarus rerum, tam rudis in republica, tam nihil vnquam nec de sua, nec de communi salute cogitans, qui non intelligat, tua salute contineri suam? et ex vnus tua vita pendere omnium? Equidem de te dies noctesque, vt debeo, cogitans, casus duntaxat humanos, et incertos euentus valetudinis, et naturae communis fragilitatem extimesco: doleoque, cum respublica immortalis esse debeat, eam in vnus mortalis anima consistere. Si vero ad humanos casus incertosque euentus valetudinis sceleris etiam accedat insidiarumque consensio: quem deum, si cupiat, opitulari posse reipublicae credamus?

---

8. Quae quidem nunc tibi omnia belli vulnera curanda sunt: quibus, praeter te, mederi nemo potest.

---

10. Restat, vt omnes vnum velint, qui modo habent aliquid non solum sapientiae, sed etiam sanitatis. Nisi te, C. Caesar, saluo et in ista sententia, qua cum antea, tum hodie vel maxime vsus es, manente, salui esse non possumus. Quare omnes te, qui haec salua esse volumus, et hortamur et obsecramus, vt vitae, vt salutis tuae consulas: omnesque tibi, vt pro aliis etiam loquar, quod de me ipse sentio, quoniam subesse aliquid putas, quod cauendum sit, non modo excubias et custodias, sed etiam laterum nostrorum oppositus et corporum pollicemur.

11. Quod autem summae benevolentiae est, quae mea erga illum omnibus semper nota fuit, ut vix C. Marcello, optimo et amantissimo fratri, praeter eum quidem, cederem nemini, cum id sollicitudine, cura, labore, tam diu praestiterim, quam diu est de illius salute dubitatum: certe hoc tempore, magnis curis, molestiis, doloribus liberatus, praestare debeo.

---

Cic. pro Q. Ligario, 7. Cum ipse non adesset, morbo etiam impediretur.

---

11. Vidi enim et cognoui, quid maxime spectares, cum pro alicuius salute multi laborarent.

---

12. Homines enim ad deos nulla re propius accedunt quam salutem hominibus dando. Nihil habet nec fortuna tua maius quam ut possis, nec natura tua melius, quam ut velis conseruare quamplurimos.

---

Cic. pro rege Deiotaro, 6. Ego mehercule, C. Caesar, initio, cum est ad me ista causa delata, Phidippum medicum, seruum regium, qui cum legatis missus esset, ab isto adolescente esse corruptum, hac suspitione sum percussus: medicum indicem subornabit: finget videlicet aliquod crimen veneni. Etsi a veritate longe, tamen a consuetudine criminandi non multum res abhorrebat.

---

Quid ait medicus? nihil de veneno. At id fieri potuit: primo occultius in potione, vel in cibo: deinde etiam impunius fit, quod, cum est factum, negari potest. Si palam te interemisset; omnium in se gentium non solum odia, sed etiam arma conuertisset. Si veneno: Iouis illius quidem hospitalis numen nunquam celare potuisset, homines fortasse celauisset. Quod igitur et occultius conari et efficere cautius potuit; id tibi, et medico callido, et seruo, ut putabat, fidei, non credidit: de armis, de ferro, de insidiis celare te noluit?

---

Cic. Philippica II, 15. Neque vero eram tam indoctus ignarusque rerum, ut frangerer animo, propter vitae cupiditatem, quae me manens conficeret angoribus: dimissa molestiis omnibus liberasset. — Quorum ego vitae consulebam.

---

II, 25. Sed haec, quae robustioris improbitatis sunt, omittamus: loquamur potius de nequissimo genere leuitatis. Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate, tantum vini in Hippiae nuptiis exhauseras, ut tibi necesse esset, in populi Romani conspectu vomere postridie. O rem non modo visu foedam, sed etiam auditu! Si inter coenam, in ipsis tuis immanibus illis poculis, hoc tibi accidisset, quis non turpe duceret? in coetu vero populi Romani, negotium publicum gerens, magister equitum, cui ructare turpe esset, is vomens, frustis esculentis, vinum redolentibus, gremium suum et totum tribunal impleuit.

---

II, 28. Quamuis enim sine mente, sine sensu sis, vt es: tamen et te, et tua, et tuos nosti. Nec vero te vnquam neque vigilantem, neque in somnis credo mente posse consistere. Necesse est, quamuis sis, vt es, violentus et furens, cum tibi obiecta sit species singularis viri, perterritum te de somno excitari, furere etiam saepe vigilantem.

---

II, 32. Nec enim est ab homine nunquam sobrio postulanda prudentia.

---

II, 38. Tu mentis es compos? tu non constringendus?

---

II, 39. Medico tria millia iugerum, quasi te sanasset.

---

II, 41. At quam multos dies in ea villa turpissime est perbacchatus? ab hora tertia bibebatur, ludebatur, vomebatur. — At vero, te inquilino (non enim domino) personabant omnia vocibus ebriorum: natabant pauimenta vino, mdebant parietes: ingenui pueri cum meritoriis; scorta inter matresfamilias versabantur. — At iste operta lectica latus est per oppidum, vt mortuus.

---

II, 45. Sed nimirum, vt quidam, morbo aliquo et sensus stupore, suauitatem cibi non sentiunt: sic libidinosi, auari, facinorosi, verae laudis gustum non habent.

---

III, 5. Quanquam mortem quidem omnibus natura proposuit: crudelitatem mortis et dedecus virtus propulsare solet.

---

V, 11. Si per se ipse sanus, quod nunquam erit; per hos esse ei tamen non licebit. — Omne malum nascens facile opprimitur; inueteratum fit plerumque robustius.

---

VIII, 2. Qui cum esset infirmus ex graui diuturnoque morbo, nullam sibi putauit excusationem esse oportere, cum ad reipublicae praesidium vocaretur.

---

VIII, 5. In corpore si quid eiusmodi est, quod reliquo corpori noceat, vni secarique patimur; vt membrum aliquod potius, quam totum corpus intereat.

---

VIII, 10. Turpis autem fuga mortis omni est morte peior. — Ego, P. C. Q. Scaevolam, augurum, memoria teneo, bello Marsico, cum esset summa senectute et perdita valetudine, quotidie simul atque luceret, facere omnibus conueniendi sui potestatem: neque eum quisquam illo bello vidit in lecto: senexque et debilis primus veniebat in curiam.

---

VIII, 1. Quod si cuiquam iustus honos habitus est in morte legato, in nullo iustior quam in

Ser. Sulpicio reperietur. Ceteri, qui in legatione mortem obierunt, ad incertum vitae periculum sine vilo mortis metu profecti sunt: Ser. Sulpicius cum aliqua perueniendi ad M. Antonium spe profectus est, nulla reuertendi. Qui cum ita affectus esset, vt, si ad grauem valetudinem labor viae accessisset, sibi ipse diffideret: non recusauit, quominus vel extremo spiritu, si quam opem reipublicae ferre posset, experiretur. Itaque non illum vis hiemis, non niues, non longitudo itineris, non asperitas viarum, non morbus ingrauescens retardauit: cumque iam ad congressum colloquiumque eius peruenisset, ad quem erat missus, in ipsa cura et meditatione obeundi sui muneris excessit e vita. — Ego autem, patres conscripti, sic interpretor sensisse maiores nostros, vt causam mortis censuerint, non genus esse quaerendum.

---

VIII, 3. At ille properans festinansque, mandata nostra conficere cupiens, in hac constantia, morbo aduersante, perseuerauit.

---

VIII, 5. Reddite igitur, patres conscripti, ei vitam, cui ademistis. Vita enim mortuorum in memoria viuorum est posita.

---

VIII, 7. Cum Ser. Sulpicius, Q. F. Lemonia; Rufus, difficillimo reipublicae tempore, graui periculosoque morbo affectus, auctoritatem senatus salutemque reipublicae vitae suae praeposuerit, contraque vim grauitatemque morbi con-

tenderit, vt ad castra Antonii, quo senatus eum miserat, perueniret: isque, cum iam prope castra venisset, vi morbi oppressus, vitam amiserit in maximo reipublicae munere: eiusque mors consentanea vitae fuerit, sanctissime honestissimeque actae, in qua saepe magno vsui reipublicae Ser. Sulpicius et priuatus et in magistratibus fuerit.

---

X, 6. Quocumque venisset, lux venisse quaedam, et spes salutis videretur.

---

X, 8. At horum alter, nondum ex longinquitate grauissimi morbi recreatus, quidquid habuit virium, id in eorum libertatem defendendam contulit, quorum votis iudicauit se a morte reuocatum: alter virtutis robore firmior quam aetatis, cum istis ipsis veteranis ad D. Brutum liberandum profectus est. — Quis aut sapientior ad coniecturam rerum futurarum? aut ad propulsandum metum diligentior?

---

XI, 3. Est enim sapientis, quidquid homini accidere possit, id praemeditari ferendum modice esse, si euenerit; maioris omnino est consilii, providere, ne quid tale accidat: sed animi non minoris, fortiter ferre, si euenerit.

---

XI, 4. Dolores Trebonius pertulit magnos: multi, ex morbi grauitate maiores: quos tamen non

miseros, sed laboriosos dicere solemus. Longus fuit dolor bidui: at compluribus, annorum saepe multorum. Nec vero grauiora sunt carnificum tormenta, quam interdum cruciamenta morborum. — Quo maior vis est animi quam corporis, hoc sunt grauiora ea, quae concipiuntur animo, quam illa, quae corpore.

---

XII, 8. Quid? vitae censetisne, patres conscripti, habendam mihi aliquam esse rationem? quae mihi quidem minime cara est, praesertim cum Dolabella fecerit, vt optanda mors esset modo sine cruciatu atque tormentis. — Quod cum ita sit, nihilne mihi de periculo meo cogitandum putatis?

---

XII, 9. Cuius in complexu libenter extremum vitae spiritum ediderim.

---

XII, 12. Custodiatur igitur mea vita reipublicae, eaque, quoad vel dignitas, vel natura patietur, patriae reseruetur: MORS autem necessitatem habeat fati, aut, si ante oppetenda est, oppetatur cum gloria.

---

XIII, 11. Veneficum audes appellare eum virum, qui tuis veneficiis remedia inuenit? — Nimirum recte veneficum appellas, a quo tibi praesentem pestem vides comparatam.

---

XIII, 12. Breuis a natura nobis vita data est: at memoria bene redditae vitae sempiterna. Quae si non esset longior quam haec vita; quis esset tam amens, qui maximis laboribus et periculis ad summam laudem gloriamque contenderet?

---

Cic. ep. ad Lentul. I, 7. Tu, rebus tuis integris, discas, neque salutis nostrae rationem habendam nobis esse sine dignitate, neque dignitatis sine salute.

---

I, 9. Qui me homines quod saluum esse voverunt, est mihi gratissimum: sed vellem non solum salutis meae, quemadmodum medici, sed, vt alyptae, etiam virium et coloris rationem habere voluissent.

---

Cic. ep. ad Curion. etc. II, 16. Quod est igitur meum triste consilium? vt discederem fortasse in aliquas solitudines? Nosti enim non modo stomachi mei, cuius tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum, in hominum insolentium indignitate, fastidium.

Hoc adpersi, vt scires, me tamen in stomacho solere ridere.

---

Cic. ad Ser. Sulpic. III, 1. Caius Trebatius, familiaris meus, ad me scripsit, te ex se quaesisse, quibus in locis essem, molesteque to

ferre, quod me propter valetudinem tuam, cum ad urbem accessissem, non vidisses.

III, 5. Hactenus existimo nostram consolationem recte adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de rebus, quibus leuari possent molestiae tuae. Reliqua sunt in te ipso, neque mihi ignota, nec minima solatia, ut quidem ego sentio, multo maxima: quae ego experiens quotidie, sic probo, ut ea mihi salutem afferre videantur.

Ser. Sulp. ep. ad Cic. III, 5. Quoties in eam cogitationem necesse est et tu veneris, et nos saepe incidimus, hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum vita commutare?

Hem! nos homunculi indignamur, si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum vita brevior esse debet, cum vno loco tot oppidum cadavera proiecta iaceant?

In vnius mulierculae animula si iactura facta est, tanto opere commoueris? quae si hoc tempore non diem suum obisset, paucis post annis tamen ei moriendum fuit: quoniam homo nata fuerat.

Denique noli te obliuisci Ciceronem esse, et eum, qui aliis consueris praecipere et dare consilium: neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur tenere se medicinae scientiam, ipsi se curare non possunt: sed potius, quae aliis tute praecipere soles, tute tibi subiice, atque

apud animum propone. Nullus dolor est, quem non longinquitas temporis minuat ac molliat.

---

Cic. ep. ad Ser. Sulp. III, 6. Nunc autem, hoc tam graui vulnere, etiam illa, quae consanuisse videbantur, recrudescunt.

---

III, 9. Tempori cedere, id est, necessitati parere, semper sapientis est habitum.

Mihi salus tua tantae curae est, vt Marcello, fratri tuo, aut par, aut certe proximus sim. Tuum est, consulere temporibus, et incolumitati, et vitae, et fortunis tuis.

---

Ser. Sulp. ep. ad Cic. III, 12. Postridie eius diei, cum ab Athenis proficisci in animo haberem, circiter hora decima noctis, P. Postumius ad me venit et mihi nuntiauit, M. Marcellum, collegam nostrum, post coenae tempus, a P. Magio Cilone, familiare eius, pugione percussum esse, et duo vulnera accepisse; vnum in stomacho, alterum in capite, secundum aurem: sperare tamen eum viuere posse. Magium seipsum interfecisse: postea se a Marcello ad me missum esse, qui haec nuntiaret et rogaret, vt cogere[m] medicos. Coëgi et e vestigio eo sum profectus prima luce. Cum non longe a Piraeo abessem, puer Acidini obuiam mihi venit cum codicillis, in quibus erat scriptum, paullo ante lucem Marcellum diem suum obiisse. — Coactus sum in eadem illa lectica, qua ipse delatus eram, meisque lecticariis in urbem eum refer-

re: ibique pro ea copia, quae Athenis erat, funus ei satis amplum faciendum curavi. Ab Atheniensibus locum sepulturae intra urbem ut darent, impetrare non potui, quod religione se impediri dicerent; neque tamen id antea cuiquam concesserant. Quod proximum fuit, uti, in quo vellemus gymnasio, eum sepeliremus, nobis permiserunt. Nos in nobilissimo orbis terrarum gymnasio Academiae locum delegimus, ibique eum combussimus: posteaque curauimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. Ita, quae nostra officia fuerunt, pro collegio, et propinquitate, et viuo et mortuo omnia ei praestitimus.

---

Cic. ep. ad Metell. etc. V, 12. Quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, posteaquam ei percontanti dictum est, clypeum esse saluum: ut etiam in vulneris dolore aequo animo cum laude moreretur.

---

V, 15. Illius tanti vulneris quae remedia esse debebant, ea nulla sunt. — Itaque sic literis utor, in quibus consumo omne tempus, non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguam doloris obliuionem petam.

---

V, 16. Etsi vnus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus, quod tantum ex

tuis molestiis cepi doloris, ut consolatione ipse egerem: tamen, cum longius a summi luctus acerbitate meus abesset dolor, quam tuus; statui nostrae necessitudinis esse, meaeque in te beniuolentiae, non tacere tanto in tuo moerore tam diu: sed adhibere aliquam modicam consolationem, quae leuare dolorem tuum posset, si minus sanare potuisset. Est autem consolatio peruulgata quidem illa maxime, quam semper in ore atque in animo habere debemus, homines nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunae proposita sit vita nostra: neque esse recusandum, quominus ea, qua nati sumus, conditione uiuamus: neue tam graviter eos casus feramus quos nullo consilio vitare possimus; euentisque aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis noui cogitemus. — Ut ea non dicam, quae saepissime et legi et audiui, nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quam mors ducenda sit; sin sit amissus, nulla videri miseria debeat, quae non sentiatur. — Etenim eum semper te et priuatis in rebus et publicis praestitisti, tuenda tibi ut sit grauitas et constantiae seruiendum. Nam, quod allatura est ipsa diuturnitas, quae maximos luctus vetustate tollit, id nos praecipere consilio prudentiaque debemus. Etenim si nulla vnquam fuit, liberis amissis, tam imbecillo mulier animo, quae non aliquando lugendi modum fecerit: certe nos, quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus, neque expectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus.

---

V, 17. Ne hoc quidem praetermittendum esse duxi, te ut hortarer, rogaremque, ut et hominem te et virum esse meminisses, id est, ut et communem incertumque casum, quem neque vitare quisquam nostrum, nec praestare villo pacto potest, sapienter ferres; et dolori fortiter ac fortunae resisteres.

---

V, 21. Sed, ut illa secunda moderate tulimus, sic hanc non solum aduersam, sed funditus euersam fortunam fortiter ferre debemus; ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debeamus, propterea quod nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti, non modo contemnere debeamus, sed etiam optare. — Tu ita fac cupidus mei videndi sis, ut istinc te ne moueas tam infirma valetudine, nisi ex me prius quaesieris per literas, quid te velim facere. Me velim, ut facis, diligas, valetudinique tuae et tranquillitati animi seruias. Vale.

---

Cic. ep. ad Torqu. etc. VI, 1. Nam, etsi, quocumque in loco quisquis est, idem est ei sensus et eadem acerbitas ex interitu rerum et publicarum et suarum: tamen oculi augent dolorem, qui ea quae ceteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere a miseriis cogitationem sinunt. — Nec tamen is ipse, a quo salus petitur, habet explicatam aut exploratam rationem salutis suae. — Cuius tanti mali, quamuis docti viri multa dicant, tamen vereor, ne consolatio nulla

possit vera reperiri, praeter illam, quae tanta est, quantum in cuiusque animo roboris est atque nervorum. — Simus igitur ea mente, qua ratio et virtus praescribit, ut nihil in vita nobis praestandum, praeter culpam, putemus: eaque cum careamus, omnia humana placate et moderate feramus.

---

VI, 2. Peto a te, ne me putes obliuione tui rarius ad te scribere, quam solebam, sed aut gravitate valetudinis, qua tamen iam paullum videor leuari; aut quod absim ab vrbe, ut, qui ad te proficiscantur, scire non possim. — Misera est illa quidem consolatio, tali praesertim ciui et viro, sed tamen necessaria, nihil esse praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat vniuersis.

---

VI, 3. Ita enim viuere, ut non sit viuendum, miserrimum est. Mori autem nemo sapiens miserum dixit, ne beato quidem.

---

VI, 4. Eius enim, qui tardior in te leuando fuit, quam fore putaremus, non est mihi dubia de tua salute sententia. — Quanto fuerim dolore meministi. — Deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si iam vocer ad exitum vitae, non ab ea republica auellar, qua carendum esse doleam, praesertim cum id sine vilo sensu futurum sit. Adiuuat etiam aetas; et acta iam vita, quae cum cursu suo bene confecto delectatur, tum vetat in eo vim timere, quo nos iam natura ipsa paene perduxerit. — Equidem mihi

omnia propono; nec vllnm est tantum malum, quod non putem impendere. Sed cum plus in metuendo mali sit, quam in ipso illo, quod time- tur, desino: praesertim cum impendeat, in quo non modo dolor nullus, verum finis etiam doloris futurus sit.

---

VI, 9. Quam mihi necesse est eius salutem — quibuscunque rebus possim, tueri, vides.

---

VI, 12. Nunc vero tantum te para ad haec nobiscum ferenda: quibus ego si quam medicinam inuenirem, tibi quoque eandem traderem. Sed est vnum perfugium, doctrina ac literae, quibus semper vsi sumus: quae secundis rebus delectationem modo habere videbantur, nunc vero etiam salutem.

---

VI, 15. Neque lenire videbar oratione, neque leuare posse dolorem tuum. Postea vero, quam magnam spem habere coepi, fore, vt te bre- vi tempore incolumem haberemus.

---

VI, 14. Me scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute con- sumere. — Ex oculis et vultu, ex multis prae- terea signis, quae facilius perspicere potui, quam scribere, hanc in opinionem discessi, vt mihi tua salus dubia non esset. Quamobrem fac animo magno fortique sis.

---

VI, 19. Balbum, postea quam tu es profectus, non vidi. Tantis pedum doloribus afficitur, vt se conueniri nolit.

---

VI, 20. Hic tui omnes valent, summaque pietate te desiderant, et diligunt et colunt. Tu et cura vt valeas et te istinc ne temere commoueas.

---

VI, 21. De me autem sic velim iudices, quantum ego possim, me tibi, saluti tuae, liberisque tuis summo cum studio praesto semper futurum. Vale.

---

VI, 22. Oro obtestorque te pro vetere nostra coniunctione ac necessitudine, proque summa mea in te benivolentia, et tua in me pari, te vt nobis, parenti, coniugi, tuisque omnibus, quibus es, fuistique semper carissimus, saluum conserues, incolumitati tuae tuorumque, qui ex te pendent, consulas. — Ego, quid possim, nescio: vel potius me parum posse sentio: illud tamen tibi polliceor, me, quaecunque saluti dignitatique tuae conducere arbitrabor, tanto studio esse facturum, quanto semper tu et studio et officio in meis rebus fuisti. — Ego certe omnia, quae tibi vtilia esse arbitrabor, summo studio diligenterque curabo. Vale.

---

Cic. ep. ad M. Mar. etc. VII, 1. Si te dolor aliquis corporis aut infirmitas valetudinis tuae tenuit,

quo minus ad ludos venires, fortunae magis tribuo, quam sapientiae tuae. Sin haec, quae ceteri mirantur, contemnenda esse duxisti, et, cum per valetudinem posses, venire tamen noluisti: vtrumque laetor, et sine dolore corporis te fuisse et animo valuisse, cum ea, quae sine causa mirantur alii, neglexeris: modo, vt tibi constiterit fructus otii tui; quo quidem tibi perfrui mirifice licuit, cum esses in ista amoenitate paene solus relictus. Neque tamen dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo — per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris; cum illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communes mimos semisomni? — Tu mihi istam imbecillitatem valetudinis tuae sustenta et tuere, vt facis, vt nostras villas obire et mecum simul lecticula concursare possis.

---

VII, 3. Mortem mihi cur conscisterem, causa nulla visa est: cur optarem, multae causae. Vetus est enim, vbi non sis qui fueris, non esse cur velis viuere. Sed tamen vacare culpa, magnum est solatium.

---

VII, 4. Te cum semper valere cupio, tum certe, dum hic sumus. Vides enim, quanto post vna futuri simus. Quare si quod constitutum cum podagra habes, fac vt in alium diem differas. Cura igitur, vt valeas: et me hoc biduo aut triduo exspecta.

---

VII, 10. Quare omnibus de rebus fac vt quamprimum sciam: aut consolando, aut consilio, aut re iuvero.

---

VII, 19. In qua quidem exercitatione nos te continebimus si et salui redierimus et salua ista offenderimus.

---

VII, 20. Sed valebis, meaque negotia videbis, meque, diis iuuantibus, ante brumam expectabis. Ego a Sex. Fadio, Niconis discipulo, librum abstuli *Νίκωνος περί πολυφαγίας*. O medicum suavem, meque docilem ad hanc disciplinam! Sed Bassus noster me de hoc libro celavit: te quidem non videtur. Ventus increbescit. Cura ut valeas.

---

VII, 26. Cum decimum iam diem grauter ex intestinis laborarem; neque iis, qui mea opera uti volebant, me probarem non valere, quia febrim non haberem: fugi in Tusculanum; cum quidem biduum ita ieiunus fuisset, ut ne aquam quidem gustarem. Itaque confectus labore et fame, magis tuum officium desideravi, quam abs te requiri putavi meum. Ego autem cum omnes morbos reformido, tum in quod Epicurum tuum Stoici male accipiunt, quia dicat, *δυσουρικά καὶ δυσεντερικά πάθη*, sibi molesta esse: quorum alterum, morbum edacitatis esse putant; alterum etiam turpioris intemperantiae. Sane *δυσεντερίαν* perstimueram. Sed visa est mihi vel loci mutatio, vel animi etiam relaxatio, vel ipsa fortasse iam senescentis morbi remissio profuisse. Attamen ne mirere, unde hoc acciderit, quomodo commiserim: lex sumptuaria, quae videtur *λιτότητα* attulisse, ea mihi fraudi fuit. Nam dum volunt isti lautī terra nata, quae lege excepta sunt, in hono-

rem adducere: fungos, heluellas, herbas omnes ita condiunt, ut nihil possit esse suavius. In eas cum incidissem in coena augurali, apud Lentulum, tanta me *διάγγοισα* arripuit, ut hodie primum! videar coepisse consistere. Ita ego, qui me ostreis et murenaenis facile abstinebam, a beta etiam et a malua deceptus sum. Posthac igitur erimus cautiores. Tu tamen cum audisses ab Anicio (vidit enim me nauseantem) non modo mittendi causam iustam habuisti, sed etiam visendi. Ego hic cogito commorari, quoad me reficiam. Nam et vires et corpus amisi. Sed, si morbum depulero, facile, ut spero, illa reuocabo.

---

VII, 28. Hoc tempore, quanquam me non ratio solum consolatur, quae plurimum debet valere, sed etiam dies, quae stultis quoque mederi solet; tamen doleo, ita rem communem esse dilapsam, ut ne spes quidem, melius aliquando fore, relinquatur.

---

Ep. Coel. ad Cic. VIII, 15. Q. Hortensius, cum has litteras scripsi, animam agebat.

---

VIII, 14. Nunquam tibi oculi doluissent, si in repulsa Domitii vultum vidisses. — Caesari autem persuasum est, salvum esse non posse, si ab exercitu recesserit. — Venas sibi omnes et viscera aperit.

---

VIII, 16. Per fortunas tuas, Cicero, per liberos, oro, obsecro, ne quid grauius de salute et incolumitate tua consulas.

---

Cic. ep ad M. Varr. etc. VIII, 2. Et tamen *λεληθότως* consuetudo diurna callum iam obduxit stomacho meo.

---

VIII, 5. Quamuis enim haec sint misera, quae sunt miserrima, tamen artes nostrae nescio quo modo nunc vberiores fructus ferre videntur, quam olim ferebant: siue quia nulla nunc in re alia acquiescimus, siue quod grauitas morbi facit, ut medicinae egeamus, eaque nunc appareat, cuius vim non sentiebamus, cum valebamus.

---

VIII, 5. Et ante te certiozem faciam, ut lavatio parata sit.

---

VIII, 9. Dolabella Ciceroni S. D. S. V. G. V. et Tullia nostra recte V. Terentia minus belle habuit: sed certum scio iam conualuisse eam. Praeterea rectissime sunt apud te omnia.

---

VIII, 12. Gratulor Baiis nostris; siquidem, ut scribis, salubres repente factae sunt: nisi forte te amant et tibi assentantur; et tam diu, dum tu ades, sunt oblitae sui. Quod quidem si ita est, minime miror, coelum etiam et terras vim suam, si tibi ita conueniat, dimittere. — Tu

velim animo sapienti fortique sis: vt tua moderatio et grauitas aliorum infamet iniuriam.

---

VIII, 13. Hosce igitur ambo tibi sic commendo, vt maiore cura, studio, sollicitudine animi commendare non possim. Volo ipsorum causa: meque in eo vehementer et amicitia mouet et humanitas. Lepta vero cum ita laboret, vt eius fortunae videantur in discrimen venire: non possum ego non aut proxime, atque ille, aut etiam aequae laborare. Quapropter etsi saepe expertus sum, quantum me amares: tamen sic velim tibi persuadeas, id me in hac re maxime iudicaturum. Peto igitur a te, vel, si pateris, oro, vt homines miseros, et fortuna, quam vitare nemo potest, magis quam culpa, calamitosos, conserues incolumes.

---

VIII, 14. Sunt enim permulti optimi viri, qui valetudinis causa in haec loca veniant; qui omnes, cum te summis laudibus ad coelum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant. — L. quidem Caesar, cum ad eum aegrotum Neapolim venissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante, quam me plane salutauit, O mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, iam salui esse possemus.

---

VIII, 15. Ad hos lepores cum amor erga me tantus accedat, miraris, me, tanta perturbatione valetudinis tuae, tam graviter exanimatum fuisse?

---

VIII, 17. Hoc si qui pati non potuit, mori debuit.

---

VIII, 18. Nisi forte mori melius fuit, in lectulo fateor: sed non accidit; in acie non fui. Ceteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius, foede perierunt. At Cato praeclare. — Ipse melior fio; primum valetudine, quam, intermissis exercitationibus, amiseram.

---

VIII, 20. Haec igitur est nunc vita nostra, Mane salutamus domi et bonos viros multos, sed tristes; et hos laetos victores: qui me quidem perofficiose et peramanter observant. Vbi salutatio defluxit, literis me inuolvo, aut scribo, aut lego. Veniunt etiam qui me audiunt, quasi doctum hominem, quia paullo sum, quam ipsi, doctior. Inde corpori omne tempus datur. Patriam eluxiam et grauius et diutius quam vlla mater unicum filium. Sed cura, si me amas, ut valeas: ne ego, te iacente, bona tua comedam. Statui enim tibi ne aegrotō quidem parcere.

---

VIII, 22. Placet Stoicis, suo quamque rem nomine appellare. Sic enim disserunt, nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu. — Ita me destituit nudum. Totus est sermo verbis tectus, re impudentior. — Quid est, virginem me quondam iniutam per vim violat? Iupiter bone, violat? atque idem significat: sed alterum nemo tulisset. Vides igitur, cum eadem res sit, quia verba non sint, ni-

hil videri turpe. Ergo in re non est, multo minus in verbis. — Anum appellas alieno nomine: cur non suo potius? Si turpe est ne alieno quidem: si non est, suo potius. Caudam antiqui penem vocabant: ex quo est propter similitudinem penicillus. At hodie penis est in obscœnis. At vero Piso ille Frugi in Annalibus suis queritur, adolescentes peni deditos esse. — Quid, quod vulgo dicitur, cum nos te volumus conuenire, num obscœnum est? — Liberis dare operam honeste dicitur? — Is Connus vocitatus est; num id obscœnum putas? Cum loquimur terni, nihil flagitii dicimus; at cum bini, obscœnum est. — Ruta, et menta, recte vtrumque. Volo mentam pusillam ita appellare, vt rutulam: non licet. Bella tectoriola: dic ergo etiam pauimenta isto modo, non potes. Viden' igitur nihil esse, nisi ineptias: turpitudinem nec in verbo esse, nec in re: itaque nusquam esse. Igitur in verbis honestis obscœna ponimus. Quid enim, non honestum verbum est diuisor? At inest obscœnum, cui respondet intercapedo. Num haec ergo obscœna sunt? — Batuit, inquit, impudenter: depsit multo impudentius. Atqui neutrum est obscœnum. Stultorum plena sunt omnia. Testes verbum honestissimum in iudicio: alio loco, non nimis. At honesti, colei Lanuini: Cliternini, non honesti. Quid? ipsa res modo honesta, modo turpis? Supedit, flagitium est. Iam erit nudus in balneo, non reprehendes. — Ego seruo, et seruabo (hic enim assueui) Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te scripsi, quae apertissimis aiunt Stoici. Sed illi etiam crepitus aiunt aequè liberos, ac ructus esse oportere.

---

VIII, 23. Etsi M. Ceparius, cum mihi in silva Gallinaria obuiam venisset, quaesissemque, quid ageres, dixit te in lecto esse, quod ex pedibus laborares. Tuli scilicet moleste, vt debui; sed tamen constitui ad te venire, vt et viderem te, et viserem, et coenarem etiam. Non enim arbitror cocum etiam te arthriticum habere. Expecta igitur hospitem cum minime edacem, tum inimicum coenis sumptuosis.

VIII, 24. Spurrinna quidem, cum ei rem demonstrassem et vitam tuam superiorem exposissem: magnum periculum summae reipublicae demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem tum, cum Fauonius flaret, reuertisses. Hoc tempore ferri posse, si forte tu frigus ferre non posses. Sed, mehercule, mi Paete, extra iocum, moneo te, quod pertinere ad beate viuendum arbitror; vt cum viris bonis, iucundis, amantibus tui viuas. Nihil aptius vitae: nihil ad bene viuendum accommodatius. Nec id ad voluptatem refero; sed ad communitatem vitae, atque victus, remissionemque animorum: quae maxime sermone efficitur familiari, qui est in conuiujs dulcissimus: vt sapientius nostri, quam Graeci; illi *συμπόσια*, aut *σύνδειπνα*, id est, compotationes, aut concoenationes: nos conuiuia; quod tum maxime simul viuitur. Vides, vt te philosophando reuocare coner ad coenas? Cura, vt valeas. Id foris coenitando facillime consequere.

Cic. ep. ad Cn. Planc. etc. X, 2. In iis autem rebus, quae nihilominus, vt ego absim, con-

fici possunt: peto a te, vt me rationem habere ve-  
lis et salutis et dignitatis meae.

---

X, 17. Fratrem meum, assiduis laboribus  
concursationibusque confectum, grauius se ha-  
buisse, antea tibi scripsi: sed tamen cum primum  
posse ingredi coepit, non magis sibi quam rei-  
publicae se conualuisse existimans, ad omnia peri-  
cula princeps esse non recusabat. Sed ego eum  
non solum hortatus sum, verum etiam coëgi isto  
proficisci: quod et illa valetudine magis conficere  
se, quam me iuuare posset in castris.

---

X, 18. Sed non possum non exhorrescere, si  
quid intra cutem subest vulneris, quod prius  
nocere potest, quam sciri curarique possit.

---

X, 21. Fratrem meum tibi, fortissimum ci-  
uem et ad omnia paratissimum, excuse literis,  
qui ex labore in febriculam incidit assiduam  
et satis molestam. Cum primum poterit istuc  
recurrere, non dubitabit, ne quo loco reipublicae  
desit.

---

X, 29. De meo studio erga salutem et inco-  
lunitatem tuam, credo te cognosse ex litteris tuo-  
rum; quibus me cumulatissime satisfecisse certo  
scio: nec his concedo, quanquam sunt singulari in  
te beniuolentia, vt te saluum malint, quam ego.  
Illi mihi necesse est concedant, vt tibi plus, quam

ipsi, hoc tempore prodesse possim: quod quidem nec destiti facere, nec desistam: et iam in maxima re feci, et fundamenta ieci salutis tuae. Tu fac bono animo magnoque sis, meque tibi nulla re defuturum esse confidas.

---

X, 34. Nos etsi grauiter ab his laesi eramus, quod contra nostram voluntatem ad Antonium ierant: tamen nostrae humanitatis et necessitudinis causa, eorum salutis rationem habuimus.

---

Cic. ep. ad D. Brut. etc. XI, 21. Ego enim, quae prouideri poterunt, non fallar in iis: quae cautionem non habebunt, de his non ita valde laboro. Sim enim impudens, si plus postulem, quam homini a rerum natura tribui potest. Quod mihi praecipis, vt caueam, ne timendo magis timere cogar; et sapienter et amicissime praecipis. Sed velim tibi persuadeas, cum te constet excellere hoc genere virtutis, vt nunquam extimescas, nunquam perturbere, me huic tuae virtuti proxime accedere. Quamobrem neque metuum quidquam, et cauebo omnia.

---

XI, 22. Magno tibi erit ornamento, nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse saluum.

---

XI, 23. Nos hic valemus recte: et quo melius valeamus, operam dabimus.

---

XI, 26. Maximo meo dolore hoc solatio vtor, quod intelligunt homines, non sine causa me timuisse ista, quae acciderunt.

---

XI, 27. Cum in Tusculanum vesperi venissem, postridie ille ad me, nondum satis firmo corpore cum esset, mane venit. Quem cum obiurgarem, quod parum valetudini parceret: tum ille, nihil sibi longius fuisse, quam vt me videret.

---

XI, 29. Da operam vt valeas. Hoc mihi gratius facere nihil potes.

---

Cic. ep. ad C. Cass. etc. XII, 1. Manabat illud malum vrbanum et ita corroborabatur quotidie, vt ego quidem et vrbi et otio diffiderem vrbanum. Sed ita compressa est, vt mihi videamur omne iam ad tempus ab illo duntaxat sordidissimo periculo tuti futuri.

---

XII, 2. L. Caesar, optimus et fortissimus civis, valetudine impeditur.

---

XII, 6. Tu velim sic existimes, tibi que persuadeas, omne perfugium bonorum in te et Bruto esse positum, si, quod nolim, aduersi quid euenerit.

---

XII, 9. Vt omnia, (vt spero) prospere procedant, multum interest te venire.

---

XII, 10. Quibus tamen ad sanitatem redeundi potestas facta est. — Sunt enim permulta, quibus erit medendum.

---

XII, 12. Videbaris enim non solum fauere nobis, id quod et nostri et reipublicae causa semper fecisti; sed etiam grauem curam suscepisse, vehementerque esse de nobis sollicitus. — Quod te sollicitum esse et de salute nostra, et de rerum euentu putabam.

---

XII, 15. Neque imminente Italiae, vrbique nostrae periculo — mederi cum facile possent, noluerunt.

---

XII, 22. Ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab aliis: a me futura debes cognoscere: quorum quidem non est difficilis coniectura. — Hirtius noster tardius conualescit. Quid futurum sit plane nescio, — Et, quicquid acciderit, a quo mea culpa absit, animo forti feram

---

XII, 25. Equidem et haec, et omnia, quae homini accidere possunt, sic fero, vt philosophiae magnam habeam gratiam, quae me non modo ab sollicitudine abducit, sed etiam contra omnes

fortunae impetus armat: tibi que idem censeo faciendum, nec, a quo culpa absit, quidquam in malis numerandum. Sed haec tu melius. Stratorium nostrum cum semper probassem: tum maxime in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam, prudentiamque cognoui. Da operam, ut valeas, hoc mihi gratius facere nihil potes.

---

XII, 30. Ut enim grauius aegrotant ii, qui, cum leuati morbo videntur, in eum de integro inciderunt: sic vehementius nos laboramus.

---

Cic. ep. ad C. Memm, etc. XIII, 19. Cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus, verentes, ne quid accideret eiusmodi, ut ne tu quidem mederi posses: explorata vero eius incolumitate, omnia a te studia summa cura peto.

---

XIII, 20. Asclapone Patrensi, medico, ut valde familiariter, eiusque cum consuetudo mihi iucunda fuit, tum ars etiam, quam sum expertus in valetudine meorum. In qua mihi cum ipsa scientia, tum etiam fidelitate beniuolentiaque satisfecit. Hunc igitur tibi commendo: et a te peto, ut des operam, ut intelligat, diligenter me scripsisse de sese, meamque commendationem vsui magno sibi fuisse. Erit id mihi vehementer gratum.

---

XIII, 29. Ille in morbum continuo incidit: ex quo non conualuit. Aeger Corcyram venit: ibi est mortuus.

---

Cic. ep. ad Terent. vxor. XIII, 1. Nam quid ego de Cicerone dicam? qui cum primum sapere coepit, acerbissimos dolores miserasque percepit. Quae si, vt tu scribis, fato facta putarem, ferrem paullo facilius: sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab his me amari putabam, qui inuidebant: eos non sequebar, qui petebant. Quod si nostris consiliis vsi essemus, neque apud nos tantum valuisset sermo, aut stultorum amicorum, aut improborum; beatissimi viueremus. Nunc, cum sperare nos amici iubent, dabo operam, ne mea valetudo tuo labori desit. — De loco nunc quidem iam abiit pestilentia: sed quam diu fuit, me non attigit. — Non queo reliqua scribere (tanta vis lacrymarum est) neque te in eundem fletum adducam. — Per fortunas miseras nostras, vide, ne puerum perditum perdamus; cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri virtute opus est, et mediocri fortuna, vt cetera consequatur. Fac valeas, et ad me tabellarios mittas, vt sciam, quid agatur, et vos quid agatis.

---

XIII, 2. Ad te vero, et ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lacrymis scribere. Vos enim video esse miserrimas, quas ego beatissimas semper esse volui, idque praestare debui: et, nisi tam timidi fuissetis, praestitissetis. — Hem, mea lux, meum desiderium, vnde omnes opem petere

solebant! te nunc, mea Terentia, sic vexari, sic iacere in lacrymis et sordibus! idque fieri mea culpa, qui ceteros seruavi, vt nos periremus! — Obsecro te, mea vita, quod ad sumptum attinet, sine alios, qui possunt, si modo volunt, sustinere; et valetudinem istam infirmam, si me amas, noli vexare. Nam mihi ante oculos dies noctesque versaris. Omnes labores te excipere video, timeo, vt sustineas; sed video, in te esse omnia. Quare, vt id, quod speras, et quod agis, consequamur, serui valetudini. — Sed velim, quam saepissime litteras mittatis, praesertim si quid est firmitus, quod speremus. Valet, mea desideria, valet.

---

XIII, 3. Nam mihi ante oculos dies noctesque versatur squalor vester, et moeror, et infirmitas valetudinis tuae: spes autem salutis pertinuis ostenditur. — Cura, vt valeas, et ita tibi persuadeas, mihi te carius nihil esse, nec vnquam fuisse. Vale mea Terentia, quam ego videre videor, itaque debilitor lacrymis. Vale.

---

XIII, 4. O me perditum! O afflictum! quid nunc rogem te, vt venias, mulierem aegram, et corpore et animo confectam? non rogem? sine te igitur sim? Opinor, sic agam. Si est spes nostri reditus, eam confirmes, et rem adiuues. Sin, vt ego metuo, transactum est, quoquo modo potes, ad me fac venias. Vnum hoc scito, si te habebo, non mihi videbor plane periisse. — Tu quod me hortaris, vt animo sim magno, et spem habeam recuperandae salutis: id velim sit

eiusmodi, vt recte sperare possimus. — Quod reliquum est, sustenta te, mea Terentia, vt potes. Honestissime viximus: floruimus. Non vitium nostrum; sed virtus nostra nos afflixit. — Clodium Philetaerum, quod valetudine oculorum impediatur, hominem fidelem, remisi. — Cura, quoad potes, vt valeas: et sic existimes, me vehementius tua miseria, quam mea commoueri. Mea Terentia, fidissima atque optima vxor, et mea carissima filiola; et spes reliqua nostra, Cicero, valete.

---

XIII, 5. Tu velim, quod commodo valetudinis tuae fiat, quam longissime poteris, obuiam nobis properes. — Nos, cum salui venerimus, reliqua per nos agemus. — Vos, mea suauissima et optatissima Terentia, et Tulliola, si nos amatis, curate vt valeatis.

---

XIII, 7. Omnes molestias et sollicitudines, quibus et te miserrimam habui, id quod mihi molestissimum est, Tulliolamque, quae nobis nostra vita dulcior est, deposui et eieci. Quid causae autem fuerit, postridie intellexi, quam a vobis discessi. *χολήν ἀνερατον* noctu eieci. Statim ita sum leuatus, vt mihi deus aliquis medicinam fecisse videatur. Cui quidem tu deo, quemadmodum soles, pie et caste satisfacias, id est, Apollini et Aesculapio. — Tu primum valetudinem tuam velim cures: deinde, tibi si videbitur, villis iis vttere, quae longissime aberunt a militibus.

---

XIII, 8. Si vales, bene est; ego valeo. Valetudinem tuam velim cures diligentissime. Nam mihi et scriptum et nuntiatum est, te in febrim subito incidisse.

---

XIII, 9. Ad ceteras meas miseras accessit dolor e Dolabellae valetudine et Tulliae. Omnino de omnibus rebus, nec quid consilii capiam, nec quid faciam, scio. Tu velim tuam et Tulliae valetudinem cures. Vale.

---

XIII, 10. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale.

---

XIII, 12. Quod nos in Italiam saluos venisse gaudes; perpetuo gaudeas velim.

---

XIII, 16. Volumnia debuit in te officiosior esse, quam fuit, et idipsum, quod fecit, potuit diligentius facere et cautius: quanquam alia sunt, quae magis curemus, magisque doleamus.

---

XIII, 18. Maxime autem date operam, ut valeatis, si nos vultis valere.

---

XIII, 19. In maximis meis doloribus excruciat me valetudo Tulliae nostrae. De qua nihil est, quod ad te plura scribam. Tibi enim aequae magnae curae esse certo scio.

---

XIII, 21. Si vales, bene est; valeo. Da operam, vt conualescas. Quod opus erit, vt res tempusque postulat, prouideas atque administres: et ad me de omnibus rebus quam saepissime litteras mittas. Vale.

---

Cic. ep. ad Consul. etc. XV, 1. Vtinam saluti nostrae consulere possimus! dignitati certe consulemus.

---

XV, 2. Quae cum esset locutus, monui regem, vt omnem diligentiam ad se conseruandum adhiberet; amicosque in patris eius atque aui iudicio probatos, hortatus sum, regis sui vitam, docti casu acerbissimo patris eius; omni cura custodiaque defenderent. — Illum cohortatus sum, vt in sua vita conseruanda primum regnare disceret.

---

XV, 4. Regem Ariobarzanem, cuius salutem a senatu, te auctore, commendatum habebam, praesentibus insidiis nec opinantem liberaui: neque solum ei saluti fui; sed etiam curauit, vt cum auctoritate regnaret.

---

XV, 7. Et sum totus vester, et esse debeo: cum praesertim matris tuae, grauissimae atque optimae foeminae, maiora erga salutem dignitatemque meam studia, quam erant a muliere postulanda, perspexerim.

---

XV, 8. Totam denique domum vestram vel salutis vel dignitatis meae studiosissimam cupidissimamque cognoui.

---

XV, 10. Patris tui beneficia in me sunt amplissima. Neque enim saluti meae, neque honori amicior quisquam dici potest.

---

Cic. ep. ad Tiron. XVI, 1. Tu autem hoc tibi persuade, si commodo valetudinis tuae fieri possit, nihil me malle, quam te esse mecum. Si autem intelliges, opus esse, te Patris, conualescendi causa, paullum commorari, nihil me malle, quam te valere. Si statim nauigas, nos Leucade consequere: sin te confirmare vis; et comites, et tempestates, et nauem idoneam vt habeas, diligenter videbis. Vnum illud, mi Tiro, videto, si me amas, ne te Marionis aduentus et hae litterae moueant. Quod valetudini tuae maxime conducet, si feceris; maxime obtemperaris voluntati meae. — Nos ita te desideramus, vt amemus: amor, vt valentem videamus, hortatur: desiderium, vt quam primum. Illud igitur potius. Cura ergo potissimum, vt valeas: De tuis innumerabilibus in me officiis erit hoc gratissimum.

---

XVI, 2. Quantum me diligis, tantum fac vt valeas, vel quantum te a me scis diligi.

---

XVI, 3. Tu, si nos omnes amas, et praecipue me, magistrum tuum, confirma te. — Omnes

cupimus, ego inprimis, quamprimum te videre: sed, mi Tiro, valentem. Quare nihil properaris: satis quotidie videro, si valebis. Vtilitatibus tuis possum carere; te valere, tua causa primum volo, tum mea, mi Tiro. Vale.

---

XVI, 4. Varie sum affectus tuis litteris: valde priore pagina perturbatus, paullum altera recreatus. Quare nunc quidem non dubito, quin, quoad plane valeas, te neque nauigationi, neque viae committas. Satis te mature videro, si plane confirmatum videro. De medico et tu bene existimari scribis, et ego sic audio. Sed plane curationes eius non probo. Ius enim dandum tibi non fuit, cum *κακοστόμαχος* esses. — Illud, mi Tiro, te rogo, sumptu ne parcas vlla in re, quod ad validitatem opus sit. Scripsi ad Curium, quod dixisses, daret medico. Ipsi puto aliquid dandum esse, quo sit studiosior. Innumerabilia tua sunt in me officia, domestica, forensia, vrbana, prouincialia: in re priuata, in publica, in studiis, in litteris nostris. Omnia viceris, si, vt spero, te validum videro. — Et cum validitatem tuam diligentissime consulueris, tum, mi Tiro, consulito nauigationi. Nulla in re iam te festinare volo. Nihil laboro, nisi vt saluus sis. — Et cum tua, et mea maxime interest te valere, tum multis est curae. Adhuc, dum mihi nullo loco deesse vis, nunquam te confirmare potuisti. Nunc te nihil impedit: omnia depone, corpori serui. Quantam diligentiam in validitatem tuam contuleris, tanti me fieri iudicabo. Vale, mi Tiro, vale, vale et salue. Lepta tibi salutem dicit et omnes. Vale.

---

XVI, 3. Mihi placebat, si firmior esses, vt te Leucadem deportaret, vt ibi te plane confirmares. Videbis, quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. Volebam ad te Marionem remittere: quem, cum meliuscule tibi esset, ad mitteres. — Ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. Nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. Ei te totum trade. Malo te paullo post valentem, quam statim imbecillum videre. Cura igitur nihil aliud, nisi vt valeas: cetera ego curabo. Etiam atque etiam vale.

---

XVI, Ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimum omnium. Cum valitudinis rationem, vt spero, habueris, habeto etiam nauigationis. — Cura, cura te, mi Tiro, quum non contigit, vt simul nauigares. Nihil est, quod festines: nec quidquam cures, nisi vt valeas. Etiam atque etiam vale.

---

XVI, 7. Solliciti eramus de tua valitudine mirum in modum. — Cura igitur te et confirma: et, cum commode et per valitudinem, et per anni tempus nauigare poteris, ad nos, amantissimos tui, veni. — Cura, vt valeas etiam atque etiam, Tiro noster. Vale.

---

XVI, 8. Magnae nobis est sollicitudini valitudo tua. Nam, tametsi qui veniunt, ἀκίνδυνα μὲν, χεινιώτερα δὲ nuntiant, tamen in magna consolatione ingens inest sollicitudo, si diutius a nobis

afuturus est is, cuius vsum et suauitatem desiderando sentimus. Attamen quanquam videre te tota cogitatione cupio, tamen te penitus rogo, ne te tam longae nauigationi et viae per hiemem, nisi bene firmum, committas: neue nauiges, nisi explorete. Vix in ipsis tectis et oppidis frigus infirma valitudine vitatur, nedum in mari et via sit facile abesse ab iniuria temporis. *Ψύχος δὲ λεπτῶν χρωτὶ πολεμιώτατον* inquit Euripides. Cui tu quantum credas, nescio. Ego certe singulos eius versus singula eius testimonia puto. Effice, si me diligis, vt valeas, et ut ad nos firmus ae valens quam primum venias. Ama nos, et vale. Q. F. tibi salutem dicit.

---

XVI, 9. Nos eo die coenati soluimus. Inde Austro lenissimo, coelo sereno, nocte illa, et die postero in Italiam ad Hydruntem ludibundi peruenimus: eodemque vento postridie (id erat a. d. VII. kalend. Decbr.) hora quarta Brundisium venimus: eodemque tempore simul nobiscum in oppidum introiit Terentia, quae te facit plurimi. A. d. V. kalend. Decbr. seruus Cn. Plancii Brundisii tandem aliquando mihi a te expectatissimas litteras reddidit, datas idibus Novembr. quae me molestia valde leuarunt: vtinam omnino liberassent! Sed tamen Asclapo medicus plane confirmat, propediem te valentem fore. Nunc quid ego te hor-ter? vt omnem diligentiam adhibeas ad conualescendum. Tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me noui. Scio te omnia facturum, vt nobiscum quam primum sis. Sed tamen ita velim, vt ne quid properes. Symphoniam Lysonis ve-

lim vitasses, ne in quartam hebdomada incideres. Sed, quum pudori tuo maluisti obsequi, quam validitudini, reliqua cura. Curio misi, vt medico honos haberetur: et tibi daret, quod opus esset: me, cui iussisset, curaturum. — In hoc omnem diligentiam si adhibueris, teque nobis incolumem praestiteris, omnia a te habebo. Etiam atque etiam, noster Tiro, vale. Medico Curio Lysoni de te scripsi diligentissime. Vale, salue.

---

XVI, 10. Ego vero cupio te ad me venire: sed viam timeo. Grauissime aegrotasti: inedia et purgationibus, et vi ipsius morbi consumptus es. Graues solent offensiones esse ex grauibus morbis si qua culpa commissa est. — Ego in Formiano a. d. 111. Kalend. esse volo. Ibi te vt firmum offendam, mi Tiro, effice. — Fac plane vt valeas.

---

XVI, 11. Etsi opportunitatem operae tuae omnibus locis desidero: tamen non tam mea, quam tua causa doleo, te non valere. Sed quum in quartanam conuersa vis est morbi (sic enim scribit Curius) spero, te, diligentia adhibita, etiam firmiorem fore. Modo fac, id quod humanitatis tuae est, ne quid aliud cures hoc tempore, nisi vt quam commodissime conualescas. Non ignoro, quantum ex desiderio labores, sed erunt omnia facilia, si valebis. Festinare te nolo, ne nauseae molestiam suscipias aeger, et periculose hieme nauiges. — Tu etiam atque etiam cura, vt valeas, litterasque ad me mittas quoties-

cunque habebis, cui des. Etiam atque etiam  
vale.

---

XVI, 12, Haec tibi nota esse volui: quae ca-  
ve ne te perturbent et impediunt valetudinem  
tuam. Ego A. Varroni, quem cum amantissi-  
mum mei cognoui, tum etiam tui studiosum, di-  
ligentissime te commendavi, ut et valetudinis tuae  
rationem haberet et navigationis, et totum te sus-  
ciperet ac tueretur: quem omnia facturum confi-  
do. Receptit enim et mecum locutus est suavissi-  
me. Tu, quum eo tempore mecum esse non po-  
tuisti, quo ego maxime operam et fidelitatem de-  
sideravi tuam, caue festines aut committas, ut aut  
aeger, aut hieme nauiges. Nunquam sero te ve-  
nisse putabo, si saluus veneris. — Sed da ope-  
ram, ut valeas: et, si valebis, cum recte nauigari  
poterit, tum nauiges. — Cura, ut valeas.

---

XVI, 13. Omnia a te data mihi putabo, si te  
valentem videro. Summa cura exspectabam ad-  
uentum Menandri, quem ad te miseram. Cura,  
si me diligis, ut valeas: et, cum te bene con-  
firmaris, ad nos venias. Vale.

---

XVI, 14. Andricus postridie ad me venit,  
quam exspectaram. Itaque habui noctem plenam  
timoris ac miseriae. Tuis literis nihilo sum fa-  
ctus certior, quomodo te haberes: sed tamen sum  
recreatus. — Medico mercedis, quantum po-  
scet, promitti iubeto. Id scripsi ad Vmmium.

Audio te animo angi, et medicum dicere, ex eo te laborare. Si me diligis, excita ex somno tuas literas, humanitatemque, propter quam mihi es carissimus. Nunc opus est te animo valere, ut corpore possis. Id cum tua, tum mea causa facias, a te peto. Acastum retine, quo commodius tibi ministretur. Conserva te mihi. — Etiam atque etiam vale.

---

XVI; 15. Aegypta ad me venit pridie idus Apriles. Is etsi mihi nuntiavit, te plane febricari et belle habere, tamen, quod negavit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, et eo magis, quod Hermia, quem eodem die venire oportuerat, non venerat. Incredibili sum sollicitudine de tua valitudine: qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo. Plura scriberem, si iam putarem, libenter te legere posse. Ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi tibi que conseruandum. Cura te etiam atque etiam diligenter. Vale. Scripta iam epistola Hermia venit. Accepi tuam epistolam; vacillantibus litterulis: nec mirum, tam graui morbo. Ego ad te Aegyptam misi, quod nec inhumanus est, et te visus est mihi diligere, ut is tecum esset: et cum eo cocum, quo vtere. Vale.

---

XVI, 17. Valitudo tua me valde sollicitat: sed inserui et fac omnia: tum te mecum esse, tum mihi cumulatissime satisfacere putato.

---

XVI, 18. Tibi διαφόρησιν gaudeo profuisse. — Sed vt est, indulge valitudini tuae: cui quidem tu adhuc, dum mihi deseruis, seruisti non satis. Ea quid postulet, non ignoras: *πέψιν ἀνοπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλύσιαν κοιλίας.* Fac bellus reuertare. — Cura te diligenter. Vale.

---

XVI, 20. Sollicitat, ita viuam, me tua, mi Tiro, valitudo: sed confido, si diligentiam, quam instituisti, adhibueris, cito te firmum fore. — Cura te, si me amas, diligenter. Vale.

---

XVI, 21. Tu velim inprimis cures, vt valeas, vt vna *συμφιλολογεῖν* possimus.

---

XVI, 22. Spero ex tuis literis tibi melius esse: cupio certe. Cui quidem rei omni ratione cura vt inseruias: et caue suspiceris, contra meam voluntatem te facere, quod non sis mecum. Mecum es, si te curas. Quare malo te valitudini tuae seruire, quam meis oculis et auribus. Etsi enim et audio te et video libenter: tamen hoc multo erit, si valebis, iucundius. — Cura, mi Tiro, vt valeas. Hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

---

Cic. ep. ad Attic. I, 2. Filiolo me auctum scito, salua Terentia.

---

I, 3. Auiam tuam scito desiderio tui mortuam esse.

---

I, 5. Quantum dolorem acceperim, et quanto fructu sim priuatus, et forensi et domestico, Lucii fratris nostri morte, inprimis pro nostra consuetudine tu existimare potes. Nam mihi omnia, quae iucunda ex humanitate alterius, et moribus homini accidere possunt, ex illo accidebant. Quare non dubito, quin tibi quoque id molestum sit, cum et meo dolore moueare, et ipse omni virtute officioque ornatissimum, tuique et sua sponte, et meo sermone amantem, affinem amicumque amiseris. Quod ad me scribis de sorore tua; testis erit tibi ipsa, quantae mihi curae fuerit, vt Quinti fratris animus in eam esset is, qui esse deberet. — Terentia magnos articulorum dolores habet, et te, et sororem tuam, et matrem maxime diligit, salutemque tibi plurimam adscribit, et Tulliola, deliciae nostrae. Cura vt valeas et nos ames; et tibi persuadeas, te a me fraterne amari.

---

I, 7. Apud matrem recte est, eaque nobis curae est.

---

I, 11. Incredibile est, quanto mihi videatur illius voluntas obstinatior, et in hac iracundia confirmatior: sed haec aut sanabuntur, cum veneris; aut ei molesta erunt, in vtro culpa erit.

---

I, 16. Vulnus esse eiusmodi, quod mihi nec dissimulandum, nec pertimescendum videretur: ne aut metuendo ignauissimi, aut ignorando stultissimi iudicaremur. — Magnis clamoribus afflictus conticuit et concidit.

---

I, 17. Nam sic intelligo; vt nihil a domesticis vulneris factum sit, illud quidem, quod erat, eos certe sanare potuisse. Sed huiusce rei totius vitium, quod aliquanto etiam latius patet, quam videtur, praesenti tibi commodius exponam.

---

I, 19. De tuo autem negotio saepe ad me scribis; cui mederi nunc non possumus.

---

II, 1. Et, vt mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. — Tamen non minus esset probanda medicina, quae sanaret vitiosas partes reipublicae, quam quae exsecaret.

---

II, 14. Ego autem vsque eo sum eneruatus, vt hoc otio, quo nunc tabescimus, malim *ἐν τρυφῇ καὶ νεισιθάσει*, quam cum optima spe dimicare.

---

II, 18. Vincere incipit timorem dolor, sed ita, vt omnia sint plenissima desperationis. — De — et nonnullis aliis rebus, angor quidem, sed iam prorsus occallui. Tu, vellem, egoue cuperem, adesses: nec mihi consilium, nec consolatio

deesset; sed ita te para, ut, si in clamaro, ad-  
voles.

---

II, 19. Saluti, si me amas, consule.

---

II, 20. Nunc quidem nouo quodam morbo  
ciuitas moritur; ut, cum omnes ea, quae sunt  
acta, improbent, querantur, doleant, varietas in  
re nulla sit, aperteque loquantur et iam clare ge-  
mant; tamen medicina nulla afferatur. Neque  
enim resisti sine interneccione posse arbitramur:  
nec videmus, qui finis cedendi, praeter exitium,  
futurus sit.

---

II, 23. Primum igitur illud te scire volo,  
Sampsiceramum, nostrum amicum, vehementer  
sui status poenitere; restituique in eum locum cu-  
pere, ex quo decidit: doloremque suum im-  
pertire nobis et medicinam interdum aperte quae-  
rere, quam ego posse inueniri nullam.

---

II, 24. Sed prorsus vitae taedet; ita sunt  
omnia omnium miseriarum plenissima.

---

III, 7. Hoc affirmo, neminem vnquam tanta  
calamitate esse affectum; nemini mortem magis  
optandam fuisse; cuius oppetendae tempus hone-  
stissimum praetermissum est. Reliqua tempora  
non sunt iam ad medicinam, sed ad finem dolo-

ris. — Ego et saepius ad te et plura scriberem, nisi mihi dolor meus cum omnes partes mentis, tum maxime huius generis facultatem ademisset. Videre te cupio. Cura ut valeas.

---

III, 8. Itaque, cum meus me moeror quotidianus lacerat et conficit, tum vero haec addita cura vix mihi vitam reliquam facit. — Reliqua quam mihi timenda sint video, nec, quid scribam, habeo, et omnia timeo: nec tam miserum est quicquam, quod non in nostram fortunam cadere videatur.

---

III, 9. Itaque mei peccati luo poenas.

---

III, 10. Nam quod me tam saepe, et tam vehementer obiurgas, et animo infirmo esse dicis: quaeso, ecquod tantum malum est, quod in mea calamitate non sit? — Mitto cetera intolerabilia. Etenim fletu impediior.

---

III, 11. Tu me, ut facis opera, consilio, gratia, iuua: consolari iam desine: obiurgare vero noli: quod cum facis, ut ego tuum amorem et dolorem desidero! quem ita adfectum mea aerumna esse arbitror, ut te ipsum consolari nemo possit.

---

III, 12. Hic tu me accusas, quod me afflictem; cum ita sim afflictus, ut nemo vn-

quam: quod tute intelligis. — Cui vulneri, vt scribis, medere, si quid potes. — Id, si putas me posse sanari, cures velim: sin plane perii, minus laboro. Ego etiam nunc eodem in loco iaceo, sine sermone vlllo, sine cogitatione vlla.

---

III, 13. Quod me saepe accusas, cur hunc meum casum tam grauiter feram, debes ignoscere; cum ita me adflictum videas, vt neminem vnquam nec videris, nec audieris. Nam quod scribis te audire, me etiam mentis errore ex dolore affici: mihi vero mens integra est.

---

III, 14. Scio nos nostris multis peccatis in hanc aerumnam incidisse. Ea si qui casus aliqua ex parte correxerint; minus moleste feremus nos vixisse, et adhuc viuere.

---

III, 15. Ad primam (epistolam) tibi hoc scribo: me ita dolere, vt non modo a mente non deserar, sed id ipsum doleam, me, tam firma mente vbi vtar, et quibuscum, non habere, nam si tu me vno non sine moerore cares, quid me censes, qui et te, et omnibus? Et si tu incolumis me requiris; equo modo a me ipsam incolumitatem desiderari putas? Nolo commemorare, quibus rebus sim spoliatus, non solum quia non ignoras, sed etiam ne scindam ipse dolorem meum. Hoc confirmo, neque tantis bonis esse priuatum quenquam, neque in tantas miserias incidisse. Dies autem non modo non leuat luctum hunc, sed

etiam auget. Nam ceteri dolores mitigantur vetustate; hic non potest non et sensu praesentis miseriae, et recordatione praeteritae vitae quotidie augeri. Desidero enim non mea solum, neque meos, sed me ipsum. Quid enim sum? Sed non faciam, ut aut tuum animum angam querelis, aut meis vulneribus saepius manus adferam.

---

III, 18. Fac (si vides, quantis in malis iaceam, et, si putas esse humanitatis tuae) me fac de tota causa nostra certiolem. Nam Quintus frater, homo mirus, qui me tam valde amat, omnia mittit spei plena, metuens, credo, defectionem animi mei. Tuae autem litterae sunt variae. Neque enim me desperare vis, nec temere sperare. Fac, obsecro te, ut omnia, quae perspicere a te possunt, sciamus.

---

III, 19. Itaque in Epirum ad te statui me conferre: non quo mea interesset loci natura, qui lucem omnino fugerem: sed et ad salutem libentissime ex tuo portu proficiscar; et, si ea praecisa erit, nusquam facilius hanc miserimam vitam vel sustentabo, vel, quod multo est melius, abiecero. Ero cum paucis; multitudinem dimittam. Me tuae litterae nunquam in tantam spem adduxerunt, quantam aliorum. Attamen mea spes etiam tenuior semper fuit, quam tuae litterae. Sed tamen, quoniam coeptum est, age, quoquo modo coeptum est, et quacunque de causa, non deseram neque optimi, atque vnici fratris miseras ac luctuosas preces; nec Sestii, ceterorumque

promissa; nec spem aerumnosissimae mulieris Terentiae; nec miserrimae mulieris Fulliolae obsecrationem, et fideles litteras tuas. Mihi Epirus aut iter ad salutem dabit; aut, quod scripsi supra. Te oro et obsecro, T. Pomponi, si me omnibus amplissimis, carissimis, iucundissimisque rebus perfidia hominum spoliatum; si me a meis consiliariis proditum et proiectum vides; si intelligis me coactum, ut ipse me et meos perderem; ut me tua misericordia iuues: et Quintum fratrem, qui potest esse saluus, sustentas; Terentiam, liberosque meos tueare; me, si putas te istic visurum, expectes; si minus, inuisas, si potes, mihi-que ex agro tuo tantum assignes, quantum meo corpore occupari potest; et pueros ad me cum litteris quamprimum et quam saepissime mittas.

---

III, 20. In vniuersa salute, si ea modo nobis restituetur, inerunt omnia. — Quod facultates tuas ad meam salutem polliceris, ut omnibus rebus a te praeter ceteros iuuer: id quantum sit praesidium, video; intelligoque, te multas partes meae salutis et suscipere, et posse sustinere: neque, ut ita facias, rogandum esse. — Tibi tamen eo plus debeo, quo tua in me humanitas fuerit excelsior, quam in te mea.

---

III, 22. Mi Pomponi, pugna, ut tecum et cum meis mihi liceat viuere, et scribe ad me omnia. Premor cum luctu, tum desiderio meorum omnium, tum eorum, qui mihi me cariores semper fuerunt.

---

III, 25. Post tuum a me discessum litterae mihi Roma allatae sunt, ex quibus perspicio nobis in hac calamitate tabescendum esse: neque enim, (sed bonam in partem accipies) si vlla spes salutis nostrae subesset, tu, pro tuo amore in me, hoc tempore discessisses. Sed ne ingrati, aut me omnia velle nobiscum vna interire videamur, hoc omitto: illud abs te peto, des operam, id quod mihi affirmasti, vt te ante Kal. Ianuar. vbicunque erimus, sistas.

---

III, 27. Ex tuis litteris, et ex re ipsa nos funditus perisse video. Te oro, vt quibus in rebus mei tui indigebunt, nostris miseris ne desis. Ego te, vt scribis, cito videbo.

---

III, 1. Cognoram enim, (vt vere scribam) te in consiliis mihi dandis nec fortiorem, nec prudentiorem, quam me ipsum: nec etiam pro praeterita mea in te obseruantia, nimium in custodia salutis meae diligentem.

---

III, 2. Prioribus (litteris) tibi declaravi, aduentus noster qualis fuisset, et quis esset status, atque omnes res nostrae quemadmodum essent, vt in secundis, fluxae, vt in aduersis, bonae.

---

III, 3. Sed ego diaeta curari incipio: chirurgiae taedet.

---

III, 14. Vestorius noster me per litteras fecit certiore, te Roma a. d. vi. id. Mai. putare profectum esse tardius, quam dixerat, quod minus valuisses. Si iam melius vales, vehementer gaudeo. — Dionysium iube saluere. Cura, ut valeas.

---

III, 15 Valde mehercule mihi gratum, si Eutychides tuam erga me beniuolentiam cognoscet, et suam illam in meo dolore *συμπάθειαν*, neque tum mihi obscuram, neque post ingratham fuisse.

---

III, 16. Qui et aetate et valitudine erat ea, qua esse meministi. — Nam Cato aegrotat. — Nullus dolor me angit. — Nec tamen ego de meo statu demigro, quaeque vita maxime est ad naturam, ad eam me refero. — Non recordor, unde ceciderim, sed unde surrexerim. Fratrem mecum et te si habebo, per me ista pedibus trahantur. — Locus ille animi nostri, stomachus ubi habitabat olim, concalluit.

---

V, 1. Tum Quintus, en, inquit mihi, haec ego patior quotidie. Dices, quid, quaeso, istuc erat? magnum; itaque me ipsum commouerat: sic absurde et aspere verbis vultuque responderat. Dissimulaui dolens. Discubuimus omnes praeter illam: cui tamen Quintus de mensa misit; illa reiecit, quid multa? nihil meo fratre leuius, nihil asperius tua sorore mihi visum est: et multa praetereo, quae tum mihi maiori stomacho, quam ipsi Quinto, fuerunt.

---

V, 5. Dionysius nobis cordi est. Nicanor tuus operam mihi dat egregiam.

---

V, 8. Me et incommoda valitudo, qua iam emersem, vtpote cum sine febris laborassem, et Pomtini expectatio, de quo adhuc ne rumor quidem venerat, tenebat duodecimum iam diem Brundisii. Sed cursum expectabamus.

---

V, 11. Cum ego me non belle haberem.

---

V, 15. Appii vulnera non refrico; sed apparent, nec oculi possunt.

---

V, 17. Satis enim habeo negotii in sanandis vulneribus.

---

V, 20. Qua in fuga, magna auctoritate Osaces, dux Parthorum, vulnus accepit, eoque interiit paucis post diebus. — Ego in vita mea nulla unquam voluptate tanta sum adfectus, quanta adficio hac integritate, nec me tam fama, quae summa est, quam res ipsa, delectat.

---

VI, 1. Vt si medicus, cum agrotus alii medico traditus sit, irasci velit ei medico, qui sibi successerit, si, quae ipse in curando constituerit, mutet ille.

---

VI, 7. Tiro ad te dedisset litteras, nisi eum grauiter aegrum Issi reliquissem. Sed nuntiant, melius esse. Ego tamen angor. Nihil enim illo adolescente castius, nihil diligentius.

---

VI, 9. Id videbatur approbare, quod erat in extremo, febriculam tum te habentem scripsisse; sed amaui tamen, admiratusque sum, quod nihilo minus ad me tua manu scripsisses. Quare de hoc satis. Spero enim, quae tua prudentia et temperantia est, et hercule, vt me iubet Acastus, confido te iam, vt volumus, valere.

---

VII, 1. Scis me Athenas venisse prid. idus Octobres; e naui egressum in Piraeum tuas ab Acasto nostro litteras accepisse; conturbatum, quod cum febre Romam venisses; bono tamen animo esse coepisse, quod Acastus ea, quae vellem, de alleuato corpore tuo, nuntiaret.

---

VII, 2. Inualitudo tua me valde conturbat. Significant enim tuae litterae, te prorsus laborare. Ego autem, cum sciam, quam sis fortis, vehementius esse quiddam suspicer, quod te cogat cedere et propemodum infringat: etsi alteram quartanam Pamphilus tuus mihi dixit decessisse, et alteram leuiorem accedere. Terentia vero, quae quidem eodem tempore ad portam Brundisianam venit, qua ego in portum, mihi que obuia in foro fuit, L. Pontium sibi in Trebulano dixisse narrabat, etiam eam decessisse; quod si ita, et

quod maxime mehercule opto ; idque spero tua prudentia et temperantia te consecuturum. — Alexidis animum amabam, quod tam prope accedebat ad similitudinem tuae litterae: manum non amabam, quod indicabat te non valere. Cuius quoniam mentio facta est; Tironem Patris aegrum reliqui, adolescentem, ut nosti, (et adde, si quid vis) probum: nihil vidi melius. Itaque careo aegre; quanquam videbatur se non grauiter habere; tamen sum sollicitus, maximamque spem habeo in Curii diligentia, de qua ad me scripsit Tiro, et multi nunciarunt. — Quodsi tu valeres, iam mihi quaedam explorata essent. Sed, ut spero, valebis.

---

VII, 3. Tironis reficiendi spes est in Curio: cui ego scripsi, tibi eum gratissimum facturum.

---

VII, 5. Inualitudine tua moueor; et, Piliam in idem genus morbi delapsam, curam tibi afferre maiorem sentio. Date igitur operam, ut valeatis. De Tirone, video tibi curae esse: quem quidem ego, etsi mirabiles utilitates mihi praebet, cum valet, in omni genere vel negotiorum, vel studiorum meorum, tamen propter humanitatem et modestiam malo saluum, quam propter usum meum.

---

VII, 7. Tua *λῆψις* quem in diem incurrat, nescio: sed prorsus te commoueri incommodo valetudinis tuae nolo.

---

VII, 8. Diem tuum ego quoque ex epistola quadam tua, quam incipiente febricula scripseras, mihi notaueram; et animaduverteram, posse, pro re nata, te non incommode ad me in Albanum venire III. nonas Ianuar. sed, amabo te, nihil incommodo valitudinis feceris. Quid enim est tantum in vno aut altero die?

---

VII, 13. Si scriberem ipse, longior epistola fuisset: sed dictavi propter lippitudinem.

---

VII, 14. A. d. VI. Kal. Febr. Capuam Calibus proficiscens, cum fluenter lippirem, has litteras dedi.

---

VII, 26. Quod me amicissime admones, ut me integrum, quoad possim, seruem; gratum est.

---

VIII, 1. Ego, si somnum capere possem, tam longis te epistolis non obtunderem. Tu, si tibi eadem causa est, me remunerere sane velim.

---

VIII, 2. In vnius hominis, quotannis periculose aegrotantis, anima positas omnes nostras spes habemus.

---

VIII, 6. Modo enim audiui, quartanam a te discessisse. Moriar, si magis gauderem, si id

mihī accidisset. Piliae dic, non esse aequum, eam diutius habere, nec id esse vestrae concordiae.

---

VIII, 11. Vt enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria; sic huic moderatori reipublicae beata ciuū vita proposita est.

---

VIII, 12. Mihi molestior lippitudo erat etiam, quam ante fuerat. Dictare tamen hanc epistolam malui, quam Gallo Fabio, amantissimo vtriusque nostrum, nihil ad te litterarum dare. Nam pridie quidem, quoquo modo potueram, scripseram ipse eas litteras, quarum vaticinationem falsam esse cupio.

---

VIII, 13. Lippitudinis meae signum tibi sit librarii manus, et eadem causa breuitatis: etsi nunc quidem, quod scriberem nihil erat. Omnis expectatio nostra erat in nuntiis Brundisinis.

---

VIII, 15. Plura scriberem, si ipse possem, sed, vt mihi videor, potero biduo.

---

VIII, 16. Nec simulant, vt cum de illo aegrotō vota faciebant.

---

VIII, 4. Sed tamen, ne me totum aegritudini dedam, sumpsī mihi quasdam tanquam

Ἰέσεις, quæ et politicae sunt et temporum horum, ut et abducam animum ab querelis, et in eo ipso, de quo agitur, exercear. — In his ego me consultationibus exercens, et disserens iu utramque partem tum graece, tum latine, et abduco parumper animum a molestiis, et τοῦ προύργου τί delibero. Sed vereor, ne tibi ἀκαίριος sim.

---

VIII, 5. Age, finge me quamvis εὐστομάχως haec ferentem: quid illa, dic M. Tulli, quem habebunt etiam exitum? Et omnino causam reipublicae, quam ego amissam puto cum vulneribus suis, tum medicamentis iis, quae parantur. — Quidquam tu illa putas fuisse de valitudine decreta municipiorum praë his de victoria gratulationibus?

---

VIII, 6. Non angor, sed ardeo dolore. — Deinde emergit rursus dolor. — Quamobrem obsecro te, mi Tite, eripe mihi hunc dolorem, aut minue saltem, aut consolatione, aut consilio, aut quacunque re potes. Quid tu autem possis? aut quid homo quisquam? vix Deus iam. — Me miserum, quod tu non valuisti; vna fuisset: consilium certe non defuisset. — Videtur vel mori satius fuisse, quam esse cum iis. Ad haec igitur cogita, mi Attice, vel potius excogita. Quemuis euentum fortius feram, quam hunc dolorem.

---

VIII, 7. Venit autem eo ipso die ille celeripes, quem Saluius dixerat: attulit vberimas

tuas litteras, quae mihi quiddam quasi animalae restillarunt. Recreatum enim me non queo dicere. — Longior vero tua epistola non me solum, sed meos omnes aegritudine leuauit. Itaque utar tuo consilio et ero in Formiano. — Misi etiam Caesaris ad eos sana mente scriptas; quo modo in tanta insania. — Si modo, inquis, satis ille erit firmus. Est firmior etiam quam putabamus. De isto licet bene speres. Promitto tibi, si valebit, tegulam illum in Italia nullam relicturum. — Noli enim putare tolerabiles horum insanias, nec vnus modi fore. — In Epirum quod me non inuitas, comitem non molestum, subirascor: sed vale. Nam, ut tibi ambulandum, vngendum, sic mihi dormiendum. Etenim litterae tuae mihi somnum attulerunt.

---

VIII, 10. Nihil habebam, quod scriberem, neque enim noui quidquam audieram et ad tuas omnes rescripseram pridie. Sed, cum me aegritudo non solum somno priuaret, verum ne vigilare quidem sine summo dolore pateretur, tecum ut quasi loquerer, in quo vno acquiesco, hoc nescio quid, nullo argumento proposito, scribere institui. — Sol, ut est in tua quadam epistola, excidisse mihi e mundo videtur. Ut aegrotto, dum anima est, spes esse dicitur; sic ego, quoad Pompeius in Italia fuit, sperare non destiti.

---

VIII, 13. Ego autem illum male sanum semper putavi, nunc etiam impurum et sceleratum puto; nec tamen mihi inimiciorem, quam sibi.

---

X, 4. Natura metuenda est: haec Curionem; haec Hortensii filium, non patrum culpa, corripit. Iacet in moerore meus frater, neque tam de sua vita, quam de me metuit. Huic tu, huic tu malo affer consolationes, si vllas potes.

---

X, 8. Id spero viuis nobis fore; quanquam tempus est nos de illa perpetua iam, non de hac exigua vita cogitare.

---

X, 9. Quartanam leuiorem esse gaudeo.

---

X, 10. Δυσουγία tua mihi valde molesta: Medere amabo, dum est ἀρχή.

---

X, 11. De itinere et de sorore quae scribis; molesta sunt, eoque magis, quod ea tempora nostra sunt, vt ego his mederi non possim. Nam certe mederer. Sed quibus in malis et qua in desperatione rerum simus, vides.

---

X, 14. O vitam miseram! maiusque malum, tam diu timere, quam est illud ipsum, quod timeatur! — Ne diutius te teneam, nullius consilii exitum inuenimus. Nunquam vidi hominem perturbatiorem metu: neque hercule quidquam timebat, quod non esset timendum. — Atque haec ita multis cum lacrimis loquebatur, vt ego mirarer, eas tam diuturna miseria non exaruisse. Mihi quidem

etiam lippitudo haec, propter quam non ipse ad te scribo, sine vlla lacrima est, sed saepius odiosa est propter vigiliis. Quamobrem quidquid habes ad consolandum, collige, et illa scribe, non ex doctrina, neque ex libris: nam id quidem domi est; sed nescio quomodo imbecillior est medicina, quam morbus.

---

X, 15. Te a quartana liberatum gaudeo, itemque Piliam.

---

X, 16. Tu, quoniam quartana cares, et nendum morbum remouisti sed etiam grauedinem, te vegetum nobis in Graecia siste; et litterarum aliquid interea.

---

X, 17. Crebro refricat lippitudo, non illa quidem perodiosa, sed tamen quae impediatur scriptionem meam. Valetudinem tuam iam confirmatam esse et a vetere morbo et a nouis tentationibus gaudeo.

---

X, 18. Tullia mea peperit XIII. Kalend. Iun. puerum *ἑπταμηνιαῖον*. Quod *ἠυτόκησεν*, gaudebam. Quod quidem est natum perimbecillum est. — Ecquem tu hominem infeliciorem? Non loquor plura, ne te quoque excruciem. Ipse conficior, venisse tempus, cum iam nec fortiter nec prudenter quidquam facere possim.

---

XI, 1. Te etiam atque etiam oro, vt me totum tuendum suscipias; vt, si ii salui erunt, quibuscum sum, vna cum iis possim incolumis esse, salutemque meam beniuolentiae tuae acceptam referre.

---

XI, 4. Me conficit sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas corporis: qua leuata, ero vna cum eo, qui negotium gerit, estque in spe magna.

---

XI, 5. Ego propter incredibilem et animi et corporis molestiam conficere plures litteras non potui.

---

XI, 6. Sollicitum esse te cum de tuis communibusque fortunis, tum maxime de me ac de dolore meo, sentio: qui quidem dolor meus non modo non minuitur, cum socium sibi adiungit dolorem tuum, sed etiam augetur. Omnino pro tua prudentia sentis, qua consolatione leuari maxime possim. Probas enim meum consilium, negasque mihi quidquam tali tempore potius faciendum fuisse. — Tulliae meae morbus et imbecillitas corporis me exanimat: quam tibi intelligo magnae curae esse; quod est mihi gratissimum.

---

XI, 7. Quin hoc ipso minuis dolorem meum, quod, vt minuas, tam valde laboras. — Ignosce, obsecro te, non possum prae fletu et dolore diutius in hoc loco commorari.

---

XI, 8. Sed augeo commemorando dolorem, et facio etiam tibi.

---

XI, 9. Plura scribere fletu prohibeor.

---

XI, 10. Ad meas incredibiles aegritudines aliquid novi accedit ex iis, quae de Q. Q. ad me afferuntur. — Haec tibi dolori esse certe scio: me quidem excruciant, et eo magis, quod mihi cum illis ne querendi quidem locum futurum puto.

---

XI, 11. Confectus iam cruciatu maximorum dolorum; — cum praesertim ne spes quidem vlla ostendatur, fore melius. — Quarum rerum eo grauior est dolor, quo culpa maior.

---

XI, 13. Mihi cum omnia sunt intolerabilia ad dolorem, tum maxime, quod in eam causam venisse me video, vt ea sola vtilia mihi esse videantur, quae semper nolui. — Plura ne scribam dolore impediatur.

---

XI, 14. Non quod ab isto salus data quidquam habitura sit firmitudinis; sed tamen aliquid consuli et prospici poterit. Etsi omnium conspectum horreo, praesertim hoc genero; tamen, in tantis malis quid aliud velim non reperio.

---

XI, 15. Nihil fingi potest mali, quo non vrgear. Omnia tamen sunt faciliora, quam peccati dolor, qui et maximus est et aeternus: cuius peccati si socios essem habiturus ego, quos putavi, tamen esset consolatio tenuis. Sed habet aliorum omnium ratio exitum, mea nullum. — Quo minus debes mirari, non posse me tanto dolori resistere. Solius enim meum peccatum corrigi non potest. — Haec ad te scribo, non ut queas tu demere sollicitudinem, sed ut cognoscam, ecquid tu ad ea afferas, quae me conficiunt: ad quae gener accedit, et cetera, quae fletu reprimor ne scribam. Quin etiam Aesopi filius me excruciat. Prorsus nihil abest, quin sim miserrimus.

---

XI, 22. Quid mihi igitur censes? Iam enim corpore vix sustineo grauitatem huius coeli, qui mihi laborem affert in dolore. — Quaeso, attende; et me, quod adhuc saepe rogatus non fecisti, consilio iuua: scio rem difficilem esse, sed, ut in malis. Etiam illud mea magni interest, te ut videam. Profecto aliquid profecero, si id acciderit.

---

XI, 25. Et sic putabam, te certiore factum non esse, modo valeres. Scripseras enim te quodam valitudinis genere tentari.

---

XI, 25. Facile assentior tuis litteris; quibus exponis pluribus verbis nullum te habere consilium, quo a te possim iuuari. Consolatio certe

nulla est, quae leuare possit dolorem meum. Nihil est enim contractum casu; nam id esset ferendum. Sed omnia fecimus iis erroribus et miseriis et animi et corporis, quibus proximi vtinam mederi maluissent, quam obesse; quoniam neque consilii tui, neque consolationis cuiusquam spes vlla mihi ostenditur.

---

XII, 1. Cum complicarem hanc epistolam, noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius: qua lecta, de Atticae febricula scilicet valde dolui. — γεροντικώτερον est memoriola vacillare.

---

XII, 4. Sed cura, obsecro, vt valeas, eamque, quam ad omnes res adhibes, imprimis ad conualescendum adhibe prudentiam.

---

XII, 9. Atticam doleo tam diu: sed quoniam iam sine horrore est, spero esse, vt volumus.

---

XII, 10. Male mehercule de Athamante. Tuus autem dolor, humanus is quidem, sed magnopere moderandus. Consolationum autem multae viae, sed illa rectissima. Impetret ratio, quod dies impetratura est. Alexim vero curemus, imaginem Tironis; quem aegrum Romam remisi.

---

XII, 11. Male de Seio; sed omnia humana tolerabilia ducenda. Ipsi enim quid sumus? Aut quam diu haec curaturi sumus? Ea videamus, quae ad nos magis pertinent, nec tamen multo. — Atticae hilaritatem libenter audio: commotiunculis  $\sigma\upsilon\mu\pi\acute{\alpha}\sigma\chi\omega$ .

---

XII, 13. Commouet me Attica; etsi assentior Cratero. Bruti litterae, scriptae et prudenter et amice, multas mihi tamen lacrimas attulerunt. — Ardor tamen ille idem vrget et manet, non mehercule indulgente me, sed tamen non repugnante. — Sed cura, vt excuset morbi causa in dies singulos. — Et ipse perpetuum morbum iurabo. Cum enim mihi carendum sit conuiuuiis, malo id lege videri facere quam dolore. — Ego autem volo aliquod emere latibulum et perfugium doloris mei.

---

XII, 14. Sed omnem consolationem vincit dolor. Quin etiam feci, quod profecto ante me nemo, vt ipse me per litteras consolaretur. — Affirmo tibi nullam consolationem esse talem. Totos dies scribo; non quo proficiam quid; sed tantisper impediatur, non equidem satis, (vis enim vrget) sed relaxor tamen, omniaque nitor, non ad animum, sed ad vultum ipsum, si queam, reficiendum; idque faciens, interdum mihi peccare videor, interdum peccaturus esse, nisi faciam. — De Attica doleo; credo tamen Cratero. Piliam angiveta: satis solitus es moerere pro omnibus.

---

XII, 15. Secundum te nihil est mihi amicus solitudine. In ea mihi omnis sermo est cum litteris. Eum tamen interpellat fletus: cui repugno, quoad possum. Sed adhuc pares non sumus.

---

XII, 17. Atticam saluere iube, et eam cura, obsecro, diligenter.

---

XII, 18. Dum recordationes fugio, quae quasi morsu quodam dolorem efficiunt, refugio a te admonendo; quod velim mihi ignoscas, cuiuscumodi est. — Quae res forsitan sit refricatura vulnus meum. Sed iam quasi voto quodam et promisso me teneri puto; longumque illud tempus, cum non ero, magis me mouet, quam hoc exiguum, quod mihi tamen nimium longum videtur. Habeo enim nihil, tentatis rebus omnibus, in quo acquiescum. Nam, dum illud tractabam, de quo antea scripsi ad te, quasi fouebam dolores meos. Nunc omnia respuo; nec quicquam habeo tolerabilius, quam solitudinem.

---

XII, 20. Quod me hortaris, idque a ceteris desiderari scribis, ut dissimulem me tam grauius dolere; possumne magis, quam quod totos dies consumo in litteris? quod etsi non dissimulationis, sed potius leniendi et sanandi animi causa facio: tamen, si mihi minus proficio, simulationi certe facio satis. — Velim me facias certiore proximo litteris, Cn. Caepio, Seruiliae Claudii pater, viuone patre suo naufragio perierit,

an mortuo; item Rutilia viuone C. Cotta, filio suo, mortua sit, an mortuo. Pertinent ad eum librum, quem de luctu minuendo scripsimus.

---

XII, 21. Ne me quidem contemno: meoque iudicio multo stare malo, quam omnium reliquorum. Neque tamen progredior longius, quam mihi doctissimi homines concedunt: quorum scripta omnia, quaecunque sunt in eam sententiam, non legi solum, quod ipsum erat fortis aegroti accipere medicinam; sed in mea etiam scripta transtuli; quod certe afflicti et fracti animi non fuit. Ab his me remediis noli in istam turbam vocare, ne recidam.

---

XII, 22. Ista enim sunt ipsa vulnera, quae non possum tractare sine maximo gemitu.

---

XII, 23. Si qua me res isto adduxerit, enitar, si quo modo potero, (potero autem) vt praeter me nemo dolorem meum sentiat: si villo modo poterit, ne tu quidem. — De Terentia ita cura, vt scribis; meque hac ad maximas aegritudines accessione nunc maxima libera. Et, vt scias me ita dolere, vt non iaceam. — Mihi, quoquo modo tu existimas, (scio enim ego ipse, quid de me existimem) leuatio quaedam est, si minus doloris, at officii debiti.

---

XII, 24. De Attica, optime it; ei salutem dicces et Piliae.

---

XII, 29. Nec ego Brutum vito, nec tamen ab eo leuationem vllam exspecto.

---

XII, 33. Vehementer me sollicitat Atticae nostrae valitudo: vt verear etiam, ne qua culpa sit. Sed et paedagogi probitas, et medici assiduitas, et tota domus in omni genere diligens, me rursus id suspicari vetat. Cura igitur. Plura non possum.

---

XII, 34. Ego hic vel sine Sica (Tironi enim melius est) facillime possem esse, vt in malis. — Tuam quidem et in agendis nostris rebus, et in consiliis ineundis mihiq̄ue dandis, in ipsis litteris, quas mittis, beniuolentiam, diligentiam, prudentiam mirifice diligo.

---

XII, 35. Nam etsi minus vrgeor, meque ipse propemodum collegi; tamen indigeo tui consilii. Itaque te vehementer etiam atque etiam rogo, magis quam a me vis, aut pateris te rogari, vt hanc cogitationem toto pectore amplectare.

---

XII, 37. A te heri duas epistolas accepi, alteram pridie datam Hilario, alteram eodem die tabellario; accepique ab Aegypta, liberto, eodem die, Piliam et Atticam plane belle se habere.

---

XII, 58. Ferrem grauiter, si nouae aegri-  
moniae locus esset. — Sed tenendus dolor est. —  
Si, qui me fractum esse animo et debilitatum  
putant, sciant quid litterarum et cuius generis  
conficiam; credo, si modo homines sint, existi-  
ment me, siue ita leuatus sim, vt animum vacuum  
ad res difficiles scribendas afferam, reprehenden-  
dum non esse; siue hanc aberrationem a dolore  
delegerim, quae maxime liberalissima doctoque  
homine dignissima, laudari me etiam oportere.  
Sed, cum ego faciam omnia, quae facere possim  
ad me adiuuandum; tu effice id, quod video te  
non minus quam me laborare.

---

XII, 45. De Attica optime.

---

XIII, 12. Valde me momorderunt episto-  
lae tuae de Attica nostra: caedem tamen sanaue-  
runt. Quod enim te ipse consolabare eisdem lit-  
teris, id mihi erat satis firmum ad leniendam aegri-  
tudinem.

---

XIII, 13. Sed quid haec leuia curamus? At-  
tica mea, obsecro te, quid agit? Quae me valde  
angit. Sed crebro regusto tuas litteras: in  
his acquiesco.

---

XIII, 15. Quid agit, obsecro te, Attica no-  
stra?

---

XIII, 17. Sed quid ista, quae minus curo? Attica nostra quid agat scire cupio. Etsi tuae litterae (sed iam nimis veteres sunt) recte sperare iubent. Tamen exspecto recens aliquid.

---

XIII, 19. In quibus (tuis litteris) illud mihi gratissimum fuit, quod Attica nostra rogat te, ne tristis sis, quodque tu ἀκίνδυνα esse scribis.

---

XIII, 21. De Attica optime, quod leuius ac lenius, et quod fert εὐκόλως.

---

XIII, 22. Alteris iam litteris nihil ad me de Attica. Sed id quidem in optima spe pono. Illud accuso, non te, sed illam, ne salutem quidem. At tu et illi et Piliae plurimam: nec me tamen irasci indicaris.

---

XIII, 29. Sed hoc mihi non placuit. Se scire aiebat ab eo nuper petitam Cornificiam, Q. filiam, vetulam sane et multarum nuptiarum.

---

XIII, 47. Quoniam Balbus est aeger.

---

XIII, 48. Lepta me rogat, vt, si quid sibi opus sit, accurram. Mortuus enim Babullius.

---

XIII, 5. Spero tibi iam esse vt volumus; quoniam quidem *ἡσίστησας*, cum leuiter commotus esses: sed tamen velim scire quid agas.

---

XIII, 6. Primum igitur melius esse.

---

XIII, 9. Nam mori millies praestitit, quam haec pati, quae mihi videntur habitura etiam vetustatem.

---

XIII, 15. Nos autem id videamus, quod in nobis ipsis esse debet, vt, quidquid acciderit, fortiter et sapienter feramus, et accidisse hominibus meminerimus. — A ducenda autem vxore sic abhorret, vt libero lectulo neget esse quidquam iucundius.

---

XIII, 17. Sunt enim permulti optimi viri, qui, valetudinis causa, in haec loca conueniunt. — L. quidem Caesar, cum ad eum aegrotum Neapolim venissem, quanquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante, quam me plane salutauit, o mi Cicero, inquit, gratulor tibi, cum tantum vales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium valerem, iam salui esse possemus.

---

XIII, 21. Legendus mihi saepius est Cato maior, ad te missus. Amariorem enim me senectus facit. Stomachor omnia. Sed mihi

quidem *βεβιωται*. Viderint iuuenes. Tu mea curabis, vt curas.

---

XV, 1. Ad quem igitur te medicum conferes? Quid mihi iam medico? Aut si opus est, tanta inopia est? Amorem erga me, humanitatem suauitatemque desidero. Etiam illud: quid est, quod non pertimescendum sit; cum hominem temperantem, summum medicum, tantus improvise morbus oppresserit? Sed ad haec omnia vna consolatio est, quod ea conditione nati sumus, vt nihil, quod homini accidere possit, recusare debeamus. — Ibi paene valentem videram Piliam. — Venerat enim in funus: cui funeri ego quoque operam dedi. Cn. Lucullus, familiaris noster, matrem efferebat.

---

XV, 2. De Alexione doleo; sed, quoniam inciderat in ita grauem morbum, bene actum cum illo arbitror.

---

XV, 5. Cassius vero vehementer orat ac petit, vt Hirtium quam optimum faciam. Sanum putas?

---

XV, 13. Modo Balbium incolumem videam, subsidium nostrae senectutis.

---

XV, 16. Equidem etiam pluuias metuo, si prognostica nostra vera sunt. Ranae enim *ἐητορέουσιν*.

---

XV, 20. Ex hac naxa exire constitui, non ad fugam, sed ad spem mortis melioris.

---

XVI, 1. *λῆρος πολύς* in vino et in somno istorum.

---

XVI, 11. Grauedo tua mihi molesta est. Quaeso adhibe, quam soles, diligentiam. — Atticae, quoniam, quod optimum in pueris est, hilarula est, meis verbis suauium des. Vale.

---

XVI, 14. Grauedini, quaeso, omni ratione subueni.

---

XVI, 15. Sed desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam. Quare ista valeant.

---

Cic. ep. ad Q. Fratr. I, 1, 5. Huic quantum credendum sit vide: non quin possint multi esse prouinciales viri boni; sed hoc sperare licet, iudicare periculosum est. Multis enim simulationum inuolucris tegitur, et quasi velis quibusdam obtenditur vnius cuiusque natura: frons, oculi, vultus persaepe mentiuntur; oratio vero saepissime.

---

15. Neque ego nunc hoc contendo, quod fortasse cum in omni natura, tum iam in nostra actate difficile est, mutare animum, et si quid est penitus insitum moribus, id subito euellere; sed te illud admoneo, vt, si hoc plene vitare non potes,

quod ante occupatur animus ab iracundia, quam providere ratio potuit, ne occuparetur: ut te ante compares quotidieque meditare, resistendum esse iracundiae: cumque ea maxime animum moueat, tum tibi esse diligentissime linguam continendam: quae quidem mihi virtus non interdum minor videtur, quam omnino non irasci. Nam illud non solum est grauitatis, sed nonnunquam etiam lentitudinis: moderari vero et animo, et orationi, cum sis iratus, aut etiam tacere, et tenere in sua potestate motum animi et dolorem, esti non est perfectae sapientiae, tamen est non mediocris ingenii. —

---

16. Reliquum est, ut valetudini tuae, si me et tuos omnes valere vis, diligentissime seruias.

---

I, 2, 2. Quid? L. Caecilium nonne omni ratione placui? quem hominem, qua ira? quo spiritu? quem denique, praeter Tuscenium, cuius causa sanari non potest, non mitigui?

---

I, 5. Ego te videre noluerim. Imo vero me a te videri nolui. Non enim vidisses fratrem tuum: non eum, quem reliqueras: non eum, quem noras: non eum, quem flens flentem, prosequentem proficiscens dimiseras: ne vestigium quidem eius, nec simulacrum; sed quandam effigiem spirantis mortui. Atque utinam me mortuum prius vidisses, aut audisses! Utinam te non solum vitae, sed etiam dignitatis meae superstitem reliquissem! Sed testor omnes deos, me hac vna voce a morte esse reuocatum, quod omnes in mea vita partem aliquam tuae vitae repositam esse dice-

bant. — Ego tamen, quamdiu tibi opus erit, si quid periculi subeundum videbis, viuam. Diutius in hac vita esse non possum. Neque enim tantum virium habet vlla aut prudentia, aut doctrina, vt tantum dolorem possit sustinere.

---

I, 4. Lacrimae meorum me ad mortem ire prohibuerunt: quod certe et ad honestatem et ad effugiendos intolerabiles dolores fuit aptissimum. — Ego vitam, quoad putabo tua interesse, aut ad spem seruandam esse, retinebo.

---

II, 2. Non occupatione, qua eram sane impeditus, sed paruula lippitudine adductus sum, vt dictarem hanc epistolam: et non, vt ad te soleo, ipse scriberem. — Tui nostrique valent.

---

II, 3. Is erat aeger. Domum, (vt debuimus) ad eum statim venimus: eique nos totos tradidimus: idque fecimus praeter hominum opinionem, qui nos ei iure succensere putabant; ut humanissimi gratissimique et ipsi et omnibus videremur; itaque faciemus. — Cura, mi frater, vt valeas; et quanquam est hiems, tamen Sardiniam istam esse cogites.

---

II, 6. A. d. VIII. id. Apr. sponsalia Crassipedi praebui. Huic conuiuio puer optimus Quintus tuus meusque, quod perleviter commotus fuerat, defuit: a. d. VI. id. Apr. veni ad Quintum

eumque vidi plane integrum, multumque is mecum sermonem habuit et perhumanum de discordiis mulierum nostrarum.

---

II, 7. Fac, mi frater, vt valeas quam primumque venias.

---

II, 10. Opposuisti semel ἀντίστακτον causam, Ciceronis nostri valetudinem. — Sed hominem infirmum in villam apertam, ac ne rudem quidem etiam nunc, inuitare nolui. — Marius et valetudine est et natura imbecillior.

---

II, 13. Risi niuem atram: teque hilari animo esse et prompto ad iocandum valde me iuuat.

---

II, 15. Tu, quemadmodum me censes oportere esse in republica et in nostris inimicitiiis, ita et esse, et fore, auricula infima scito molliorem.

---

II, 16. Statui ad nullam medicinam reipublicae sine magno praesidio accedere.

---

III, 1, 5. Quod Cato non valebat, adhuc de pecuniis repetundis non erat postulatus. — 7. Te oro etiam atque etiam, mi frater, vt valeas.

---

III, 3. *Negotia nostra sic se habent. Domestica vero, ut volumus. Valent pueri, studiose discunt, diligenter docentur, et nos et inter se amant. — Sed enitemur, ut Messala noster saluus sit: quod est etiam cum reliquorum salute coniunctum.*

---

III, 6. *Cessator esse noli: et illud γνώθι σεαυτὸν noli putare ad arrogantiam minuendam solum esse dictum, verum etiam ut bona nostra norimus.*

---

III, 8. *Plura ad te vacuo animo scribam, cum (ut spero) se Cicero meus belle habebit. — Serani Domestici filii funus perluctuosum fuit a. d. VIII. kal. Decembr.*

---

III, 9. *ἀλλ' ὁμωζέτω nos modo valeamus. Ciceronem, et ut rogas, amo, et ut meretur, et ut debeo. Dimitto autem a me, et ut a magistris ne abducam, et quod mater Pomponia discedit, sine qua edacitatem pueri pertimesco. Sed sumus vna tamen valde multum.*

---

*Cic. ep. ad Brut. I, 6. Tibi Glaucona, medicum Pansae, qui sororem Achilleos nostri in matrimonio habet, diligentissime commendo. Audimus, eum venisse in suspicionem Torquato de morte Pansae, custodiri que ut parricidam. Nihil minus credendum est. Quis enim maiorem calamitatem morte Pansae accepit? Praeterea est*

modestus homo et frugi: quem ne utilitas quidem videatur impulsura fuisse ad facinus. Rogo te, et quidem valde rogo (nam Achilles noster non minus quam aequum est laborat) eripias eum ex custodia conseruesque.

---

I, 9. Fungerer officio, quo tu functus es in meo luctu, teque per litteras consolarer, nisi scirem, his remediis quibus meum dolorem tu levasses, te in tuo non egere: ac velim facilius quam nunc mihi, nunc tibi tute medeare. Est enim alienum tanto viro, ut es tu, quod alteri praeceperit, id ipsum facere non posse. — Nam cum in te non solum exercitus tui, sed omnium civium ac paene gentium coniecti oculi sint, minime decet, propter quem fortiores ceteri sumus, eum ipsum animo debilitatum videri. Quam ob rem accepisti tu quidem dolorem (id enim amisisti, cui simile in terris nihil fuit) et est dolendum, in tam graui vulnere (ne id ipsum, carere omni sensu doloris, sit miserius, quam dolere) sed, ut modice, ceteris utile est, tibi necesse est.

---

I, 16. Studium tuum curaque de salute mea nulla me noua voluptate affecit. Non solum enim vsitatum, sed etiam quotidianum est, aliquid audire de te, quod pro nostra dignitate fideliter atque honorifice dixeris aut feceris.

---

I, 17. Valitudinem Porciae meae tibi curae esse non miror. Denique quod petis faciam libenter; nam etiam sorores me rogant. Et hominem noro, et quid sibi voluerit.

---

II, 8. Nulla enim remedia, quae vulneribus adhibentur, tam faciunt dolorem, quam quae sunt salutaria. — Liceat semel impune peccasse: sit erranti medicina confessio. — In duobus autem malis, cum fugiendum maius sit, leuius est eligendum.

Attici vita, XXI. Tali modo cum septem et septuaginta annos complisset: atque ad extremam senectutem non minus dignitate quam gratia fortunaque creuisset (multas enim hereditates nulla alia re quam bonitate consecutus) tantaque prosperitate vsus esset valetudinis, vt annis XXX. medicina non indiguisset: nactus est morbum, quem initio et ipse et medici contemserunt: nam putarunt esse *τεινεσμόν* cui remedia celeria faciliaque proponebantur. In hoc cum tres menses sine vllis doloribus, praeterquam quos ex curatione capiebat, consumsisset, subito tanta vis morbi in imum intestinum prorupit, vt extremo tempore per lumbos fistula putris eruperit. Atque antea quidem morbi diurnitatem moleste ferebat prius quam hoc ei accideret: postquam vero in dies dolores accrescere febresque accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessi iussit, et cum eo L. Cornelium Balbum Sextumque Peducaeam. Hos vt venisse vidit, in cubitum nixus, quantam, inquit, curam diligentiamque in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cum vos testes habeam, nihil opus est pluribus verbis commemorare: quibus quoniam, vt spero, satisfeci, me nihil reliqui fecisse, quod ad sanandum me pertineret: reliquum est, vt egomet mihi consulam. Id vos

ignorare nolui. Nam mihi stat, alere morbum desinere. Namque his diebus, quidquid cibi sumsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis. Quare a vobis peto, primum ut consilium probetis meum; deinde ne frustra dehortando conemini.

---

XXII. Hac oratione habita, tanta constantia vocis atque vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare, cum quidem Agrippa cum flens atque osculans oraret atque obsecraret, ne ad id, quod natura cogeret, ipse quoque sibi acceleraret, et, quoniam tum quoque posset temporibus superesse, se sibi suisque reseruet; preces eius taciturna sua obstinatione depressit. Sic cum biduum cibo se abstinuisset, subito febris decessit leuiorque morbus esse coepit: tamen propositum nihilo secius peregit. Itaque die quinto postquam id consilium inierat, pridie kal. April. Cn. Domitio, C. Sosio consulibus, decessit. Elatus est in lecticula, ut ipse praescripserat, sine vlla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima fulgi frequentia. Sepultus est iuxta viam Appiam, ad quintum lapidem, in monumento Q. Caeciliii auunculi sui.

---

Cic. Acad. Qu. I, 5. Doloris medicinam a philosophia peto, et otii oblectationem hanc honestissimam iudico.

---

4. Assidamus, inquam, si videtur. Sane istud quidem, inquit: sum enim admodum infirmus.

---

5. Corporis autem alia ponebant esse in toto, alia in partibus. Valetudinem, vires, pulchritudinem, in toto: in partibus autem, sensus integros et praestantiam aliquam partium singularum: vt in pedibus celeritatem: vim in manibus: claritatem in voce: in lingua etiam explanatam vocum impressionem. — Hominem esse censebant quasi partem quandam ciuitatis et vniuersi generis humani, eumque esse coniunctum cum hominibus humana quadam societate.

---

10. Hic omnibus his quasi morbis voluit carere sapientem.

---

Cic. Lucull. 7. Meo autem iudicio ita est maxima in sensibus veritas, si et sani sunt, et valentes, et omnia remouentur, quae obstant et impediunt. Itaque et lumen mutari saepe volumus et situs earum rerum, quas intuemur, et intervalla aut contrahimus, aut diducimus: multaque facimus vsque eo, dum adspectus ipse fidem faciat sui iudicii. Quod idem fit in vocibus, in odore, in sapore: vt nemo sit nostrum, qui non in sensibus sui cuiusque generis iudicium requirat acrius. Adhibita vero exercitatione et arte, vt oculi pictura teneantur et aures cantibus, quis est, quin cernat, quanta vis sit in sensibus? — Potestne igitur quisquam dicere, inter eum, qui doleat, et inter eum, qui in voluptate sit, nihil interesse? aut, ita qui sentiat, non apertissime insaniat?

---

10. Sed disputari poterat subtiliter, quanto quasi artificio natura fabricata esset primum animal omne; deinde hominem maxime: quae vis esset in sensibus: quemadmodum prima visa nos pellerent: deinde appetitio ab his pulsa sequeretur: tum vt sensus ad res percipiendas intenderemus. Mens enim ipsa, quae sensuum fons est, atque etiam ipsa sensus est, naturalem vim habet, quam intendit ad ea, quibus mouetur. Itaque alia visa sic arripit, vt his statim vtatur: aliqua sic recondit, e quibus memoria oritur. Cetera autem similitudinibus constituit; ex quibus efficiuntur notitiae rerum: quas Graeci tum *ἐννοίας*, tum *προλήψεις* vocant. Eo cum accessit ratio argumentique conclusio, rerumque innumerabilium multitudo, tum et perceptio eorum omnium apparet, et eadem ratio perfecta his gradibus ad sapientiam peruenit.

---

12. Nam cum vim, quae esset in sensibus, explicabamus, simul aliud aperiebatur, comprehendi multa et percipi sensibus: quod fieri sine assensione non potest. Deinde cum inter inanimum et animal hoc maxime intersit, quod inanimum nihil agit, animal agit aliquid, (nihil enim agens ne cogitari quidem potest quale sit) aut ei sensus adimendus est: aut ea, quae est in nostra sita potestate, reddenda assensio.

---

15. Nam cum dicatis, inquit, visa quaedam mitti a Deo, velut ea, quae in somniis videantur. — Deinde, cum mens moueatur ipsa per sese, vt et ea declarant, quae cogitatione de-

pingimus, et ea, quae vel furiosis, vel dormientibus videntur, nonne, inquirunt, verisimile sit, sic etiam mentem moueri, vt non modo internoscat, vera illa visa sint, ane falsa, sed vt in his nihil intersit omnino? vt, si qui tremere et exalbescerent vel ipsi per se motu mentis aliquo, vel obiecta terribili re extrinsecus, nihil vt esset, qui distingueretur tremor ille et pallor, neque vt quidquam interesset inter intestinum et oblatum. Sapiens in furore sustinet se ab omni assensu, quia nulla in visis distinctio appareat.

---

16. Eadem ratio est somniorum. Num censes Ennium, cum in hortis cum Ser. Galba vicino suo, ambulauisset, dixisse, visus sum mihi cum Galba ambulare? At, cum somniauit, ita narrauit: visus Homerus adesse poeta. Idemque in Epicharmo: Nam videbar somniare me et ego esse mortuum. Itaque, simul vt experrecti sumus, visa illa contemnimus: neque ita habemus, vt ea, quae in foro gessimus.

---

17. At enim dum videntur, eadem est in somniis species eorum, quae vigilantes videmus. Plurimum interest. Sed id omittamus. Illud enim dicimus, non eandem esse vim neque integritatem dormientium et vigilantium, nec mente, nec sensu. Ne vinolenti quidem quae faciunt, eadem approbatione faciunt, qua sobrii: dubitant, haesitant, reuocant se interdum, iisque, quae videntur, imbecillius assentiuntur: cumque edormierunt, illa visa quam leuia fuerint intelligunt.

Quod idem contingit insanis; vt et incipientes furere sentiant et dicant, aliquid, quod non sit, id videri sibi: et, cum relaxentur, sentiant atque illa dicant Alcmaeonis: sed mihi neutiquam cor consentit cum oculorum adpectu. At enim ipse sapiens sustinet se in furore, ne approbet falsa pro veris. — Quaerimus grauitatis, constantiae, firmitatis, sapientiae iudicium: vtimur exemplis somniantium, furiosorum, ebriosorum. Illud attendimus in hoc omni genere quam inconstanter loquamur. Non enim proferemus vino aut somno oppressos, aut mente captos, tam absurde, vt cum diceremus interesse inter vigilantium visa, et sobriorum, et sanorum, et eorum, qui essent aliter affecti: tum nihil interesse. Ne hoc quidem cernunt, omnia se reddere incerta, quod nolunt. Ea dico incerta, quae ἀδηλα Graeci. Si enim res se ita habeant, vt nihil intersit, vtum ita cui videatur, vt insano, an sano: cui possit exploratum esse de sua sanitate? quod velle efficere non mediocris insania est.

---

18. Vt mater geminos internoscit consuetudine oculorum: sic tu internosces, si assueueris. — Habeo enim regulam, vt talia visa vera iudicem, qualia falsa esse non possunt. Ab hac mihi non licet transuersum, vt aiunt, digitum discedere, ne confundam omnia.

---

27. Iam illa praeclara, quanto artificio esset sensus nostros mentemque et totam constructionem hominis fabricata natura. Cur non exti-

mescam opinandi temeritatem? Etiamne hoc affirmare potes, Luculle, esse aliquam vim, cum prudentia et consilio scilicet, quae finxerit, vel, ut tuo verbo utar, quae fabricata sit hominem? qualis ista fabrica est? ubi adhibita? quando? cur? quo modo? tractantur ista ingeniose: disputantur etiam eleganter. Denique videantur sane, ne affermentur modo. — Dormientium et vinolentorum, et furiosorum visa imbecilliora esse dicebas quam vigilantium, siccorum, sanorum.

---

28. Quid loquar de insanis? Qualis tandem fuit affinis tuus, Catule, Tuditanus? Quisquam sanissimus tam certa putat, quae videt, quam is putabat. quae videbantur? Quid ille, qui, Video, video te viuum, Vlysses, dum licet: nonne etiam bis exclamauit se videre, cum omnino non videret? Quid apud Euripidem Hercules, cum ut Eurysthei filios, ita suos configebat sagittis, cum uxorem interimebat? cum conabatur etiam patrem? non perinde mouebatur falsis, ut veris moueretur? Quid? ipse Alcmaeo tuus, qui negat cor sibi cum oculis consentire? nonne ibidem incitato furore: Vnde haec flamma oritur? et illa deinceps, Incede, incede: adsunt, adsunt, me, me expetunt. Quid cum virginis fidem implorat? Fermi auxilium: pestem abige a me: Flammiferam hanc vim, quae me excruciat. Coeruleae incinctae igni incidunt: Circumstant cum ardentibus taedis. Num dubitas, quin sibi haec videre videatur? itemque cetera: Intendit crinitus Apollo Arcum auratum luna innixus. Diana facem iacit a laeua.

Qui magis haec crederet, si essent, quam crederet, quia videbantur? Apparet enim iam cor cum oculis consentire. Omnia autem haec proferuntur, ut illud efficiatur, quo certius nil potest esse: inter visa vera et falsa ad animi assensum nihil interesse. Vos autem nihil agitis, cum falsa illa vel furiosorum, vel somniantium, recordatione ipsorum refellitis. Non enim id quaeritur, qualis recordatio fieri soleat eorum, qui experrecti sunt, aut eorum, qui furere destiterunt: sed qualis visio fuerit aut furentium, aut somniantium tum, cum commouebantur.

---

51. Huiusmodi igitur visis consilia capiet et agendi et non agendi: faciliorque erit, ut albam esse niuem probet, quam erat Anaxagoras: qui id non modo ita esse negabat, sed sibi, quia sciret aquam nigram esse, unde illa concreta esset, albam ipsam esse ne videri quidem. Et quaecunque res eum sic attinget, ut sit visum illud probabile, neque vlla re impeditum, mouebitur. Non enim est e saxo sculptus, aut e robore dolatus: habet corpus; habet animum; mouetur mente; mouetur sensibus; ut ei multa vera videantur.

---

58. Quis enim potest (cum existimet a deo securari) non et dies et noctes diuinum numen horrere? et, si quid aduersi acciderit (quod cui non accidit?) extimescere, ne id iure euenerit?

---

59. Corpora nostra non nouimus: qui sint situs partium; quam vim quaeque pars habeat

ignoramus. Itaque medici ipsi, quorum intererat ea nosse, aperuerunt, ut viderentur. Nec eo tamen aiunt empirici notiora esse illa: quia possit fieri, ut patefacta et detecta mutantur. — Sed redeo ad animum et corpus. Satisne tandem ea nota sunt nobis, quae neruorum natura sit, quae venarum? Tenemusne quid animus sit? ubi sit, denique, sitne, aut, ut Dicaearcho visum est, ne sit quidem ullus? Si est; tresne partes habeat, ut Platoni placuit, rationis, irae, cupiditatis: an simplex vnusque sit? Si simplex, vtrum sit ignis, an anima, an sanguis? an, ut Xenocrates, mens nullo corpore? quod intelligi, quale sit, vix potest. Et, quidquid est, mortale sit, an aeternum? Nam vtraque in parte multa dicuntur.

---

40. Nihil sentire est melius, quam tam prava sentire.

---

41. Neque tamen istas quaestiones physico-  
rum exterminandas puto. Est enim animorum ingeniorumque naturale quoddam quasi pabulum **consideratio contemplatioque naturae**: erigimur; latiores fieri videmur; humana despiciamus: cogitantesque supera atque coelestia, haec nostra, ut exigua et minima, contemnimus. Indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum, habet oblectationem. Si vero aliquid occurreret, quod verisimile videatur, humanissima completur animus voluptate.

---

44. Atque illi quidem etiam vtiliter a natura dicebant permotiones istas animis nostris datas;

metum cauendi causa: misericordiam aegritudinemque clementiae: ipsam iracundiam fortitudinis quasi cotem esse dicebant.

---

47. At scire negatis quenquam rem vllam, nisi sapientem. Et hoc quidem Zeno gestu conficiebat. Nam, cum extensis digitis aduersam manum ostenderat, visum, inquiebat, huiusmodi est. Deinde, cum paullum digitos constrixerat, assensus huiusmodi. Tum cum plane compresserat pugnumque fecerat, comprehensionem illam esse dicebat. Qua ex similitudine etiam nomen ei rei, quod ante non fuerat, *κατάληψιν* imposuit. Cum autem laeuam manum admouerat, et illum pugnum arcte vehementerque compresserat, scientiam talem esse dicebat: cuius compotem, nisi sapientem, esse neminem.

---

Cic. de Fin. Bon. et Mal. I, 9. Hoc Epicurus in voluptate ponit: quod summum bonum esse vult summumque malum, dolorem, idque instituit docere sic: Omne animal, simulatque natum sit, voluptatem appetere, eaque gaudere vt summo bono: dolorem aspernari, vt summum malum, et, quantum possit, a se repellere: idque facere nondum deprauatum, ipsa natura incorrupte atque integre iudicante. — Sentiri hoc putat, vt calere ignem, niuem esse albam, dulce mel: quorum nihil oporteret exquisitis rationibus confirmare: tantum satis esse admonere. — Etenim quoniam, detractis de homine sensibus, reliqui nihil est: necesse est, quid aut ad naturam aut contra

sit, a natura ipsa iudicari. Ea quid percipit et quid iudicat, quo aut petat, aut fugiat aliquid, praeter voluptatem et dolorem? Sunt autem quidam e nostris, qui haec subtilius velint tradere et negent satis esse, quid bonum sit, aut quid malum, sensu iudicari: sed animo etiam ac ratione intelligi posse, et voluptatem ipsam per se esse expetendam, et dolorem ipsum per se esse fugiendum. Itaque aiunt hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse notionem, ut alterum esse appetendum, alterum aspernandum sentiamus.

---

10. Sed ut perspiciatis, unde omnis iste natus sit error, voluptatem accusantium doloremque laudantium, totam rem aperiam: eaque ipsa, quae ab illo inventore veritatis et quasi architecto beatae vitae dicta sunt, explicabo. Nemo enim ipsam voluptatem, quia voluptas sit, aspernatur, aut odit, aut fugit; sed quia consequuntur magni dolores eos, qui ratione voluptatem sequi nesciunt. Neque porro quisquam est, qui dolorem ipsum, quia dolor sit, amet, consectetur, adipisci velit: sed quia nonnunquam eiusmodi tempora incidunt, ut labore et dolore magnam aliquam quaerat voluptatem. Ut enim ad minima veniam, quis nostrum exercitationem ullam corporis suscipit laboriosam, nisi ut aliquid ex ea commodi consequatur? Quis autem vel eum iure reprehenderit, qui in ea voluptate velit esse, quam nihil molestiae consequatur, vel illum, qui dolorem eum fugiat, quo voluptas nulla pariatur? — Id totum evertitur eo delectu rerum, quem modo dixi, constituto, ut aut voluptates omittantur, maiorum voluptatum adipiscendarum

causa; aut dolores suscipiantur, maiorum dolorum effugiendorum gratia.

---

11. Vt enim cum cibo et potione fames sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiae consecutionem affert voluptatis; sic in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis.

---

12. Extremum autem esse bonorum voluptatem ex hoc facile perspici potest. Constituamus aliquem magnis, multis, perpetuis fruente[m] et animo et corpore voluptatibus, nullo dolore nec impediante, nec impendente: quem tandem hoc statu praestabiliorem aut magis expetendum possumus dicere? Inesse enim necesse est in eo, qui ita sit affectus, et firmitatem animi, nec mortem, nec dolorem timentis, quod mors sensu careat: dolor in longinquitate levis: in grauitate breuis soleat esse: vt eius magnitudinem celeritas, diurnitatem alleuatio consoletur. Ad ea cum accedit, vt neque diuinum nunen horreat, nec praeteritas voluptates effluere patiat[ur], earumque assidua recordatione laetetur: quid est, quod huic possit, quod melius sit, accedere? Statue contra aliquem confectum tantis animi corporisque doloribus, quanti in hominem maximi cadere possunt, nulla spe proposita, fore leuius aliquando, nulla praeterea nec praesenti, nec exspectata voluptate: quid eo miseri[us] dici aut fingi potest? Quodsi vita doloribus referta maxime fugienda est, summum profecto malum est viuere cum dolore. Cui sententiae consentaneum est, vltimum esse bonorum

cum voluptate viuere. Nec enim habet nostra mens quidquam, vbi consistat, tanquam in extremo: omnesque et metus, et aegritudines ad dolorem referuntur: nec praeterea est res vlla, quae sua natura aut sollicitare possit, aut angere.

---

13. Vt enim medicorum scientiam non ipsius artis, sed bonae valetudinis causa probamus: — sic sapientia, quae ars viuendi putanda est, non expeteretur, si nihil efficeret, nunc expetitur, quod est tanquam artifex conquirendae et comparandae voluptatis. — Sapientia enim est vna, quae moestitiam pellat ex animis, quae nos exhorrescere metu non sinat: qua praeceptrice in tranquillitate viui potest, omnium cupiditatum ardore restincto. Cupiditates enim sunt insatiabiles: quae non modo singulos homines, sed vniuersas familias euertunt; totam etiam labefactant saepe rempublicam.

---

14. Temperantia est enim, quae in rebus aut expetendis, aut fugiendis, rationem vt sequamur monet. — Plerique autem, quod tenere atque seruare id, quod statuerunt, non possunt, victi et debilitati, obiecta specie voluptatis, tradunt se libidinibus constringendos, nec, quid euenturum sit, prouident, ob eamque causam propter voluptatem et paruam et non necessariam, et quae vel aliter pararetur, et qua etiam carere possent sine dolore, tum in morbos graues, tum in damna, tum in dedecora incurrunt; saepe etiam legum iudiciorumque poenis obligantur.

---

15. Eadem fortitudinis ratio reperietur. Nam neque laborum perfunctio, neque perperessio dolorum, per se ipsa allicit: nec patientia, nec assiduitates, nec vigiliae: nec ea ipsa, quae laudatur, industria, ne fortitudo quidem; sed ista sequimur, ut sine cura metuque viuamus: animumque et corpus quantum efficere possimus, molestia liberemus. Ut enim mortis metu omnis quietae vitae status perturbatur: et ut, succumbere doloribus, eosque humili animo imbecilloque ferre, miserum est; ob eamque debilitatem animi multi parentes, multi amicos, nonnulli patriam, plerique autem seipsos penitus perdidierunt, sic robustus animus et excelsus omni est liber cura et angore, cum et mortem contemnit, qua qui affecti sunt, in eadem causa sunt, qua antequam nati: et ad dolores ita paratus est, ut meminere, maximos morte finire, paruos multa habere interualla requietis, mediocrium nos esse dominos: ut, si tolerabiles sint, feramus: sin minus, aequo animo e vita, cum ea non placeat, tanquam e theatro, exeamus. Quibus rebus intelligitur, nec timiditatem ignauiamque vituperari, nec fortitudinem patientiamque laudari suo nomine; sed illas reiici, quia dolorem pariant; has optari, quia voluptatem.

---

17. Animi autem voluptates et dolores nasci fatemur e corporis voluptatibus et doloribus. — Quanquam autem et laetitiam nobis voluptas animi, et molestiam dolor afferat: eorum tamen utrumque et ortum esse e corpore et ad corpus referri: nec ob eam causam non multo maiores esse et voluptates, et dolores animi quam

corporis. Nam corpore nihil nisi praesens, et quod adest, sentire possumus: animo autem et praeterita et futura. Vt enim acque doleamus animo, cum corpore dolemus: fieri tamen permagna accessio potest, si aliquod aeternum et infinitum impendere malorum nobis opinemur. Quod idem licet transferre in voluptatem, vt ea maior sit, si nihil tale metuamus. Iam illud quidem perspicuum est, maximam animi aut voluptatem, aut molestiam plus aut ad beatam, aut ad miseram vitam afferre momenti quam eorum vtrumuis, si aequae diu sit in corpore. Non placet autem, detracta voluptate, aegritudinem statim consequi, nisi in voluptatis locum dolor forte successerit: at contra, gaudere nosmet omittendis doloribus, etiamsi voluptas ea, quae sensum moueat, nulla successerit. Eoque iutelligi potest, quanta voluptas sit, non dolere: Sed vt iis bonis erigimur, quae exspectamus: sic laetamur iis, quae recordamur. **Stulti** autem malorum memoria torquentur: **sapientes** bona praeterita grata recordatione renouata delectant. Est autem situm in nobis, vt et aduersa quasi perpetua obliuione obruamus, et secunda iucunde ac suauiter meminerimus. Sed cum ea, quae praeterierunt, acri animo et attento intuemur, tunc fit, vt aegritudo sequatur, si illa mala sint; laetitia, si bona.

18. O praeclaram beate viuendi, et apertam, et simplicem, et directam viam! Cum enim certe nihil homini possit melius esse, quam vacare omni dolore et molestia, perfruique maximis et animi et corporis voluptatibus: videtisne, quam nihil praetermittatur, quod vi-

tam adiuuet, quo facilius id, quod propositum est, summum bonum consequamur? Quod si corporis grauioribus morbis vitae iucunditas impeditur: quanto magis animi morbis impediri necesse est? Animi autem morbi sunt cupiditates immensae et inanes diuitiarum, gloriae, dominationis, libidinosarum etiam voluptatum. Accedunt aegritudines, molestiae, moerores, qui animos exedunt conficiuntque curis hominum non intelligentium, nihil dolendum esse animo, quod sit a dolore corporis praesenti futuroe sciunctum. Nec vero quisquam stultus non horum morborum aliquo laborat. Nemo igitur est non miser. Accedit etiam mors, quae, quasi saxum Tantalos, semper impendet: tum superstitio, qua qui est imbutus, quietus esse nunquam potest.

---

19. Dolores autem, si qui incurrunt, nunquam vim tantam habent, vt non plus habeat sapiens, quod gaudeat, quam quod angatur. — Sic e physicis et fortitudo sumitur contra mortis timorem, et constantia contra metum religionis; et sedatio animi, omnium rerum occultarum ignorantiae sublata; et moderatio, natura cupiditatum generibusque earum explicatis; et (vt modo docui) cognitionis regula et iudicio ab eadem illa constituto, veri a falso distinctio traditur.

---

Cic. de Fin. Bonor. et Malor. II, 5.  
Omnes enim iucundum motum, quo sensus hilaretur, graece *ἡδονήν*, latine voluptatem vocant. — Estne quaeso, inquam, sitiens in biben-

do voluptas? Quis istud, inquit, posset negare. Eademne, inquam, quae restincta siti? Immo alio genere. Restincta enim sitis stabilitatem voluptatis habet, inquit: illa autem voluptas ipsius restinctionis in motu est.

---

4. An potest, inquit ille, quidquam esse suavius, quam nihil dolere? Immo sit sane nihil melius, inquam, (nondum enim id quaero) num propterea idem voluptas est, quod (vt ita dicam) indolentia? Plane idem, inquit, et maxima quidem, qua fieri nulla maior potest. Quid dubitas igitur, inquam, summo bono a te ita constituto, vt id totum in non dolendo sit, id tenere vnum, id tueri, id defendere? Quid enim necesse est, tanquam meretricem in matronarum coetum, sic voluptatem in virtutum concilium adducere? invidiosum nomen est, infame, suspectum.

---

5. Quis enim est, qui non videat, haec esse in natura rerum tria? vnum, cum in voluptate sumus: alterum, cum in dolore: tertium hoc, in quo nunc quidem sumus.

---

8. Nolim enim mihi fingere asotos, vt solentis, qui in mensam vomant, et qui de conuiujs auferantur crudique postridie se rursus ingurgitent: qui solem, vt aiunt, nec occidentem vquam viderint, nec orientem: qui, consumtis patrimonijs, egeant. Nemo nostrum istius generis asotos iucunde putat viuere: mundos, elegantes,

optimis cocis, pistoribus, piscatu, aucupio, venatione, his omnibus exquisitis, vitantes cruditatem. — (Nec enim sequitur, ut cui cor sapiat, ei non sapiat palatus) sed quia parui id duceret. — Veniebat enim ad coenam, ut animo quieto satia-  
ret desideria naturae. Recte ergo is negat, unquam bene coenasse Gallonium; recte, miserum: cum praesertim in eo omne studium consumeret. Quem libenter coenasse nemo negat. Cur igitur non bene? quia quod bene, id recte, frugaliter, honeste; ille porro male, prae, nequiter, turpiter coenabat.

---

10. Simul atque natum animal est, gaudet voluptate, et eam appetit, ut bonum: aspernatur dolorem, ut malum. De malis autem et bonis ab iis animalibus, quae nondum deprauata sint, ait optime iudicari.

---

11. Bestiarum vero nullum iudicium puto. Quamuis enim deprauatae non sint, pravae tamen esse possunt. Ut bacillum aliud est inflexum et incurvatum de industria, aliud ita natum: sic ferarum natura non est illa quidem deprauata mala disciplina, sed natura sua. Nec vero ut voluptatem expetat, natura mouet infantem: sed tantum ut se ipse diligat, ut integrum se saluumque velit. Omne enim animal, simul ut ortum est, et seipsum et omnes partes suas diligit: duasque, quae maximae sunt, imprimis amplectitur, animum et corpus: deinde utriusque partes. Nam sunt et in animo praecipua quaedam et in corpore;

quae cum leuiter agnovit, tunc discernere incipit, ut ea, quae prima data sunt natura, appetat, asperneturque contraria. In his primis naturalibus voluptas insit nec ne, magna quaestio est. Nihil vero putare esse, praeter voluptatem, non membra, non sensus, non ingenii motum, non integritatem corporis, non valetudinem, summae mihi videtur inscitiae.

---

12. Nam, quod ait, sensibus ipsis iudicari, voluptatem bonum esse; dolorem malum: plus tribuit sensibus, quam nobis leges permittunt. Priuatarum litium iudices sumus. Nihil enim possumus iudicare, nisi quod est nostri iudicii. In quo frustra iudices solent, cum sententiam pronuntiant, addere, si quid mei iudicii est. Si enim non fuit eorum iudicii, nihilo magis, hoc non addito, illud est iudicatum, quod iudicat sensus: dulce, amarum; lene, asperum; prope, longe; stare, mouere; quadratum, rotundum.

---

13. Hi non viderunt, ut ad cursum equum, ad arandum bouem, ad indagandum canem, sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, intelligendum et agendum esse natum, quasi mortalem deum: contraque, ut tardam aliquam et languidam pecudem, ad pastum et ad procreandi voluptatem, hoc diuinum animal ortum esse voluerunt. Quo nihil mihi videtur absurdius. — Nec enim figura corporis, nec ratio excellens ingenii humani significat, ad hanc vnam rem natum hominem, ut frueretur voluptatibus. — Ut inter optime valere et gravissime aegrotare nihil prorsus dicerent interesse,

---

14. Homines enim, etsi aliis multis, tamen hoc vno a bestiis plurimum differunt, quod rationem habeant a natura datam; mentemque et acrem et vigentem, cellerrimeque multa simul agitantem, et, vt ita dicam, sagacem: quae et causas rerum et consecutiones videat et similitudines transferat et disiuncta coniungat, et cum praesentibus futura copulet, omnemque complectatur vitae consequentis statum. Eademque ratio fecit hominem hominum appetentem, cumque his natura et sermone et vsu congruentem, vt, profectus a caritate domesticorum ac suorum, serpat longius, et se implicet primum ciuium, deinde omnium mortalium societate: atque, vt ad Archytam scripsit Plato, non sibi se soli natum meminere, sed patriae, sed suis, vt perexigua pars ipsi relinquatur. Et quoniam eadem natura cupiditatem inuenit homini veri inueniendi, quod facillime apparet, cum vacui curis, etiam quid in coelo fiat, scire auemus: his initiis inducti omnia vera diligimus, id est, fidelia, simplicia, constantia: tum vana, falsa, fallentia odimus, vt fraudem, periurium, malitiam, iniuriam. Eadem ratio habet in se quiddam amplum atque magnificum, ad imperandum magis quam ad parendum accommodatum: omnia humana non tolerabilia solum, sed etiam leuia ducens: altum quiddam et excelsum, nihil timens, nemini cedens, semper inuictum. Atque his tribus generibus honestorum notatis, quartum sequitur, et in eadem pulchritudine et aptum ex illis tribus: in quo inest ordo et moderatio: cuius similitudine perspecta in formarum specie; a dignitate transitum est ad honestatem dictorum atque factorum. Nam ex his tribus laudibus, quas ante dixi et te-

meritatem reformidat, et non audet cuiquam aut dicto proteruo, aut facto nocere, vereturque quidquam aut facere, aut loqui, quod parum virile videatur.

---

16. **Oculorum**, inquit Plato, est in nobis **sensus acerrimus**: quibus sapientiam non cernimus. Quam illa ardentis amores excitaret sui, si videretur.

---

19. Transfer idem ad modestiam, vel temperantiam, quae est moderatio cupiditatum, rationi obediens. Satisne ergo pudori consulat, si quis sine teste libidini pareat? An est aliquid per se ipsum flagitiosum, etiam si nulla comitetur infamia?

---

20. **Cupiditates** non Epicuri diuisione finiebatur, sed sua satietate. Habebat tamen rationem valetudinis: utebatur iis exercitationibus, ut ad coenam et esuriens et sitiens veniret: eo cibo, qui et suauissimus esset, et idem facillimus ad concoquendum: vino, et ad voluptatem, et ne noceret. Cetera illa adhibebat, quibus demptis negat se Epicurus intelligere, quid sit bonum. Aberat omnis dolor: qui si adesset, nec molliter ferret; et tamen medicis plus quam philosophis vteretur. Color egregius, integra valetudo, summa gratia, vita denique conferta voluptatum omnium varietate. — Non enim hilaritate, nec lasciuia, nec risu, aut ioco, comite leuitatis, sed saepe etiam tristes fir-

mitate et constantia sunt beati. — Stuprata per vim Lucretia a regis filio, testata ciues, se ipsa interemit. Hic dolor populi Romani, duce et auctore Bruto, causa ciuitati libertatis fuit: ob eiusque mulieris memoriam primo anno et vir et pater eius consul est factus. Tenuis (homo) L. Virginius, vnusque de multis, sexagesimo anno post libertatem receptam, virginem filiam sua manu occidit, potius quam ea App. Claudii libidini, qui tum erat summo in imperio, dederetur.

---

22. Quarum ambarum rerum cum medicinam pollicetur, luxuriae licentiam pollicetur.

---

23. Voluptas, quae passeribus nota est omnibus, a nobis intelligi non potest? Quid, si efficio, vt fateare, me non modo, quid sit voluptas, scire, (est enim iucundus motus in sensu) sed etiam, quid eam tu velis esse? Tum enim ipsam vis, quam modo ego dixi: et nomen imponis, in motu vt sit et faciat aliquam varietatem: tum aliam quandam summam voluptatem, cui addi nihil possit: eam tum adesse, cum dolor omnis absit, eamque stabilem appellas.

---

27. An dolor longissimus quisque miserrimus: voluptatem non optabiliorem diuturnitas facit?

---

28. Negat enim tenuissimo victu, id est, contemptissimis escis et potionibus, minorem vo-

luptatem percipi, quam rebus exquisitissimis ad epulandum. Huic ego, si negaret quidquam interesse ad beate viuendum, quali vteretur victu, concederem: laudarem etiam: verum enim diceret: idque Socratem, qui voluptatem nullo loco numerat, audio dicentem: cibi condimentum esse famem, potionis sitim. Sed qui, ad voluptatem omnia referens, viuit vt Gallonius, loquitur vt frugi ille Piso, non audio. Nec enim eum, quod sentiat, dicere existimo. Naturales diuitias dixit parabiles esse, quod paruo esset natura contenta. Certe, nisi voluptatem tanti aestimaretis. Non minor, inquit, voluptas percipitur ex vilissimis rebus, quam ex pretiosissimis. Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem. Qui enim voluptatem ipsam contemnunt, iis licet dicere, se acipenserem menae non antepone. Cui vero in voluptate summum bonum est, huic omnia sensu, non ratione sunt iudicanda: eaque dicenda optima, quae sunt suauissima. Verum esto: consequatur summas voluptates, non modo paruo, sed per me nihilo, si potest: sit voluptas non minor in nasturtio illo, quo vesci Persas esse solitos scribit Xenophon, quam in Syracusanis mensis, quae a Platone grauius vituperantur: sit, inquam, tam facilis, quam vultis, voluptatis comparatio: quid de dolore dicemus? cuius tanta tormenta sunt, vt in his beata vita, si modo dolor summum malum est, esse non possit. Ipse enim Metrodorus, paene alter Epicurus, beatum esse describit his fere verbis: cum corpus bene constitutum sit, et sit exploratum, ita futurum. An id exploratum cuiquam potest esse, quo modo sese habiturum sit corpus non dico ad annum, sed ad ve-

speram? Dolor igitur, id est summum malum, metuetur semper, etiam si non aderit. Iam enim adesse poterit. Qui potest igitur habitare in beata vita summi mali metus? Traditur, inquit, ab Epicuro ratio negligendi doloris. Iam ipsum absurdum, maximum malum negligi. Sed quae tandem ista ratio est? Maximus dolor, inquit, brevis est. Primum, quid tu dicis, breue? Deinde dolorem quem maximum? Quid enim? Summus dolor plures dies manere non potest? Vide ne etiam menses. Nisi forte eum dicis, qui simul atque arripuit, interficit. Quis istum dolorem timet? Illum mallem leuares, quo optimum atque humanissimum virum, Cn. Octauium, M. F. familiarem meum, confici vidi: nec vero semel, nec ad breue tempus, sed et saepe plane et diu. Quos ille, dii immortales, cum omnes artus ardere viderentur, cruciatus perferebat? Nec tamen miser esse, quia summum id malum non erat, tantummodo laboriosus videbatur. At miser, si in vitiosa et flagitiosa vita afflueret voluptatibus.

---

29. Quod autem magnum dolorem breuem, longinquum leuem esse dicitis, id non intelligo quale sit. Video enim et magnos et eosdem bene longinquos dolores: quorum alia toleratio est verior; qua vti vos non potestis, qui honestatem ipsam per se non amatis. Fortitudinis quaedam praecepta sunt, ac paene leges, quae effoeminari virum vetant in dolore. Quamobrem turpe putandum est, non dico dolere (nam id quidem est interdum necesse) sed saxum illud Lemnium clamore Philoctetaeo funestare:

Quod eiulatu, questu, gemitu, fremitibus  
Resonando multum, flebiles voces refert.

Huic Epicurus comparet se, si potest:

Cui viperino morsu venae viscerum

Veneno imbutae tetros cruciatus cęent.

Sit Epicurus Philocteta: si grauis dolor, breuis.  
At iam decimum annum in spelunca iacet. Si lon-  
gus, leuis. Dat enim interualla et relaxat. Pri-  
mum non saepe: deinde quae est ista relaxatio;  
cum et praeteriti doloris memoria recens est; et  
futuri atque impendentis torquet timor? Moriatur,  
inquit. Fortasse id optimum, sed vbi illud, Plus  
semper voluptatis? Si enim ita est; vide, ne faci-  
nus facias, cum mori suadeas. Potius ergo illa  
dicantur, turpe esse viro debilitari, dolore frangi,  
succumbere. Nam ista vestra: Si grauis, breuis:  
si longus, leuis; dictata sunt. Virtutis, magnitu-  
dinis animi, patientiae, fortitudinis fomentis dolor  
mitigari solet.

---

30. Audi, ne longe abeam, moriens quid  
dicat Epicurus: et intellige, facta eius cum dictis  
discrepare. Epicurus Hermacho S. Cum age-  
remus, inquit, vitae beatum et eundem supre-  
mum diem, scribebamus haec. Tanti autem  
morbi aderant vesicae et viscerum, vt nihil  
ad eorum magnitudinem possit accedere.  
Ecce miserum hominem, si dolor summum malum  
est. Dicit aliter non potest. Sed audiamus ipsum:  
Compensabatur tamen, inquit, cum his omni-  
bus animi laetitia, quam capiebam memoria  
rationum inuentorumque nostrorum. — Non

ego iam Epaminondae, non Leonidae mortem huius morti antepono: quorum alter cum vicisset Lacedaemonios apud Mantineam, simulque ipse graui vulnere exanimari se videret; vt primum dispexit, quaesiuit: saluusne esset clypeus; cum saluum esse flentes sui respondissent, rogauit, essentne fusi hostes: cumque id quoque, vt cupiebat, audiuisset, euelli iussit eam, qua erat transfixus, hastam. Ita multo sanguine profuso in laetitia et in victoria est mortuus. Leonidas autem, rex Lacedaemoniorum, se in Thermopylis, trecentosque eos, quos eduxerat Sparta, cum esset proposita aut fuga turpis, aut gloriosa mors, opposuit hostibus. Praeclarae mortes sunt imperatoriae; Philosophi autem in suis lectulis plerumque moriuntur. Refert tamen; quod sibi videtur esse morienti magna laus. Compensabatur, inquit, cum summis doloribus laetitia.

---

31. Scripsit enim, et multis saepe verbis, et breuiter apteque, in eo libro, quem modo nominavi, mortem nihil ad nos pertinere. Quod enim dissolutum sit, id esse sine sensu: quod autem sine sensu sit, id nihil omnino ad nos pertinere. Hoc ipsum elegantius poni meliusque potuit. Nam quod ita positum est. Quod dissolutum sit id esse sine sensu, id eiusmodi est, vt non satis plane dicat, quid sit dissolutum. Sed tamen intelligo, quid velit. Quaero autem, quid sit, quod, cum dissolutione, id est, morte sensus omnis exstinguatur; et cum reliqui nihil sit omnino, quod pertineat ad nos, tam accurate tamque diligenter caueat et sanciat: vt Amynomachus

et Timocrates, heredes sui, de Hermachi sententia dent, quod satis sit ad diem agendum natalem suum quotannis, mense Gamelione: itemque omnibus mensibus, vicesimo die lunae, dent ad eorum epulas, qui vna secum philosophati sint, vt et sui et Metrodori memoria colatur. Haec ego non possum dicere non esse hominis et belli et humani; sapientis vero nullo modo, physici praesertim, quem se ille esse vult, putare illum esse cuiusquam diem natalem. Quid? verene potest esse dies saepius, qui semel fuit? Certe non potest. An eiusmodi? ne id quidem, nisi cum multa annorum intercesserint millia, vt omnium siderum eodem, vnde profecta sint, fiat ad vnum tempus reuersio: nullus est igitur cuiusquam dies natalis. At habetur. Et ego id scilicet nesciebam. Sed, vt sit, etiamne post mortem coletur: idque testamento cauebit is, qui vobis quasi oraculum ediderit: nihil post mortem ad nos pertinere? Haec non erant eius, qui innumerabiles mundos infinitasque regiones, quarum nulla esset ora, nulla extremitas, mente peragrauisset. Numquid tale Democritus? vt alios omittam, hunc appello, quem ille vnum secutus est. Quod si dies notandus fuit, eumne potius, quo natus, an eum, quo sapiens factus est? Non potuit, inquires, fieri sapiens, nisi natus esset. Et isto modo ne si auia quidem eius nata non esset. Res tota, Torquate, non doctorum hominum, velle post mortem epulis celebrari memoriam sui nominis.

---

52. Nunc totum illud concludi sic licet. Qui in summo malo est, is tum, cum in eo est, non

est beatus. Sapiens autem semper beatus est, et est aliquando in dolore. Non est igitur summum malum dolor. Iam illud quale tandem est? Bona praeterita non effluere sapienti, mala meminisse non oportere. Primum in nostrane potestate est, quid meminerimus? Themistocles quidem, cum ei Simonides, aut quis alius, artem memoriae polliceretur, obliuionis, inquit, malle. Nam meminisse etiam quae nolo, obliuisci non possum quae volo. — Sed vobis voluptatum perceptarum recordatio vitam beatam facit, et quidem corpore perceptarum. Nam si quae sunt aliae, falsum est, omnes animi voluptates esse e corporis societate. Corporis autem voluptas si etiam praeterita delectat, non intelligo, cur Aristoteles Sardanapali epigramma tantopere derideat; in quo ille rex Assyriae gloriatur, se omnes secum libidinum voluptates abstulisse. Quod enim ne viuis quidem, inquit, diutius sentire poterat, quam dum fruebatur; quo modo id potuit mortuo permanere? Fluit igitur voluptas corporis, et prima quaeque auolat saepiusque relinquit causas poenitendi quam recordandi.

---

54. Ad altiora quaedam et magnificentiora mihi crede, Torquate, nati sumus: nec id ex animi solum partibus, in quibus inest memoria rerum innumerabilium vitae quidem infinita, inest coniectura consequentium, non multum a diuinatione differens, inest moderator cupiditatis pudor, inest ad humanam societatem iustitiae fida custodia: inest in perpetiendis laboribus adeundisque periculis firma et stabilis doloris mortisque con-

temptio. Ergo haec in animis. Tu autem etiam membra ipsa sensusque considera: qui tibi, vt reliquae corporis partes, non comites solum virtutum, sed ministri etiam videbuntur. Quid, si in ipso corpore multa voluptati proponenda sunt, vt vires, valetudo, velocitas, pulchritudo? quid tandem in animis censes? in quibus doctissimi illi veteres inesse quiddam coeleste et diuinum putaverunt. Quod si esset in voluptate summum bonum (vt dicitis), optabile esset, in voluptate maxima, nullo interuallo interiecto, dies noctesque versari, cum omnes sensus dulcedine omni quasi perfusi mouerentur. Quis est autem dignus nomine hominis, qui vnum diem totum velit esse in isto genere voluptatis?

---

Cic. de Fin. Bon. et Mal. III, 1. Etenim sit impudens, si virtuti diutius repugnet, aut si honestis iucunda anteponat, aut pluris esse contendat dulcedinem corporis titillantem ex eaue natam laetitiam quam grauitatem animi atque constantiam.

---

5. Placet his, inquit, quorum ratio mihi probatur, simul atque natum sit animal (hinc enim est ordiendum) ipsum sibi conciliari et commendari ad se conseruandum, et ad suum statum, et ad ea, quae conseruantia sunt eius status, diligenda: alienari autem ab interitu, iisque rebus, quae interitum videantur afferre. Id ita esse sic probant, quod ante quam voluptas aut dolor attigerit, salutaria appetant parui aspernenturque contraria,

Quod non fieret, nisi statum suum diligenter, interitum timerent. Fieri autem non posset, ut appetere aliquid, nisi sensum haberent sui, eoque se et sua diligenter. Ex quo intelligi debet, principium ductum esse a se diligendi (o). — Iam membrorum, id est partium corporis, alia videntur propter eorum vsum a natura esse donata, ut manus, crura, pedes, ut ea, quae sunt intus in corpore, quorum vtilitas quanta sit a medicis etiam disputatur: alia autem nullam ob vtilitatem, quasi ad quendam ornatum, ut cauda pavoni, plumae versicolores columbis, viris mammae atque barba.

---

7. Atque ut membra nobis ita data sunt, ut ad quandam rationem viuendi data esse appareant: sic appetitio animi, quae *ὄρεσις* graece vocatur, non ad quoduis genus vitae, sed ad quandam formam viuendi videtur data: itemque et ratio, et perfecta ratio. Ut enim histrioni actio, saltatori motus, non quiuis, sed certus quidam est datus: sic vita agenda est certo genere quodam, non quolibet: quod genus conueniens consentaneumque dicimus. Nec enim gubernationi aut medicinae similem sapientiam esse arbitramur, sed actioni illi potius, quam modo dixi, et saltationi, ut in ipsa arte insit, non foris petatur extremum, id est artis effectio. — Inscite autem medicinae et gubernationis vltimum cum vltimo sapientiae comparatur:

---

8. Ut enim qui mortem in malis ponit, non potest eam non timere: sic nemo vlla in re potest id, quod malum esse decernit, non curare, idque

contemnere: quo posito et omnium assensu approbato, illud assumitur, eum, qui magno sit animo atque forti, omnia, quae cadere in hominem possint, despiciere et pro nihilo putare.

---

10. Mel, etsi dulcissimum est, suo tamen proprio genere saporis, non comparatione cum aliis, dulce esse sentitur. — Nec vero perturbationes animorum, quae vitam insipientium miseram acerbamque reddunt: quas Graeci *πάθη* appellant (poteram ego verbum ipsum interpretans morbos appellare: sed non conueniret ad omnia: quis enim misericordiam, aut ipsam iracundiam, morbum solet dicere? At illi dicunt *πάθος*. Sit igitur perturbatio, quae nomine ipso vitiosa declarari videtur:) nec hae perturbationis vi aliqua naturali mouentur: omnesque hae sunt genere quatuor, partibus plures, aegritudo, formido, libido, quamque Stoici communi nomine corporis et animi *ἡδονήν* appellant, ego malo laetitiam appellare, quasi gestientis animi elationem voluptariam. Perturbationes autem nulla naturae vi commouentur: omniaque ea sunt opiniones ac iudicia leuitatis. Itaque his sapiens semper vacabit.

---

13. An vero certius quidquam potest esse quam illorum ratione, qui dolorem in malis ponunt, non posse sapientem beatum esse, cum eculeo torqueatur? Eorum autem, qui dolorem in malis non habent, ratio certe cogit, vti in omnibus tormentis conseruetur beata vita sapienti. Etenim si dolores eosdem tolerabilius patiantur, qui excipiunt

eos pro patria, quam qui leuiore de causa: opinio facit, non natura, vim doloris aut maiorem, aut minorem. — Etenim si et sapere expetendum sit et valere: coniunctum vtrumque magis expetendum sit quam sapere solum, neque tamen, si vtrumque sit aestimatione dignum, pluris sit coniunctum quam sapere ipsum separatum. Nam qui valetudinem aestimatione aliqua dignam iudicamus, neque tamen eam in bonis ponimus, iidem censemus nullam esse tantam aestimationem, vt ea virtuti anteponatur.

---

14. Nec vero satis acute dicunt: Si bona valetudo pluris aestimanda sit longa quam breuis, sapientiae quoque vsus longissimus quisque sit plurimi. Non intelligunt, valetudinis aestimationem spatio iudicari: virtutis, opportunitate: vt videantur qui illud dicant, iidem hoc esse dicturi, bonam mortem et bonum partum meliorem longum esse quam breuem. Non vident, alia breuitate pluris aestimari, alia diuturnitate.

---

15. Diuitias autem Diogenes censet non eam modo vim habere, vt quasi duces sint ad voluptatem et ad valetudinem bonam, sed etiam vt ea contineant: — Itaque si voluptas, aut si bona valetudo sit in bonis, diuitias quoque in bonis esse ponendas. — Quae autem aestimanda essent, eorum in aliis satis esse causae, quamobrem quibusdam anteponerentur, vt in valetudine, vt in integritate sensuum, vt in doloris vacuitate, vt gloriae, diuitiarum, similium rerum: alia autem non esse

eiusmodi, Itemque eorum, quae nulla aestimatione digna essent, partim satis habere causae, quamobrem reiicerentur, vt dolorem, morbum, sensuum amissionem, paupertatem, ignominiam, similia horum: partim non.

---

17. Haec, quae praeposita dicimus, partim sunt per se ipsa praeposita, partim quod aliquid efficiunt, partim vtrumque: per se, vt quidam habitus oris et vultus, vt status, vt motus: in quibus sunt et praepoenenda quaedam, et reiicienda: alia ob eam rem praeposita dicuntur, quod ex se aliquid efficiant, vt pecunia: alia autem ob vtramque rem, vt integri sensus, vt bona valetudo.

---

18. In quo enim plura sunt, quae secundum naturam sunt, huius officium est in vita manere: in quo autem aut sunt plura contraria, aut fore videntur, huius officium est, e vita excedere. E quo apparet, et sapientis esse aliquando officium, excedere e vita, cum beatus sit: et stulti manere in vita, cum sit miser. — Itaque et manendi in vita et migrandi ratio omnibus iis rebus, quas supra dixi, metienda. Nam neque iis, qui virtute retinentur in vita, neque iis, qui sine virtute sunt, mors est oppetenda. Vt saepe officium est sapientis, desciscere a vita, cum sit beatissimus, si id opportune facere possit; quod est conuenienter naturae viuere. Sic enim censent, opportunitatis esse beate viuere. Itaque a sapientia praecipitur, se ipsam, si vsus sit, sapiens vt relinquat. Quamobrem cum vitiorum ista vis non sit, vt causam

afferant mortis voluntariae: perspicuum est, etiam stultorum, qui iidem miseri sint, officium esse, manere in vita, si sint in maiore parte earum rerum, quas secundum naturam esse dicimus. Et quoniam excedens e vita et manens aequae miser est: nec diuturnitas magis ei vitam fugiendam facit: non sine causa dicitur, iis, qui pluribus naturalibus frui possint, esse in vita manendum.

---

19. Pertinere autem ad rem arbitrantur, intelligi natura fieri, ut liberi a parentibus amentur: a quo initio profectam communem humani generis societatem persequimur. Quod primum intelligi debet figura membrisque corporum; quae ipsa declarant procreandi a natura habitam esse rationem. Neque vero haec inter se congruere possint, ut natura et procreari vellet et diligi procreatos non curaret. Atque etiam in bestiis vis naturae inspicitur: quarum in foetu et in educatione laborem cum cernimus, naturae ipsius vocem videmur audire. Quare ut perspicuum est, natura nos a dolore abhorrere: sic apparet a natura ipsa, ut eos, quos genuerimus, amemus impelli. — Ut enim in membris alia sunt tanquam sibi nata, ut oculi, ut aures: aliqua etiam ceterorum membrorum usum adiuuant, ut crura, ut manus: sic immanes quaedam bestiae sibi solum natae sunt.

---

20. Quemadmodum igitur membris utimur prius, quam didicimus, cuius ea utilitatis causa habeamus: sic inter nos natura ad civilem communitatem coniuncti et consociati sumus.

---

22. Recte etiam pulcher appellabitur (sapiens): animi enim lineamenta sunt pulchriora quam corporis: recte solus liber, nec dominationi cuiusquam parens, neque obediens cupiditati.

---

Cic. de Fin. III, 5. Similia dici possunt de explicatione naturae; qua hi utuntur et vestri: neque vero ob duas modo causas, quod Epicuro videtur, ut pellatur mortis et religionis metus. — Inest in eadem explicatione naturae insatiabilis quaedam e cognoscendis rebus voluptas: in qua vna, confectis rebus necessariis, vacui negotiis, honeste ac liberaliter possumus vivere.

---

7. Omnis natura vult esse conseruatix sui, ut et salua sit, et in genere conseruetur suo. Ad hanc rem aiunt artes quoque requisitas, quae naturam adiuuant: in quibus ea numeretur imprimis, quae est viuendi ars, ut tueatur quod a natura datum sit: quod desit, acquirat. Iidemque diuiserunt naturam hominis in animum et corpus. Cumque eorum vnumquodque per se expetendum esse dixissent, virtutes quoque vtriusque eorum per se expetendas esse dicebant: cum animum quadam infinita laude anteponerent corpori, virtutes quoque animi bonis corporis anteponebant.

---

8. Credo, magna antiquorum esse peccata, quae ille veri inuestigandi cupidus nullo modo ferre potuerit. Quid enim peruersius, quid intolerabilius, quid stultius, quam bonam valetudinem,

quam dolorum omnium vacuitatem, quam integritatem oculorum reliquorumque sensuum ponere in bonis potius quam dicere, nihil omnino inter eas res iisque contrarias interesse? Ea enim omnia quae illi bona dicerent, praeposita esse, non bona: itemque illa, quae in corpore excellerent, stulte antiquos dixisse per se esse expetenda: et sumenda potius quam expetenda. — Itaque eos id agere, ut a se dolores, morbos, debilitates repellant.

---

9. Quid enim interest, diuitias, opes, valetudinem, bona dicas, an praeposita, cum ille, qui ista bona dicit, nihilo plus his tribuat quam tu, qui eadem illa praeposita nominas?

---

10. Sed primum positum sit, nosmetipsos commendatos esse nobis, primamque ex natura hanc habere appetitionem, ut conseruemus nosmetipsos. Hoc conuenit: sequitur illud, ut animaduertamus, qui simus ipsi, ut nos, quales oportet esse, seruemus. Simus igitur homines: ex animo constamus et corpore; quae sunt cuiusdammodi; nosque oportet, ut prima appetitio naturalis postulat, haec diligere, constituereque ex his finem illum summi boni atque vltimi. Quem, si prima vera sint, ita constitui necesse est, earum rerum, quae sunt secundum naturam, quam plurima et quam maxima adipisci. Hunc igitur finem illi tenuerunt: quodque ego pluribus verbis, illi brevius, secundum naturam viuere. Hoc his bonorum videtur extremum.

---

12. At vero grauitate membrorum et cruciatu dolorum si quis quem leuet, magnam ineat gratiam: nec, si ille sapiens ad tortoris eculeum a tyranno ire cogatur, similem habeat vultum, ac si ampullam perdidisset: sed, vt magnus et difficile certamen iniens, cum sibi cum capitali aduersario, dolore, depugnandum videret, excitaret omnes rationes fortitudinis ac patientiae: quarum praesidio iniret illud difficile, vt dixi, magnumque proelium.

---

15. Omnis enim est natura diligens sui. Quae est enim, quae se vnquam deserat, aut partem aliquam sui, aut eius partis habitum, aut vim, aut vllius earum rerum, quae secundum naturam sint, aut motum, aut statum? Quae autem natura suae primae institutionis oblita est, nulla profecto, quin suam vim retineat a primo ad extremum. Quo igitur euenit, vt hominis natura sola esset, quae hominem relinqueret, quae obliuisceretur corporis, quae summum bonum non in toto homine, sed in parte hominis poneret? — Vt Phidias potest a primo instituere signum, idque perficere: potest ab alio inchoatum accipere et absoluere. Huic est sapientia similis. Non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum, hanc intuens, debet institutum illud, quasi signum, absoluere. Qualem igitur natura hominem inchoauit? et quod est munus, quod opus sapientiae? quid est, quod ab ea absolui et perfici debeat? Si nihil in eo quidem perficiendum est, praeter motum ingenii quendam, id est, rationem: necesse est, huic vltimum esse, ex virtute vitam fingere. Rationis enim perfectio est virtus. Si nihil, nisi

corpus, summa erunt illa, valetudo, vacuitas doloris, pulchritudo, et cetera.

---

14. In omni enim animante est summum aliquid atque optimum, vt in equis, in canibus: quibus tamen et dolore vacare opus est et valere. Sic igitur in homine perfectio ista, in eo potissimum, quod est optimum, id est, in virtute laudatur. Itaque mihi non satis videmini considerare, quod iter sit naturae, quaeque progressio. Non enim hoc, quod facit in frugibus, vt; cum ad spicam perduxerit ab herba, relinquat et pro nihilo habeat herbam, idem facit in homine, cum eum ad rationis habitum perduxerit. Semper enim ita assumit aliquid, vt ea, quae prima dederit, ne deserat.

---

21. Sed, si duo honesta proposita sint, alterum cum valetudine, alterum cum morbo, non esse dubium, ad vtrum eorum natura nos ipsa deductura sit.

---

25. Hoc vero te ferre non potuisse; quod antiqui illi, quasi barbati, vt nos de nostris solemus dicere, crediderint, eius, qui honeste viueret, si idem et bene valeret, bene audiret, copiosus esset, optabiliorem fore vitam melioremque et magis expetendam quam illius, qui aequae vir bonus multis modis esset, vt Ennii Alcmaeo,

Circumuentus morbo, exsilio atque inopia.

---

25. Admirantes quaeramus ab utroque, quoniam modo vitam agere possimus, si nihil interesse nostra putemus, valeamus aegrine simus: vacemus an cruciemur dolore: frigus, famem propulsare possimus, necne possimus: viues, inquit Aristo, magnifice atque praeclare: quod erit cunque visum, ages, nunquam angere, nunquam cupies, nunquam timebis.

---

26. Illa autem, egestatem, morbum, dolorem, non appella mala, sed, si libet, reiectanea.

---

Cic. de Fin. V, 2. Suo enim quisque studio maxime ducitur.

---

3. Ut ad minora veniam, mathematici, poëtae, musici, medici denique ex hac, tanquam ex omnium artium officina profecti sunt.

---

4. Vitae autem degendae ratio maxime quidem illis placuit quietata, in contemplatione et cognitione posita rerum: quae quia deorum erat vitae simillima, sapiente visa est dignissima.

---

6. Est enim perspicuum, nullam artem in se versari, sed esse aliud artem ipsam, aliud quod propositum sit arti. Quoniam ut medicina valetudinis, nauigationis gubernatio, sic viuendi ars est prudentia: necesse est eam quoque ab alia re esse constitutam et profectam.

---

7. Ab his alii, quae prima secundum naturam nominant, proficiscuntur: in quibus numerant incolumitatem conseruationemque omnium partium, valetudinem, sensus integros, doloris vacuitatem, vires, pulchritudinem, ceteraque generis eiusdem: quorum similia sunt prima in animis quasi virtutum igniculi et semina.

---

9. Omne animal se ipsum diligit, ac simul vt ortum est id agit, vt se conseruet, quod hic ei primus ad omnem vitam tuendam appetitus a natura datur, se vt conseruet atque ita sit affectum, vt optime secundum naturam affectum esse possit. — Ergo omni animali illud, quod appetit, positum est in eo, quod naturae est accommodatum. — Quoniam autem sua cuiusque animantis natura est, necesse est quoque finem omnium hunc esse, vt natura expleatur. Nihil enim prohibet, quaedam esse et inter se animalibus reliquis et cum bestiis homini communia, quoniam omnium est natura communis. Sed extrema illa et summa, quae quaerimus, inter animalium genera distincta et dispersita sunt, et sua cuique propria, et ad id apta, quod cuiusque natura desiderat. Quare cum dicimus, omnibus animalibus extremum esse, secundum naturam viuere, non ita accipiendum est, quasi dicamus, vnum esse omnium extremum: sed vt omnium artium recte dici potest commune esse, vt in aliqua scientia versetur, scientiam autem suam cuiusque artis esse; sic commune animalium omnium secundum naturam viuere; sed naturas esse diuersas, vt aliud equo sit natura, aliud bovi, aliud homini, et tamen in omnibus summa

communis, et quidem non solum in animalibus, sed etiam in rebus omnibus iis, quas natura alit, auget et tuetur: in quibus videmus, ea, quae gignuntur e terra, multa quodam modo efficere ipsa sibi per se, quae ad viuendum crescendumque valeant, et suo genere perueniant ad extremum: vt iam liceat vna comprehensione omnia complecti; non dubitemque dicere, omnem naturam esse conseruatricem sui, idque habere propositum quasi finem atque extremum, se vt custodiat quam in optimo sui generis statu: vt necesse sit, omnium rerum, quae natura vigeant, similem esse finem, non eundem. Ex quo intelligi debet, homini id esse in bonis vltimum, secundum naturam viuere: quod ita interpretemur, viuere ex hominis natura vndique perfecta et nihil requirente.

---

10. Quod idem reapse primum est, vt intelligamus, omne animal se ipsum diligere. Quod quanquam dubitationem non habet (est enim infixum in ipsa natura, comprehenditur suis cuiusque sensibus, sic, vt, contra si quis dicere velit, non audiatur) tamen ne quid praetermittamus, rationes quoque, cur hoc ita sit, afferendas puto. Etsi qui potest intelligi aut cogitari, esse aliquod animal, quod se oderit? Res enim concurrent contrariae. Nam cum appetitus ille animi aliquid ad se trahere coeperit consulto, quod sibi obsit, quia sit sibi inimicus: cum id sua causa faciet; et oderit se, et simul diliget; quod fieri non potest. Necesse est quidem, si quis sibi ipsi inimicus est, eum, quae bona sunt, mala putare: bona contra, quae mala: et quae appetenda fugere: et quae fu-

gienda, appetere quae sine dubio vitae sunt eversio. Neque enim, si nonnulli reperiuntur, qui aut laqueos, aut alia exitia quaerant, aut, ut ille apud Terentium, qui decrevit tantisper se minus iniuriae suo gnato facere, (ut ait ipse) dum fiat miser, inimicus ipsi sibi putandus est. Sed alii dolore mouentur, alii cupiditate: iracundia etiam multi efferuntur: et cum in mala scientes irruunt, tamen, se optime sibi consulere arbitrantur: itaque dicunt, nec dubitant:

Mihi sic usus est: tibi ut opus est facto,  
face:

velut, qui ipsi sibi bellum indixissent, cruciari dies noctes torqueri vellent: nec vero sese ipsi accusarent ob eam causam, quod sese male rebus suis consuluisse dicerent. Eorum enim haec est querela, qui sibi cari sunt, seseque diligunt. Quare, quotiescunque dicetur male de se quis mereri, sibi bique esse inimicus atque hostis, vitam denique fugere, intelligatur aliquam subesse eiusmodi causam, ut ex eo ipso possit intelligi, sibi quemque esse carum. Nec vero id satis est, neminem esse, qui ipse se oderit: sed illud quoque intelligendum est, neminem esse, qui, quo modo se habeat, nihil sua censeat interesse. Tolletur enim appetitus animi, si, ut in iis rebus, inter quas nihil interest, neutram in partem propensiores simus, item in nobismetipsis, quemadmodum affecti simus, nihil nostra arbitrabimur interesse.

---

11. Quanquam quid est, quod magis perspicuum sit, non modo carum sibi quemque, verum

etiam vehementer carum esse? Quis est enim, aut quotus quisque, cui, mors cum appropinquet,

Non refugiat timido sanguen, atque ex-  
albescat metu?

Et si hoc quidem est in vitio, dissolutionem naturae tam valde perhorrescere: quod item est reprehendendum in dolore. Sed quia fere sic afficiuntur omnes, satis argumenti est, ab interitu naturam abhorrere. — Nec vero dico eorum metum mortis, qui quia priuari se vitae bonis arbitrentur, aut quia quasdam post mortem formidines extimescant, aut si metuant, ne cum dolore moriantur, idcirco mortem fugiant. — Quis autem de ipso sapiente aliter existimat? quin etiam cum decreuerit esse moriendum, tamen discessu a suis atque ipsa relinquenda luce moueatur. Maxime autem in hoc quidem genere vis est perspicua naturae, cum et mendicitatem multi perpetiantur, ut viuant: et angantur appropinquatione mortis confecti homines senectute: et ea perferant, quae Philoctetam videmus in fabulis: qui cum cruciaretur non ferendis doloribus, propagabat tamen vitam aucupio sagittarum:

Configebat tardus celeres, stans volantes,  
ut apud Attium est,

Pinnarumque contextu corpori tegumenta  
faciebat.

De hominum genere, aut omnino de animalium loquor; cum arborum et stirpium eadem paene natura sit: siue, ut doctissimis viris visum est, maior aliqua causa atque diuinior hanc vim ingenit: siue hoc ita fit fortuito. Videamus ea, quae terra gignit, corticibus et radicibus valida seruari; quod contingit animalibus sensuum distributione

et quadam compactione membrorum. Qua quidem de re, quanquam assentior iis, qui haec omnia regi natura putant; quae si natura negligat, ipsa esse non possint, tamen concedo, ut, qui de hoc dissentiunt, existiment quod velint, ac vel hoc intelligant, si quando naturam hominis dicam, hominem dicere me. Nihil enim hoc differt. Nam prius poterit a se quisque discedere, quam appetitum earum rerum, quae sibi conducant, amittere. Iure igitur grauissimi philosophi initium summi boni a natura petiuerunt et illum appetitum rerum, ad naturam accommodatarum, ingeneratum putauerunt omnibus, qui continentur ea commendatione naturae, qua se ipsi diligunt.

---

12. Deinceps videndum est, quoniam satis apertum est, sibi quenque natura esse carum, quae sit hominis natura. Id est enim, de quo quaerimus. Atqui perspicuum est, hominem e corpore animoque constare, cum primae sint animi partes, secundae corporis. Deinde id quoque videmus, et ita figuratum corpus, ut excellat aliis, animumque ita constitutum, ut et sensibus instructus sit, et habeat praestantiam mentis, cui tota hominis natura pareat, in qua sit mirabilis quaedam vis rationis, et cognitionis, et scientiae virtutumque omnium. Nam quae corporis sunt, ea nec auctoritatem cum animi partibus comparandam et cognitionem habent faciliorem. Itaque ab his ordiamur. Corporis igitur nostri partes, totaque figura et forma et statura, quam apta ad naturam sit apparet: neque est dubium, quin frons, oculi, aures, et reliquae partes, quales propriae sunt ho-

minis, intelligatur. Sed certe opus est, ea valere et vigere, naturales motus vsusque habere, ut nec absit quid eorum, nec aegrum, debilitatumue sit. Id enim natura desiderat. Est etiam actio quaedam corporis, quae motus et status naturae congruentes tenet: in quibus si peccetur distortionem et depravationem quadam, aut motu statuue deformi, ut si aut manibus ingrediatur quis, aut non ante, sed retro; fugere plane se ipse, et hominem ex homine exuens naturam odisse videatur. Quamobrem etiam sessiones quaedam, et flexi fractique motus, quales proteruorum hominum aut mollium esse solent, contra naturam sunt: ut etiam si animi vitio id eueniat, tamen in corpore immutari hominis natura videatur. Itaque e contrario moderati aequabilesque habitus, affectiones vsusque corporis, apta esse ad naturam videntur. Iam vero animus non esse solum, sed etiam cuiusdam modi debet esse, ut et omnes partes habeat incolumes, et de virtutibus nulla desit. Atqui in sensibus est sua cuiusque virtus, ut ne quid impediat, quominus suo sensus quisque munere fungatur in iis rebus, celeriter expediteque percipiendis, quae subiectae sunt sensibus.

13. Animi autem, et eius animi partis, quae princeps est, quaeque mens nominatur, plures sunt virtutes, sed duo prima genera: vnum earum, quae ingenerantur suapte natura, appellanturque non voluntariae: alterum earum, quae, in voluntate positae, magis proprio nomine appellari solent; quarum est excellens in animorum laude praestantia. Prioris generis est docilitas, memoria: quae fere omnia appellantur

vno ingenii nomine: easque virtutes qui habent, ingeniosi vocantur. Alterum autem genus est magnarum verarumque virtutum, quas appellamus voluntarias, vt prudentiam, temperantiam, fortitudinem, iustitiam, et reliquas eiusdem generis. Et summatim quidem haec erant de corpore animoque dicenda. Quibus quasi informatum est, quod hominis natura postulet. Ex quo perspicuum est, quoniam ipsi a nobis diligamur, omniaque et in animo et in corpore perfecta velimus esse, ea nobis ipsa cara esse propter se, et in iis esse ad bene viuendum momenta maxima. Nam cui proposita sit conseruatio sui, necesse est huic partes quoque sui caras esse, carioresque, quo perfectiores sint et magis in suo genere laudabiles. Ea enim vita expetitur, quae sit animi corporisque expleta virtutibus: in eoque summum bonum poni necesse est; quandoquidem id tale esse debet, vt rerum expetendarum sit extremum. Quo cognito, dubitari non potest, quin, cum ipsi homines sibi sint per se et sua sponte cari, partes quoque et corporis, et animi, et earum rerum, quae sunt in vtriusque motu et statu, sua caritate colantur et per se ipsae appetantur.

Quibus expositis, facilis est coniectura, ea maxime esse expetenda, ex nostris, quae plurimum habent dignitatis: vt optimae cuiusque partis, quae per se expetatur, virtus sit expetenda maxime. Ita fiet, vt animi virtus corporis virtuti anteponatur, animique virtutes non voluntarias vincant virtutes voluntariae: quae quidem proprie virtutes appellantur, multumque excellent, propterea quod ex ratione gignuntur; qua nihil est in homine diuinius. Etenim omnium rerum,

quas et creat natura, et tuetur, quae aut sine animo sint, aut non multo secus, earum summum bonum in corpore est: ut non inscite illud dictum videatur in sue, animam illi pecudi datam pro sale, ne putisceret.

---

14. Sunt autem bestiae quaedam, in quibus inest aliquid simile virtutis, ut in leonibus, ut in canibus, ut in equis: in quibus non corporum solum, ut in suibus, sed etiam animorum aliqua ex parte motus quosdam videmus. In homine autem summa omnis animi est, et in animo, rationis: ex qua virtus est, quae rationis absolutio definitur: quam etiam atque etiam explicandam putant.

---

15. Nunc vero a primo quidem mirabiliter occulta natura est, nec perspici, nec cognosci potest. Progredientibus autem aetatibus, sensim tarde potius quasi nosmetipsos cognoscimus. Itaque illa prima commendatio, quae a natura nostri facta est, nobis obscura et incerta est: primusque appetitus ille animi tantum agit, ut salui atque integri esse possimus. Cum autem dispicere coeperimus et sentire, quid simus, et quid animantibus ceteris differamus, tum ea sequi incipimus, ad quae nati sumus. Quam similitudinem videmus in bestiis. Quae primo, in quo loco natae sunt, ex eo se non commouent: deinde suo quaeque appetitu mouentur. Serpere anguiculos, nare anaticulas, euolare merulas, cornibus uti videmus boues, nepas aculeis: suam denique cuique naturam esse ad vi-

vendum ducem. Quae similitudo in genere etiam humano apparet. Parui enim primo ortu sic iacent, tanquam omnino sine animo sint. Cum autem paululum firmitatis accesserit: et animo utuntur et sensibus; committunturque, ut sese erigant et manibus utantur; et eos agnoscunt, a quibus educantur: deinde aequalibus delectantur, libenterque se cum his congregant, dantque se ad ludendum: fabellarumque auditione ducuntur: deque eo, quod ipsis superat, aliis gratificari volunt: animaduertuntque ea, quae domi fiunt, curiosius, incipiuntque commentari aliquid et discernere: et eorum, quos vident, volunt non ignorare nomina: quibusque rebus cum aequalibus decertant, si vincunt, efferunt se laetitia: victi debilitantur animosque demittunt. Quorum sine causa fieri nihil putandum est. Est enim natura sic generata vis hominis, ut ad omnem virtutem percipiendam facta videatur: ob eamque causam parui virtutum simulacris, quarum in se habent semina, sine doctrina mouentur. Sunt enim prima elementa naturae: quibus auctis, virtutis quasi cermen (germen) efficitur. Nam cum ita nati factique simus, ut et agendi aliquid, et diligendi aliquos, et liberalitatis, et referendae gratiae principia in nobis contineremus, atque ad scientiam, prudentiam fortitudinemque aptos animos haberemus, a contrariisque rebus alienos: non sine causa eas, quas dixi, in pueris virtutum quasi scintillulas videmus, e quibus accendi philosophi ratio debet, ut eam, quasi deum, ducem subsequens, ad naturae perueniat extremum. Nam, ut saepe iam dixi, in infirma aetate, imbecillaque mente vis naturae per caliginem cernitur. Cum autem progrediens con-

firmatur animus, agnoscit ille quidem naturae vim, sed ita, vt progredi possit longius, per se sit tamen inchoata.

---

16. Intrandum est igitur in rerum naturam, et penitus, quid ea postulet, peruidendum. Ali- ter enim nosmetipsos nosse non possumus. Quod praeceptum quia maius erat, quam vt ab homine videretur, idcirco assignatum est Deo. Iubet igitur nos Pythius Apollo noscere nosmetipsos. Co- gnitio autem haec est vna, vt vim nostri corporis animique norimus sequamurque eam vitam, quae rebus ipsis perfruatur. Quoniam autem is animi appetitus a principio fuit, vt ea, quae dixi, quam perfectissima a natura haberemus: confitendum est, cum id adepti simus, quod appetitum sit, in eo quasi vltimo consistere naturam, atque id esse summum bonum: quod certe vniuersum sua sponte ipsum expeti et propter se necesse est, quoniam ante demonstratum est, etiam singulas eius partes esse per se expetendas.

---

17. Nunc autem aliud iam argumentandi se- quamur genus, vt non solum quia nos diligamus, sed quia cuiusque partis naturae et in corpore et in animo sua quaeque vis sit: idcirco in his rebus summa, nostra sponte moueamur. Atque vt a corpore ordiar, videsne, vt, si qua in membris praua, aut debilitata, aut imminuta sint, occultent homines? vt etiam contendant et elaborent, si effi- cere possint, vt aut non appareat corporis vi- tium, aut quam minimum appareat? multosque

etiam dolores curationis causa perferant? vt, si ipse vsus membrorum non modo non maior, verum etiam minor futurus sit, eorum tamen species ad naturam reuertatur? Etenim cum omnes natura totos se expetendos putent, nec id ob aliam rem, sed propter ipsos: necesse est eius etiam partes propter se expeti, quod vniuersum propter se expetatur. Quid? in motu et in statu corporis nihilne est, quod animaduertendum esse ipsa natura iudicet? Quemadmodum quis ambulet, sedeat, qui ductus oris, qui vultus in quoque sit: nihilne est in his rebus, quod dignum libero aut indignum esse ducamus? Nonne odio dignos multos putamus, qui quodam motu aut statu videntur naturae legem et modum contempsisse? Et quoniam haec deducuntur de corpore, quid est, cur non recte pulchritudo etiam ipsa propter se expetenda ducatur? Nam si prauitatem imminutionemque corporis propter se fugiendam putamus: cur non etiam, ac fortasse magis, propter se formae dignitatem sequamur? Et, si turpitudinem fugiamus in statu et motu corporis; quid est, cur pulchritudinem non sequamur? Atque etiam valetudinem; vires, vacuitatem doloris, non propter vtilitatem solum, sed etiam ipsas propter se expetemus. Quoniam enim natura suis omnibus expleri partibus vult, hunc statum corporis per se ipsum expetit, qui est maxime e natura: quae tota perturbatur, si aut aegrum corpus est, aut dolet, aut caret viribus.

---

18. Videamus animi partes: quarum est adspectus illustrior: quae quo sunt excelsiores, eodant clariora indicia naturae. Tantus est igitur

innatus in nobis cognitionis amor et scientiae, ut nemo dubitare possit, quin ad eas res hominum natura nullo emolumento inuitata rapiatur. Videmusne, ut pueri, ne verberibus quidem, a contemplandis rebus perquirendisque deterreantur? Ut pulsi requirant, et aliquid scire se gaudeant? Ut aliis narrare gestiant? Ut pompa, ludis, atque eiusmodi spectaculis teneantur, ob eamque rem vel famem et sitim perferant? Quid vero? Qui ingenuis studiis atque artibus delectantur, nonne videmus eos nec valetudinis, nec rei familiaris habere rationem? Omniaque perpeti, ipsa cognitione et scientia captos? Et cum maximis curis et laboribus compensare eam, quam ex discendo capiant, voluptatem?

---

19. Equidem e Cn. Aufidio, praetorio, erudito homine, oculis capto, saepe audiebam, cum se lucis magis quam utilitatis desiderio moueri diceret. Somnum denique nobis, nisi quietem corporibus et medicinam quandam laboris afferret, contra naturam putaremus datum. Aufert enim sensus, actionemque tollit omnem. Itaque, si aut quietem natura non quaereret, aut eam posset alia quadam ratione consequi, facile pateremur; qui etiam nunc agendi aliquid discendique causa prope contra naturam vigilias suscipere soleamus.

---

20. Sunt autem clariora, vel plane perspicua nec dubitanda indicia naturae, maxime scilicet in homine, sed in omni animali, ut appetat animus aliquid agere semper, neque vlla conditione quie-

tem sempiternam possit pati. Facile est haec cernere in primis puerorum aetatulis. Quanquam enim vereor, ne nimius in hoc genere videar; tamen omnes veteres philosophi, maxime nostri, ad incunabula accedunt, quod in pueritia facillime se arbitrentur naturae voluptatem posse cognoscere. Videmus igitur, ut conquiescere ne infantes quidem possint: cum vero paulum processerint, lusionibus vel laboriosis delectantur, ut ne verberibus quidem deterreri possint. Eaque cupiditas agendi aliquid adolescit vna cum aetatibus. Itaque, ne si iucundissimis quidem nos somniis vsuros putemus, **Endymionis** somnum nobis velimus dari: idque si accidat, mortis instar putemus. Quin etiam inertissimos homines, nescio qua singulari nequitia praeditos, videmus tamen et animo et corpore moveri semper, et, cum re nulla impediuntur necessaria, aut alueolum poscere, aut quaerere quempiam ludum, aut sermonem aliquem requirere: cumque non habeant ingenuas ex doctrina oblectationes, circulos aliquos et semicirculos consectari. — Itaque, ut quisque optime natus institutusque est, esse omnino nolit in vita, si gerendis negotiis orbatus possit paratissimis vesci voluptatibus. Nam aut priuatim aliquid gerere malunt: aut, qui altiore animo sunt, capessunt rempublicam honoribus imperiisque adipiscendis, aut totos se ad studia doctrinae conferunt. Qua in vita, tantum abest, ut voluptates consectentur, etiam curas, sollicitudines, vigilias perferunt: optimaque parte hominis, quae in nobis diuina ducenda est, ingenii et mentis acie fruuntur, nec voluptatem requirentes, nec fugientes laborem.

21. Ergo hoc quidem apparet, nos ad agendum esse natos. — Praeclare enim Plato: Beatum, cui etiam in senectute contigerit, ut sapientiam verasque opiniones assequi possit. — Natura igitur corpus quidem hominis sic et genuit et formavit, ut alia in primo ortu perficeret, alia progrediente aetate fingeret; neque sane multum adiuventis externis et aduentitiis vteretur. Animum autem reliquis rebus ita perfecit ut corpus. Sensibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis, ut nihil, aut non multum adiumento vlllo ad suam conformationem indigeret.

---

22. Indicant pueri: in quibus, ut in speculis, natura cernitur. Quanta studia decertantium sunt? quanta ipsa certamina? Ut illi efferuntur laetitia, cum vicerint? ut pudet victos? ut se accusari nolunt? quam cupiunt laudari? quos illi labores non perferunt, ut aequalium principes sint? quae memoria est in his bene merentium? quae referendae gratiae cupiditas? Atque ea in optima quaque indole maxime apparent; in qua haec honesta, quae intelligimus, a natura tanquam adumbrantur, sed haec in pueris expressa.

In iis vero aetatibus, quae iam confirmatae sunt, quis est tam dissimilis homini, qui non moveatur et offensione turpitudinis, et comprobatione honestatis? Quis est, qui non oderit libidinosam, proteruam adolescentiam? Quis contra in illa aetate pudorem, constantiam, etiam si sua nihil intersit, non tamen diligit?

---

26. Illud mihi a te nimium festinanter dictum videtur, sapientes omnes esse semper beatos. Nescio quo modo praeteruolauit oratio; quod nisi ita efficitur: quae Theophrastus de fortuna, de dolore, de cruciatu corporis dixit, cum quibus coniungi beatam vitam nullo modo posse putauit, vereor ne vera sint. Nam illud vehementer repugnat, eundem et beatum esse et multis malis oppressum. Haec quomodo conueniant non sane intelligo.

---

27. Dicis eadem omnia et bona et mala; quae quidem dicunt, qui nunquam philosophum pictum, ut dicitur, viderunt, valetudinem, vires, staturam, formam, integritatem vnguiculorum omnium; deformitatem, morbum, debilitatem, mala.

---

28. Bonum, valetudo: miserum, morbus. Bonum, integritas corporis: misera debilitas. Bonum, incolumis acies: misera coecitas. Quae si potest singula consolando leuare, vniuersa quo modo sustinebit? Sit enim idem coecus, debilis, morbo grauissimo affectus, — quem hunc appellas Zeno? Beatum, inquit.

---

29. Bonum appello, quidquid secundum naturam est, quod contra, malum.

---

31. Nobis Heracleotes ille Dionysius flagitiose descuuisse videtur a Stoicis propter oculo-

rum dolorem. Quis vero hoc didicisset a Zennone, non dolere, cum doleret? Illud audierat, nec tamen didicerat, malum illud non esse, quia turpe non esset, et esset ferendum viro. — Is (Polemo) cum arderet podagrae doloribus, visitassetque hominem Carneades, Epicuri per familiaris, et tristis exiret: mane, quaeso, inquit, Carneade noster: nihil illinc huc peruenit. Ostendit pedes et pectus. Attamen hic mallet non dolere.

---

Cic. Tuscul. disput. I, de contemnenda morte. 5. A. Malum mihi videtur esse mors. M. Iisne, qui mortui sunt, an iis, quibus moriendum est? A. Vtrisque. M. Est miserum igitur, quoniam malum. A. Certe. M. Ergo et ii, quibus euenit iam, vt morerentur, et ii, quibus euenturum est, miseri. A. Mihi ita videtur. M. Nemo ergo non miser. A. Prorsus nemo. M. Et quidem, si tibi constare vis, omnes, quicumque nati sunt eruntue, non solum miseri, sed etiam semper miseri. Nam si solos eos diceres miseros, quibus moriendum esset, neminem tu quidem eorum, qui viuerent, exciperes: moriendum est enim omnibus: esset tamen miseriae finis in morte. Quoniam autem etiam mortui miseri sunt, in miseriam nascimur sempiternam. Necesse est enim, miseros esse eos, qui centum millibus annorum ante occiderunt, vel potius omnes, quicumque nati sunt. A. Ita prorsus existimo. M. Dic, quaeso, num te illa terrent: triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transuectio Acherontis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus? num illud, quod Sisyphu' versat

Saxum sudans nitendo, neque proficit  
hilum?

fortasse etiam inexorabiles iudices, Minos et Rhadamanthus; apud quos nec te L. Crassus defendet, nec M. Antonius, nec, quoniam apud Graecos iudices res agetur, poteris adhibere Demosthenem: tibi ipsi pro te erit maxima corona causa dicenda. Haec fortasse metuis, et idcirco mortem censes esse sempiternum malum.

---

6. A. Adeone me delirare censes, ut ista esse credam? — haec poëtarum et pictorum portenta? — M. Iam malletm Cerberum metueres, quam ista tam inconsiderate diceres. — Quid miserius, quam omnino nunquam fuisse? Ita, qui nondum nati sunt, miseri iam sunt, quia non sunt: et nos ipsi, si post mortem miseri futuri sumus, miseri fuimus, antequam nati. Ego autem non commini, antequam sum natus, me miserum. Tu si meliore memoria es, velim scire, ecquid de te recordare.

---

7. A. Quid? qui vivimus, cum moriendum sit, nonne miseri sumus? Quae enim potest in vita esse iucunditas, cum dies et noctes cogitandum sit, iam iamque esse moriendum?

---

8. A. Sed quae tandem est Epicharmi ista sententia? M. Emori nolo, sed me esse mortuum nihil aestimo.

A. Sed quae sunt ea, quae dicis te maiora mori? M. Vt doceam, si possim, non modo malum non esse, sed bonum etiam esse mortem.

---

9. M. Mors igitur ipsa, quae videtur notissima res esse, quid sit primum est videndum. Sunt enim, qui discessum animi a corpore putent esse mortem. Sunt, qui nullum censeant fieri discessum, sed vna animum et corpus occidere, animumque in corpore exstingui. Qui discedere animum censent, alii statim dissipari, alii diu permanere, alii semper,

---

10. Aristoteles longe omnibus (Platonem semper excipio) praestans et ingenio et diligentia, cum quatuor nota illa genera principiorum esset complexus, e quibus omnia orirentur, quintam quandam naturam censet esse, e qua sit mens. Cogitare enim, et prouidere, et discere, et docere, et inuenire aliquid, et tam multa alia, meminisse, amare, odisse, cupere, timere, angi, laetari: haec et similia eorum in horum quatuor generum nullo inesse putat. Quintum genus adhibet, vacans nomine: et sic ipsum animum *ἐντελέχεια* appellat nouo nomine, quasi quandam continuatam motionem et perennem.

---

11. Nam si cor, aut sanguis, aut cerebrum est animus, certe, quoniam est corpus, interibit cum reliquo corpore: si anima est fortasse, dissipabitur; si ignis, exstinguetur: si est Aristoxeni

harmonia, dissoluetur. Quid de Dicaearcho dicam, qui nihil omnino animum dicat esse? His sententiis omnibus nihil post mortem pertinere ad quemquam potest. Pariter enim cum vita sensus amittitur. Non sentientis autem, nihil est, ullam in partem quod intersit. Reliquorum sententiae spem afferunt, si te forte hoc delectat, posse animos, cum e corporibus excesserint, in coelum, quasi in domicilium suum, peruenire. A. Me vero delectat: idque, primum ita esse velim: deinde, etiam si non sit, mihi tamen persuaderi velim.

---

12. Itaque vnum illud erat insitum priscis illis, quos Cascos appellat Ennius, esse in morte sensum, neque excessu vitae sic deleri hominem, ut funditus interiret: idque cum multis aliis rebus, tum e pontificio iure et caeremoniis sepulcrorum intelligi licet: quas maximis ingeniis praediti nec tanta cura coluissent, nec violatas tam inexpressibili religione sanxissent, nisi haesisset in eorum mentibus, mortem non interitum esse omnia tollentem atque delentem, sed quandam quasi migrationem commutationemque vitae, quae in claris viris et foeminis dux in coelum soleret esse: in ceteris humi et retineretur et permaneret tamen.

---

13. Omni autem in re consensio omnium gentium lex naturae putanda est. Quis est igitur, qui suorum mortem primum non eo lugeat, quod eos orbatos vitae commodis arbitretur? Tolle hanc opinionem: luctum sustuleris. Nemo enim moeret suo incommodo. Dolent fortasse et anguntur; sed

illa lugubris lamentatio fletusque moerens ex eō est, quod eum, quem dileximus, vitae commodis priuatum arbitramur, idque sentire. Atque haec ita sentimus natura duce, nulla ratione nullaque doctrina.

---

16. Has tamen imagines loqui volunt: quod fieri nec sine lingua, nec sine palato, nec sine faucium laterumue et pulmonum vi et figura potest. Nihil enim animo videre poterant: ad oculos omnia referebant.

---

19. Cumque corporis facibus inflammari soleamus ad omnes fere cupiditates, eoque magis incendi, quod iis aemulemur, qui ea habeant, quae nos habere cupiamus: profecto beati erimus, cum, corporibus relictis, et cupiditatum et aemulationum erimus expertes.

---

20. Nos enim ne nunc quidem oculis cernimus ea, quae videmus. Neque enim est vllus sensus in corpore, sed, vt non solum physici docent, verum etiam medici, qui ista aperta et patefacta viderunt, viae quasi quaedam sunt ad oculos, ad aures, ad nares a sede animi perforatae. Itaque saepe aut cogitatione aut aliqua vi morbi impediti, apertis atque integris et oculis et auribus, nec videmus, nec audimus: vt facile intelligi possit, animum et videre et audire, non eas partes, quae quasi fenestrae sunt animi: quibus tamen sentire nihil queat mens, nisi id agat et adsit. Quid, quod

eadem mente res dissimillimas comprehendimus, ut colorem, saporem, calorem, odorem, sonum? quae nunquam quinque nuntiis animus cognosceret, nisi ad eum omnia referrentur, et is omnium iudex solus esset. Atque ea profecto tum multo puriora et dilucidiora cernentur, cum, quo natura fert, liber animus peruenerit. Nam nunc quidem, quanquam foramina illa, quae patent ad animum a corpore, callidissimo artificio natura fabricata est, tamen terrenis concretisque corporibus sunt interseptae quodammodo. Cum autem nihil erit praeter animum, nulla res obiecta impediet, quo minus percipiat, quale quidque sit.

---

22. Est illud quidem vel maximum, animo ipso animum videre: et nimirum hanc habet vim praeceptum Apollinis, quo monet, ut se quisque noscat. Non enim credo, id praecipit, ut membra nostra, aut staturam figuramue noscamus; neque nos corpora sumus: neque ego tibi haec dicens, corpori tuo dico. Cum igitur, nosce te, dicit, hoc dicit: nosce animum tuum. Nam corpus quidem quasi vas est, aut aliquod animi receptaculum. Ab animo tuo quidquid agitur, id agitur a te. Hunc igitur nosse, nisi diuinum esset, non esset hoc acrioris cuiusdam animi praeceptum, sic, ut tributum deo sit. Hoc est, se ipsum posse cognoscere.

---

24. M. Quid illa tandem? Num leuiores censes? quae declarant inesse in animis hominum diuina quaedam: quae si cernerem quemadmodum

nasci possent, etiam, quemadmodum interirent, viderem. Nam sanguinem, bilem, pituitam, ossa, neruos, venas, omnem denique membrorum et fortius corporis figuram videor posse dicere, vnde concreta et quo modo facta sint. Animum ipsum, si nihil esset in eo, nisi id, vt per eum viueremus, tam natura putarem hominis vitam sustentari, quam vitis, quam arboris. Haec enim etiam dicimus viuere. Item si nihil haberet animus hominis, nisi vt appeteret aut refugeret, id quoque esset ei commune cum bestiis.

---

27. Ita quidquid est illud, quod sentit, quod sapit, quod vult, quod viget, coeleste et diuinum est, ob eamque rem aeternum sit necesse est.

---

28. At, vt oculus, sic animus se non videns, alia cernit.

---

30. Cato autem sic abiit e vita, vt causam moriendi nactum se esse gauderet. Vetat enim dominans ille in nobis deus, iniussu hinc nos suo demigrare. Cum vero causam iustam deus ipse dederit, vt tunc Socrati, nunc Catoni, saepe multis, nae ille, medius fidius, vir sapiens, laetus ex his tenebris in lucem illam excesserit, nec tamen illa vincla carceris ruperit. Leges enim vetant. Sed tanquam a magistratu, aut ab aliqua potestate legitima, sic a deo euocatus atque emissus exierit. Tota enim philosophorum vita, vt ait idem, commentatio mortis est.

---

51. Nam quid aliud agimus, cum a voluptate, id est, a corpore, cum a re familiari, quae est ministra et famula corporis, cum a republica, cum a negotio omni seuocamus animum? quid, inquam, tum agimus, nisi animum ad seipsum aduocamus, secum esse cogimus, maximeque a corpore abducimus? Secernere autem a corpore animum, nec quidquam aliud est, quam emori discere. Quare hoc commentemur, mihi crede, disiungamusque nos a corporibus, id est, consuescamus mori. Hoc et, dum erimus in terris, erit illi coelesti vitae simile: et, cum illuc ex his vinculis emissi feremur, minus tardabitur cursus animorum. Nam qui in compedibus corporis semper fuerunt, etiam cum soluti sunt tardius ingrediuntur, ut ii, qui ferro vincti multos annos fuerunt. Quo cum venerimus, tum denique viuemus. Nam haec quidem vita mors est: quam lamentari possem, si liberet.

---

52. Credamus igitur Panaetio, a Platone suo dissentienti. Quem enim omnibus locis diuinum, quem sapientissimum, quem sanctissimum, quem Homerum philosophorum appellat, huius hanc vnam sententiam de immortalitate animorum non probat. Vult enim, quod nemo negat, quidquid natum sit interire: nasci autem animos, quod declarat eorum similitudo qui procreantur: quae etiam in ingeniis, non solum in corporibus appareat. Alteram autem affert rationem; nihil esse, quod doleat, quin id aegrum esse quoque possit: quod autem in morbum cadat, id etiam interiturum: dolere autem animos; ergo etiam interire.

---

33. Haec refelli possunt. Sunt enim ignorantis, cum de aeternitate animorum dicatur, de mente dici, quae omni turbido motu semper vacet, non de partibus iis, in quibus aegritudines, irae, libidinesque versentur: quas is contra quem haec dicantur, semotas a mente et disclusas putat. Iam similitudo magis apparet in bestiis: quarum animi sunt rationis expertes. Hominum autem similitudo in corporum figura magis exstat: et ipsi animi, magni refert, quali in corpore locati sint. Multa enim e corpore existunt, quae acuant mentem; multa quae obtundant. Aristoteles quidem ait, omnes ingeniosos melancholicos esse: ut ego me tardiolem esse non moleste feram. Enumerat multos: idque quasi constet, rationem, cur ita fiat, affert. Quod si tanta vis est ad habitum mentis in iis, quae gignuntur in corpore: (ea sunt autem, quaecunque sunt, quae similitudinem faciant) nihil necessitatis affert, cur nascatur animi similitudo.

---

34. Fac enim sic animum interire, ut corpus. Num igitur aliquis dolor, aut omnino post mortem sensus in corpore est? Nemo id quidem dicit: etsi Democritum insimulat Epicurus; Democritici negant. Ne in animo quidem igitur sensus remanet. Ipse enim nusquam est. Vbi igitur malum est? quoniam nihil tertium est. An, quoniam ipse animi discessus a corpore non fit sine dolore? Ut credam ita esse, quam est id exiguum! et falsum esse arbitror: et fit plerumque sine sensu: nonnunquam etiam cum voluptate: totumque hoc leue est, qualecunque est. Fit enim ad punctum tem-

poris. Illud angit, vel potius excruciat, discessus ab omnibus iis, quae sunt bona in vita. Vide, ne a malis dici verius possit. — A malis igitur mors abducit, non a bonis, verum si quaerimus. Hoc quidem a Cyrenaico Hegesia sic copiose disputatur, ut is a rege Ptolemaeo prohibitus esse dicatur illa in scholis dicere, quo multi, his auditis, mortem sibi ipsi consciscerent.

---

55. Pompeio nostro familiari, cum grauiter aegrotaret Neapoli, melius est factum. — Qui, si mortem tum obisset, in amplissimis fortunis occidisset. Is propagatione vitae quot, quantas, quam incredibiles hausit calamitates?

---

56. Haec morte effugiuntur, etiam si non euenierint; tamen quia possunt euenire. Sed homines ea sibi accidere posse non cogitant. Metelli sperat sibi quisque fortunam: proinde quasi aut plures fortunati sint quam infelices, aut certi quidquam sit in rebus humanis, aut sperare sit prudentius quam timere. — Caret oculis, odiosa caecitas. — Valet hoc in viuis: mortuorum autem non modo vitae commodis, sed ne vita quidem ipsa quisquam caret. De mortuis loquor, qui nulli sunt. Nos, qui sumus, num aut si cornibus caremus, aut pennis, sit qui id dixerit? certe nemo. Quid ita? Quia cum id non habeas, quod tibi nec vsu, nec natura sit aptum, non careas, etiam si sentias te non habere.

Carere igitur hoc significat, egere eo, quod habere velis. Inest enim velle in carendo, nisi

cum sic, tanquam in feбри, dicitur; alia quadam notione verbi. Dicitur enim alio modo etiam carere, cum aliquid non habeas et non habere te sentias, etiam si id facile patiare. Carere enim in morte non dicitur; nec enim esset dolendum. — Carere enim sentientis est: nec sensus in mortuo, ne carere quidem igitur in mortuo est.

---

38. Itaque non deterret sapientem mors, quae propter incertos casus quotidie imminet, propter brevitatem vitae nunquam longe potest abesse, quo minus in omne tempus reipublicae suisque consulat, et posteritatem ipsam, cuius sensum habiturus non sit, ad se putet pertinere. — Ut nihil pertinet ad nos ante ortum, sic nihil post mortem pertinebit. In quo quid potest esse mali, cum mors nec ad viuos pertineat, nec ad mortuos? Alteri nulli sunt, alteros non attingit. Quam qui leuiorem faciunt, somni simillimam volunt esse. Quasi vero quisquam ita nonaginta annos velit vivere, ut, cum sexaginta confecerit, reliquos dormiat. — Endymion vero, si fabulas audire volumus, nescio quando in Latmo obdormiuit, qui est mons Cariae; nondum, opinor, est experrectus. Num igitur eum curare censes, cum Luna laboret, a qua consopitus putatur, ut eum dormientem oscularetur? Quid curet autem, qui ne sentit quidem? Habes somnum imaginem mortis, eamque quotidie induis. Et dubitas, quin sensus in morte nullus sit, cum in eius simulacro videas esse nullum sensum?

---

39. Pellantur ergo istae ineptiae paene aniles, ante tempus mori miserum esse. Quod tandem tempus? Naturaene? At ea quidem dedit usuram vitae, tanquam pecuniae, nulla praestituta die. Quid est igitur, quod querare, si repetit, cum vult? Ea enim conditione acceperas. Idem, si puer paruus occidit, aequo animo ferendum putant: si vero in cunis, ne querendum quidem. Atqui ab hoc acerbius exegit natura, quod dederat. Nondum gustauerat, inquiunt, vitae suavitatem: hic autem iam sperabat magna, quibus frui coeperat. — Eorum autem, qui exacta aetate moriuntur, fortuna laudatur. Cur? nam, reor, nullis, si vita longior daretur, posset esse iucundior. Nihil est enim profecto homini prudentia dulcius, quam, vt cetera auferat, affert certe senectus. Quae vero aetas longa est? Aut quid omnino homini longum? Nonne modo pueros, modo adolescentes, in cursu, a tergo insequens, nec opinantes assecuta est senectus? Sed quia ultra nihil habemus, hoc longum ducimus. Omnia ista, perinde vt cuique data sunt, pro rata parte a vita aut longa aut breuia dicuntur. — Confer nostram longissimam aetatem cum aeternitate, in eadem propemodum breuitate, qua illae bestiolae, (quae vnum diem viuant) reperiemur.

---

40. Contemnamus igitur omnes ineptias: (quod enim leuius huic leuitati nomen imponam?) totamque vim bene viuendi in animi robore ac magnitudine, et in omnium rerum humanarum contemptione ac despicientia, et in omni virtute ponamus. Nam nunc quidem cogitationibus molestis-

simis effoeminamur, vt, si ante mors aduentet quam Chaldaeorum promissa consecuti sumus, spoliati magnis quibusdam honis, illusi destitutique videamur. Quod si exspectando et desiderando pendemus animis, cruciamur, angimur: prohdii immortales! quam iter illud iucundum esse debet, quo confecto, nulla reliqua cura, nulla sollicitudo futura sit! Quam me delectat Theramenes! quam elato animo est! Etsi enim flemus, cum legimus, tamen non miserabiliter vir clarus emoritur. — Lusit vir egregius extremo spiritu, cum iam praecordiis conceptam mortem contineret: vereque ei, qui venenum praebuerat, mortem est eam auguratus, quae breui consecuta est. Quis hanc animi maximi aequitatem in ipsa morte laudaret, si mortem malum iudicaret? Vadit in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates, eodem scelere iudicum, quo tyrannorum, Theramenes. Quae est igitur eius oratio, quae facit eum Plato vsum apud iudices, iam morte mulctatum?

---

41. Magna me, inquit, spes tenet, iudices, bene mihi euenire, quod mittar ad mortem. Necesse est enim, sit alterum de duobus: vt aut sensus omnino omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quamobrem, siue sensus exstinguitur, morsque ei somno similis est, qui nonnunquam, etiam sine visis somniorum, placatissimam quietem affert: dii boni! quid lucri est emori? aut quam multi dies reperiri possunt, qui tali nocti anteponantur,

cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis temporis? Quis me beatior? Sin vera sunt, quae dicuntur, migrationem esse mortem in eas oras, quas, qui e vita excesserunt, incolunt: id multo iam beatius est, te, cum ab iis, qui se iudicum numero haberi volunt, euaseris, ad eos venire, qui vere iudices appellentur, Minoëm, Rhadamanthum, Aeacum, Triptolemum: conuenireque eos, qui iuste et cum fide vixerint. Haec peregrinatio mediocris vobis videri potest? Vt vero colloqui cum Orpheo, Musaeo, Homero, Hesiodo liceat, quanti tandem aestimatis? Equidem saepe emori, si fieri posset, vellem, vt ea, quae dico, mihi liceret inuenire. Quanta delectatione autem afficerer, cum Palamedem, cum Aiace, cum alios, iudicio iniquorum circumuentos, conuenirem? Tentarem etiam summi regis, qui maximas copias duxit ad Troiam, et Vlyxi Sisyphique prudentiam: nec ob eam rem, cum haec exquirerem, sicut hic faciebam, capite damnarer. Ne vos quidem iudices, ii, qui me absoluistis, mortem timueritis. Nec enim cuiquam bono mali quidquam euenire potest, nec viuo, nec mortuo: nec vnquam eius res a diis immortalibus negligentur. Nec mihi ipsi hoc accidit fortuito. Nec vero ego iis, a quibus accusatus, aut a quibus condemnatus sum, habeo quod succenseam, nisi quod mihi nocere se crediderunt. Et haec quidem hoc modo. Nihil autem melius aestimo. Sed tempus est, inquit, iam hinc abire me, vt moriar; vos, vt vitam agatis. Vtrum autem sit me-

lius, dii immortales sciunt: hominem quidem scire, arbitror, neminem.

---

42. Nos autem teneamus, ut nihil censeamus esse malum, quod sit a natura datum omnibus. Intelligamusque, si mors malum sit, esse sempiternum malum. Nam vitae miserae mors finis esse videtur. Mortis, si est misera, finis esse nullus potest.

---

43. Quid? Cyrenaeum Theodorum, philosophum non ignobilem, nonne miramur? Cui cum Lysimachus rex crucem minaretur, istis quaeso, inquit, ista horribilia minitare purpuratis tuis: Theodori quidem nihil interest, humine an sublimi putrescat. Cuius hoc dicto admoneor, ut aliquid etiam de humatione et sepultura dicendum existimem: rem non difficilem, iis praesertim cognitis, quae de nihil sentiendo paullo ante dicta sunt. De qua Socrates quidem quid senserit, apparet in eo libro, in quo moritur: de quo iam tam multa diximus. Cum enim de immortalitate animorum disputauisset, et iam moriendi tempus vrgeret, rogatus a Critone, quemadmodum sepeliri vellet: Multam vero, inquit, operam, amici, frustra consumpsi. Critoni enim nostro non persuasi, me hinc auolaturum, neque quidquam mei relicturum. Veruntamen, Crito, si me assequi potueris, aut sicubi nactus eris, ut tibi videbitur, sepelito. Sed, mihi crede, nemo me vestrum, cum hinc excessero, consequitur. Praeclare id quidem,

qui et amico permiserit, et se ostenderit de hoc toto genere nihil laborare. Durior Diogenes, et id quidem sentiens, sed, ut Cynicus, asperius, proiici se iussit inhumatum. Tum amici, volueribusne et feris? Minime vero, inquit, sed bacillum propter me, quo abigam, ponitote. Qui poteris? illi. Non enim senties. Quid igitur mihi ferarum laniatus oberit, nihil sentienti? Praeclare Anaxagoras: qui cum Lampsaci moreretur, quaerentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, si quid ei accidisset, auferri: nihil necesse est, inquit. Undique enim ad inferos tantundem viae est. Totaque de ratione humationis vnum tenendum est: ad corpus illam pertinere, siue occiderit animus, siue vigeat. In corpore autem perspicuum est, vel extincto animo, vel elapso, nullum residere sensum.

---

45. Totus igitur hic locus est contemnendus in nobis, non negligendus in nostris: ita tamen, ut mortuorum corpora nihil sentire viui sentiamus. Quantum autem consuetudini famaеque dandum sit, id curent viui, sed ita, ut intelligant, nihil ad mortuos pertinere. Sed profecto mors tum aequissimo animo appetitur, cum suis se laudibus vita occidens consolari potest. Nemo parum diu vixit, qui virtutis perfectae perfecto functus est munere.

---

46. Concesseras enim, nullo in malo mortuos esse: sed ob eam causam contendi, ut plura dicerem, quod in desiderio et luctu haec est consola-

tio maxima. Nostrum enim et nostra causa susceptum dolorem modice ferre debemus, ne et nosmet ipsos amare videamur. Illa suspicio intolerabili dolore cruciat, si opinamur eos, quibus orbati sumus, esse cum aliquo sensu in iis malis, quibus vulgo opinantur. Hanc excutere opinionem mihi met volui radicitus; eoque fui fortasse longior.

---

47. A. Tu longior? Non mihi quidem. Prior enim pars orationis tuae faciebat, ut mori cuperem: posterior, ut modo non nollem, modo non laborarem. Omni autem oratione illud certe perfectum est, ut mortem non ducerem in malis.

Ha sacerdos aduecta in fanum, cum currus esset ductus a filiis, precata a dea dicitur, ut illis praemium daret pro pietate, quod maximum homini dari posset a deo: post, epulatos cum matre adolescentes, somno se dedisse, mane inuentos esse mortuos. Simili precatione Trophonius et Agamedes vsi dicuntur: qui, cum Apollini Delphis templum exaedificauissent; venerantes deum, petierunt mercedem, non paruum quidem operis et laboris sui, nihil certi, sed quod esset optimum homini. Quibus Apollo se id daturum ostendit post eius diei diem tertium: qui ut illuxit, mortui sunt reperti.

---

48. Affertur etiam de Sileno fabella quaedam: qui cum a Mida captus esset, hoc ei muneris pro sua missione dedisse scribitur; docuisse regem, non nasci homini longe optimum esse; proximum autem, quam primum mori.

---

49. Ita sunt multi, quibus videmus optabiles mortes fuisse cum gloria. Quae cum ita sint, magna tamen eloquentia est utendum, atque ita velut superiore e loco concionandum, ut homines mortem vel optare incipiant, vel certe timere desistant. Nam si supremus ille dies non extinctionem, sed commutationem affert loci, quid optabilius? Sin autem perimit ac delet omnino, quid melius, quam in mediis vitae laboribus obdormiscere, et ita conuiuentem somno consopiri sempiterno? — Nos vero, si quid tale acciderit, ut a deo denuntiatum videatur, ut exeamus e vita, laeti et agentes gratias pareamus, emittique nos e custodia et leuari vinculis arbitremur, ut aut in aeternam et plane in nostram domum remigremus, aut omni sensu molestiaque careamus: Sin autem nihil denuntiabitur, eo tamen simus animo, ut horribilem illum diem aliis nobis faustum putemus, nihilque in malis ducamus, quod sit vel a diis immortalibus, vel a natura parente omnium constitutum. Non enim temere nec fortuito sati et creati sumus, sed profecto fuit quaedam vis, quae generi consuleret humano: nec id gigneret, aut aleret, quod, cum exanclauisset omnes labores, tum incideret in mortis malum sempiternum: portum potius paratum nobis et perfugium putemus. Quo utinam velis passis peruchi liceat! Sin resstantibus ventis reiiciemur, tamen eodem paullo tardius referamur necesse est. Quod autem omnibus necesse est, idne miserum esse vni potest? — Sed nunc quidem valetudini tribuamus aliquid. Cras autem et quot dies erimus in Tusculano, agamus haec, et ea potissimum, quae leuationem habeant

aegritudinum, formidinum, cupiditatum; qui omni e philosophia est fructus vberimus.

---

Cic. Tuscul. disp. II, de tolerando dolore. 1. Qui id, quod vitari non potest, metuit, is viuere animo quieto nullo modo potest. Sed qui, non modo quia necese est mori, verum etiam quia nihil habet mors, quod sit horrendum, mortem non timet, magnum is sibi praesidium ad beatam vitam comparat.

---

4. Etsi enim mihi sum conscius, nunquam me nimis cupidum fuisse vitae, tamen obiiciebatur interdum animo metus quidam et dolor, cogitanti, fore aliquando finem huius lucis et amissionem omnium vitae commodorum. Hoc genere molestiae sic, mihi crede, sum liberatus, vt nihil minus curandum putem. M. Minime mirum id quidem. Nam efficit hoc philosophia: medetur animis, inanes sollicitudines detrahit, cupiditatibus liberat, pellit timores. Sed haec eius vis non idem potest apud omnes: tum valet multum, cum est idoneam complexa naturam. Fortes enim non modo fortuna adiuuat, vt est in vetere prouerbio, sed multo magis ratio, quae quibusdam quasi praeceptis confirmat vim fortitudinis. Te natura excelsum quendam videlicet, et altum, et humana despicientem genuit. Itaque facile in animo forti contra mortem habita insedit oratio.

---

5. A. Dolorem existimo maximum malorum omnium.

---

6 Metrodorus quidem eum perfecte putat beatum, cui corpus bene constitutum sit, et exploratum ita semper fore. Quis autem est iste, cui id exploratum possit esse?

---

7. Ego a te non postulo, ut dolorem eisdem verbis afficias, quibus Epicurus voluptatem, homo, ut scis, voluptarius. Ille dixerit sane idem in Phalaridis tauro, quod, si esset in lectulo. Ego tantam vim non tribuo sapienti contra dolorem. Sit fortis in perferendo, officio satis est: ut lactetur etiam, non postulo. Tristis enim res est sine dubio, aspera, amara, inimica naturae, ad patiendum tolerandumque difficilis. Adspice Philoctetam: cui concedendum est gementi. Ipsum enim Herculem viderat in Oeta magnitudine dolorum eiulantem.

---

8. Sed videamus Herculem ipsum, qui tum dolore frangebatur, cum immortalitatem ipsa morte quaerebat. Quas hic voces apud Sophoclem in Trachiniis edit? cui cum Deianira sanguine centauri tinctam tunicam induisset, inhaesissetque ea visceribus, ait ille:

O multa dictu grauia, perpersu aspera,  
 Quae corpore exanclato atque animo pertuli.  
 Nec mihi Iunonis terror implacabilis,  
 Nec tantum inuexit tristis Eurystheus mali,  
 Quantum vna vecors Oenei partu edita.  
 Haec me irretiuit veste furiali inscium.  
 Quae lateri inhaerens morsu lacerat viscera,  
 Vrgensque grauiter pulmonum haurit spiritus:

Iam decolorem sanguinem omnem exsorbuīt:  
 Sic corpus clade horribili absumptum extabuīt,  
 Ipse illigatus peste interimor textili.  
 Hos non hostilis dextra, non terra edita  
 Moles gigantum, non biformato impetu  
 Centaurus ictus corpori inflixit meo,  
 Non Graia vis, non barbara vlla immanitas,  
 Non saeua terris gens relegata vltimis,  
 Quas peragrans, vndique omnem hinc ferita-  
 tem expuli.

Sed foeminea vi, foeminea interimor manu.  
 O nate, vere hoc nomen vsurpa patri,  
 Nec me occidentem matris superet caritas.  
 Heu arripe ad me manibus abstractam piis.  
 Iam cernam, mene, an illam, potiozem putes.  
 Perge, aude, nate, illacryma patris pestibus:  
 Miserere, gentes nostras flebunt miserias.  
 Heu virginalem me ore ploratum edere,  
 Quem vidit nemo vlli ingemiscensem malo?  
 Sic foeminata virtus afflicta occidit.  
 Accede, nate, assiste, miserandum adspice  
 Evisceratum corpus lacerati patris.  
 Videte cuncti, tuque coelestum sator,  
 Iace, obsecro, in me vim coruscā fulminis,  
 Nunc, nunc dolorum anxiferi torquent vertices:  
 Nunc serpit ardor. O ante victrices manus,  
 O pectora, o terga, o lacertorum tori!  
 Vestrone pressu quondam Nemeaeus leo  
 Frendens efflauit grauitē extremum halitum?  
 Haec dextra Lernam taetram, mactata excetra,  
 Placauit: haec bicorpoream afflixit manum:  
 Erymanthiam haec vastificā abiecit beluam,  
 Haec a Tartarea tenebrica abstractum plaga  
 Tricipitem eduxit hydra generatum canem:

Haec interemit tortu multiplicabili  
 Draconem, auriferam obtutu obseruantem ar-  
 borem.

Multa alia, victrix nostra lustrauit manus,  
 Nec quisquam e nostris spolia cepit laudibus.  
 Possumusne nos contemnere dolorem, cum  
 ipsum Herculem tam intoleranter, dolere vi-  
 deamus?

---

13. An temperantia sinet te immoderate fa-  
 cere quidquam?

---

14. Pungit dolor. Vel fodiat sane. Si nu-  
 dus es, da iugulum. Sin tectus Vulcaniis ar-  
 mis; id est, fortitudine, resiste. Haec enim te,  
 nisi ita facies, custos dignitatis, relinquet et deseret.  
 Cretum quidem leges, quas siue Iupiter, siue  
 Minos sanxit, de Iouis quidem sententia, vt poë-  
 tae ferunt; itemque Lycurgi, laboribus erudiunt  
 iuuentutem, venando, currendo, esuriendo, si-  
 tiendo, algendo, aestuando. Spartae vero pueri  
 ad aram sic verberibus accipiuntur, vt multus e  
 visceribus sanguis exeat; nonnunquam etiam, vt,  
 cum ibi essem, audiebam, ad necem: quorum non  
 modo nemo exclamauit vnquam, sed ne ingemuit  
 quidem. Quid ergo? Hoc pueri possunt, viri  
 non poterunt? Et mos valet, ratio non valebit?

---

15. Labor est functio quaedam vel animi,  
 vel corporis grauioris operis et muneris: dolor  
 autem motus asper in corpore, alienus a sensi-  
 bus. — Cum varices secabantur C. Mario, do-

lebat, cum aestu magno ducebat agmen: laborabat. Est inter haec tamen quaedam similitudo. Consuetudo enim laborum perpersionem dolorum efficit faciliorem. Itaque illi, qui Graeciae formam rerum publicarum dederunt, corpora iuuenum firmari labore voluerunt. Quod Spartiatae etiam in foeminas transtulerunt: quae ceteris in urbibus, mollissimo cultu, parietum umbris occuluntur. Illi autem voluerunt

Nihil horum simile esse apud Lacoenas  
virgines:

Quibu' magi' palaestra, Eurotas, sol, pul-  
vis, labos,

Militia in studio est quam fertilitas barbara,

Ergo his laboriosis exercitationibus et dolor intercurrit nonnunquam: impelluntur, feriuntur, abiciuntur, cadunt; et ipse labor quasi callum quoddam obducit dolori.

---

16. Tantum interest inter nouum et veterem exercitum, quantum experti sumus. Aetas tiro- num plerumque melior: sed ferre laborem, contemnere vulnus, consuetudo docet. Quin etiam videmus ex acie afferri saepe saucios, et quidem rudem illum et inexercitatum, quamuis leui ictu, ploratus turpissimos edere. At vero ille exercitatus et vetus, ob eamque rem fortior, medicum modo requirens, a quo obligetur,

O Patrocle, (inquit,) ad vos adueniens au-  
xilium et vestras manus peto,

Priusquam oppeto malam pestem, manda-  
tam hostili manu:

Neque sanguis vlllo potis est pacto proflu-  
ens consistere,

Si qua sapientia magis vestra deuitari mors  
potest.

Namque Aesculapii liberorum saucii op-  
plent porticus:

Non potest accedi.

17. Abducet Patrocles, credo, vt collocet in  
cubili, vt vulnus obliget, si quidem homo esset. —

Aniculae saepe in diem biduum aut triduum  
ferunt. Subduc cibum vnum diem athletae: Iouem  
Olympium, eum ipsum, cui se exercebit, implo-  
rabit: ferre non posse clamabit. **Consuetudinis**  
magna vis est. Pernoctant venatores in niue:  
in montibus vri se patiuntur. Inde pugiles cesti-  
bus contusi ne ingemiscunt quidem.

18. Appellata est ex viro virtus: viri autem  
propria maxime est fortitudo. Cuius munera  
duo sunt maxima, mortis dolorisque contemptio.  
Utendum est igitur his, si virtutis compotes, vel  
potius si viri volumus esse, quoniam a viris virtus  
nomen est mutuata.

19. Quaeres fortasse, quo modo: et recte.  
Talem enim medicinam philosophia profitetur. —  
Neglige, inquit, (Epicurus) dolorem. — Si sum-  
mus dolor est, inquit, necesse est, breuem  
esse. — Contemno magnitudinem doloris, a qua  
me breuitas temporis vindicabit ante paene quam

venerit. Sed si est tantus dolor, quantus Philoctetae, bene plane magnus mihi quidem videtur, sed tamen non summus: nihil enim dolet, nisi pes. Possunt oculi: potest caput, latera, pulmones: possunt omnia. Longe igitur abest a summo dolore. Ergo, inquit, dolor diuturnus habet laetitiae plus quam molestiae. Nunc ego non possum tantum hominem nihil sapere dicere. Sed nos ab eo derideri puto. Ego summum dolorem (summum autem dico, etiam si decem atomis est maior alius) non continuo dico esse breuem: multosque possum bonos viros nominare, qui complures annos doloribus podagrae crucientur maximis. — Omittamus hunc igitur, nihil prorsus dicentem: cogamusque confiteri, non esse ab eo doloris remedia quaerenda, qui dolorem malorum omnium maximum dixerit. Quamuis idem forticulum se in torminibus et in stranguria sua praebat. Aliunde igitur est quaerenda medicina, et maxime quidem, si, quid maxime consentaneum sit, quaerimus ab iis, quibus, quod honestum sit, summum bonum; quod turpe, summum videtur malum. His tu praesentibus gemere et te iactare non audebis profecto. Loquetur enim eorum voce virtus ipsa tecum.

---

20. Tunc, cum pueros Lacedaemone, adulescentes Olympiae, barbaros in arena videris excipientes grauissimas plagas et ferentes silentio, si te forte dolor aliquis peruellerit, (perculerit) exclamabis, vt mulier? non constanter et sedate ferres? Fieri non potest: natura non patitur. Audio. Pueri ferunt, gloria ducti: ferunt pudore alii;

multi metu: et tamen veremur, vt hoc, quod a tam multis et quod tot locis perferatur, natura non patiatur? Illa vero non modo patitur, verum etiam postulat. Nihil enim habet praestantius, nihil, quod magis expetat, quam honestum, quam laudem, quam dignitatem, quam decus. — Quod si tibi persuasum est: principio enim dixisti, plus in dedecore mali tibi videri, quam in dolore: reliquum est, vt tute tibi imperes. Quanquam hoc nescio, quo modo dicatur, quasi duo simus, vt alter imperet, alter pareat: non inscite tamen dicitur.

---

21. Est enim animus in partes tributus (distributus) duas: quarum altera rationis est particeps, altera expers. Cum igitur praecipitur, vt nobismetipsis imperemus, hoc praecipitur, vt ratio coërceat temeritatem. Est in animis omnium fere natura molle quiddam, demissum, humile, eneruatam quodammodo et languidum, senile. Si nihil aliud: nihil esset homine deformius. Sed praesto est domina omnium et regina ratio, quae connixa per se et progressa longius fit perfecta virtus. Haec vt imperet illi parti animi, quae obedire debet, id videndum est viro. Quonam modo? inquires. Velut dominus seruo, velut imperator militi, velut parens filio. Si turpissime se illa pars animi geret, quam dixi esse mollem, si se lamentis muliebriter lacrymisque dedet, vinciat et constringatur amicorum propinquorumque custodiis. Saepè enim videmus, fractos pudore, qui ratione nulla vincerentur. — Non nimis in Niptris ille sapientissimus Graeciae saucius lamentatur, vel modice potius:

Pedetentim (inquit) et sedato nisu,  
 Ne succussu arripiat maior  
 Dolor.

Pacuius haec melius quam Sophocles. Apud illum enim perquam flebiliter Vlysses lamentatur in vulnere: tamen huic leuiter gementi, illi ipsi, qui ferunt saucium, personae grauitatem intuentes, non dubitarunt dicere: Tu quoque, Vlysses, quam grauiter cernimus ictum, nimis paene animo es molli, qui consueris in armis aeuum agere. Intelligit poëta prudens, ferendi doloris consuetudinem esse non contemnendam magistram. Atque ille non immoderate magno in dolore,

Retinete, tenete, opprimate,  
 Vlcus nudate. Heu miserum me! ex-  
 crucior.

Incipit labi: deinde illico desinit,

Operite, abscedite, iamiam mittite.

Nam attrectatu et quassu saeuum amplifi-  
 catis dolorem.

Videsne, vt obmutuerit non sedatus corporis sed castigatus animi dolor? Itaque in extremis Niptris alios quoque obiurgat, idque moriens,

Conqueri fortunam aduersam, non lamen-  
 tari decet.

Id viri est officium: fletus muliebri ingenio  
 additus.

Huius animi pars illa mollior rationi sic paruit, vt seuero imperatori miles pudens.

---

22. Calanus Indus, indoctus ac barbarus, in radicibus Caucasi natus, sua voluntate viuus combustus est. Nos, si pes condoluit, si dens,

sed fac totum dolere corpus, ferre non possumus. **Opinio** est enim quaedam effoeminata ac leuis, nec in dolore magis quam eadem in voluptate: quacum liquescimus fluimusque mollitia, apud aculeum sine clamore ferre non possumus. At verò **C. Marius**, rusticanus vir, sed plane vir, cum secaretur, ut supra dixi, principio vetuit se alligari: nec quisquam ante Marium solutus dicitur esse sectus. Cur ergo postea alii? **Valuit auctoritas.** Videsne igitur opinionis esse, non naturae malum? Et tamen fuisse acrem morsum doloris idem Marius ostendit. **Crus** enim alterum non praebuit. Ita et tulit dolorem ut vir, et, ut homo, maiorem ferre sine causa necessaria noluit. Totum igitur in eo est, ut tibi imperes. Ostendi autem, quod esset imperandi genus; atque haec cogitatio, quid patientia, quid fortitudine, quid magnitudine animi dignissimum sit, non solum animum comprimit, sed ipsum etiam dolorem nescio quo pacto mitiorem facit.

---

23. Sed hoc quidem in dolore maxime est providendum, ne quid abiecte, ne quid timide, ne quid ignave, ne quid serviliter muliebriterue faciamus: imprimisque refutetur ac reiiciatur **Philoctetaeus ille clamor.** Ingemiscere nonnunquam viro concessum est, idque raro: eiulatus ne mulieri quidem. Et hic nimirum est fletus, quem duodecim tabulae in funeribus adhiberi vetuerunt. Nec vero unquam ne ingemiscit quidem vir fortis ac sapiens, nisi forte ut se intendat ad firmitatem, ut in stadio cursores exclamant quam maxime possunt.

---

24. Cuius contentionis cum tanta vis sit, si gemitus in dolore ad confirmandum animum valebit, utemur. Sin erit ille gemitus elamentabilis, si imbecillus, si abiectus, si flebilis: ei qui se dederit, vix eum virum dixerim. Qui quidem gemitus si leuationis aliquid afferret, tamen videmus, quid esset fortis et animosi viri. Cum vero nihil imminuat doloris, cur frustra turpes esse volumus? Quid est enim fletu muliebri viro turpius?

---

25. E quibus (philosophis) homo sane leuis Heracleotes Dionysius, cum a Zenone fortis esse didicisset, a dolore deductus est. Nam cum ex renibus laboraret, ipso in eiulatu clamitabat, falsa esse illa, quae antea de dolore ipse sensisset. Quem cum Cleanthes condiscipulus rogaret, quaeenam ratio eum de sententia deduxisset, respondit: quia, cum tantum operae philosophiae dedissem, dolorem tamen ferre non possem; satis esset argumenti, malum esse dolorem. Plurimos autem annos in philosophia consumpsi, nec ferre possum; malum est igitur dolor. Tum Cleanthem, cum pede terram percussisset, versum ex Epigonis ferunt dixisse: Audisne haec Amphiarae, sub terram abdite? Zenonem significabat: a quo illum degenerare dolebat. At non noster Posidonius: quem et ipse saepe vidi, et id dicam, quod solebat narrare Pompeius: se, cum Rhodum venisset, decedens ex Syria, audire voluisse Posidonium: sed cum audiisset, eum grauiter esse aegrum, quod vehementer eius artus laborarent, voluisse tamen nobilissimum philosophum visere: quem ut vidisset et salutauisset, honorificisque verbis prosecutus

esset, molesteque se dixisset ferre, quod eum non posset audire. At ille, Tu vero, inquit, potes; nec committam, vt dolor corporis efficiat, vt frustra tantus vir ad me venerit. Itaque narrabat, eum grauiter et copiose de hoc ipso, nihil esse bonum, nisi quod honestum esset, cubantem disputauisse: cumque quasi faces ei doloris admouerentur, saepe dixisse: nihil agis, dolor, quamuis sis molestus, nunquam te esse confitebor malum.

---

26. Hoc igitur tibi propone; amplitudinem animi et quasi quandam exaggerationem quam altissimam animi, quae maxime eminent contemendis et despiciendis doloribus, vnam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo, neque plausum captans, se tantum ipsa delectet. Quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione et sine populo teste fiunt: non quo (quod) fugiendus sit (omnia enim benefacta in luce se collocari volunt) sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia maius est.

---

27. Atque inprimis meditemur illud, vt haec patientia dolorum, quam saepe iam animi intentione dixi esse firmandam, in omni genere se aequabilem praebet. Saepe enim multi, qui aut propter victoriae cupiditatem, aut propter gloriae, aut etiam vt ius suum et libertatem tenerent, vulnera exceperunt fortiter et tulerunt, iidem omissa contentione dolorem morbi ferre non possunt.

Neque enim illum, quem facile tulerant, ratione aut sapientia tulerant, sed studio potius et gloria. Itaque barbari quidam et immanes ferro decertare acerrime possunt: aegrotare viriliter non queunt. **Graeci autem homines** non satis animosi, prudentes, ut est captus hominum, satis hostem adspicere non possunt, eidem morbos toleranter atque humane ferunt. At **Cimbri et Celtiberi** in proeliis exsultant, lamentantur in morbo. Nihil enim potest esse aequabile, quod non a certa ratione proficiscatur. — Ut enim, si cui nauiganti praedones insequantur, deus quis dixerit: Eiice te naui, praesto est, qui excipiat; vel delphinus, ut Arionem Methymnaeum, vel equi Pelopis illi Neptunii, qui per vndas currus suspensos rapuisse dicuntur, excipient te et, quo velis, perferent; omnem omittat timorem: sic **urgentibus asperis et odiosis doloribus**, si tanti non sint, ut ferendi sint, quo sit confugiendum vides.

---

Cic. Tusc. disp. III, de aegritudine lenienda. 1. Quidnam esse, Brute, causae putem, cur, cum constemus ex animo et corpore, **corporis curandi tuendique causa**, quaesita sit ars eius atque vtilitas, deorum immortalium inuentioni consecrata: **animi autem medicina** nec tam desiderata sit, antequam inuenta, nec tam culta, posteaquam cognita est, nec tam multis grata et probata, pluribus etiam suspecta et inuisa? An quod corporis grauitatem et dolorem animo iudicamus, animi morbum corpore non sentimus? Ita fit, ut animus de se ipse tum iudicet, cum id ipsum, quo iudicatur, aegrotet. Quod si **tales nos natura ge-**

nuisset, ut eam ipsam intueri et perspicere, eademque optima duce cursum vitae conficere possemus: haud erat sane, quod quisquam rationem ac doctrinam requireret.

---

2. Quid, qui pecuniae cupiditate, qui voluptatum libidine feruntur: quorumque ita perturbantur animi, ut non multum absint ab insania, quod insipientibus contingit omnibus, his nullane est adhibenda curatio? Vtrum quod minus noceant animi aegrotationes quam corporis? An quod corpora curari possint, animorum medicina nulla sit?

---

5. At et morbi perniciosiores pluresque sunt animi quam corporis. Hi enim ipsi odiosi sunt, quod ad animum pertinent eumque sollicitant: animusque aeger, ut ait Ennius, semper errat, neque pati, neque perpeti potest: cupere nunquam desinit. Quibus duobus morbis, (ut omittam alios) aegritudine et cupiditate qui tandem possunt in corpore esse grauiore? Qui vero probari potest, ut sibi mederi animus non possit, cum ipsam medicinam corporis animus inuenerit, cumque ad corporum sanationem multum ipsa corpora et natura valeant, nec omnes, qui curari se passi sunt, continuo etiam conualescant: animi autem, qui sanari voluerint praeceptisque sapientium paruerint, sine vlla dubitatione sanentur? Est profecto animi medicina philosophia: cuius auxilium non, ut in corporis morbis, petendum est foris: omnibusque opibus, viribus, ut nosmetipsi nobis mederi possimus, elaborandum est.

---

4. A. Videtur mihi cadere in sapientem aegritudo. M. Num reliquae quoque perturbationes animi, formidines, libidines, iracundiae? Haec enim fere sunt eiusmodi, quae Graeci *πάθη* appellant: ego poteram morbos, et id verbum esset e verbo: sed in consuetudinem nostram non caderet. Nam misereri, invidere, gestire, laetari, haec omnia morbos Graeci appellant, motus animi rationi non obtemperantes: nos autem hos eosdem motus concitati animi, recte, ut opinor, perturbationes dixerimus: morbos autem non satis usitate. — A. Quid? tibi omnine animi commotio videtur insania? M. Non mihi quidem soli: sed, id quod admirari saepe soleo, maioribus quoque nostris hoc ita visum intelligo multis seculis ante Socratem: a quo haec omnis, quae est de vita et de moribus, philosophia manavit. A. Quonam tandem modo? M. Quia nomen insaniae significat mentis aegrotationem et morbum, id est, insanitatem et aegrotum animum, quam appellarunt insaniam. Omnes autem perturbationes animi morbos philosophi appellant; negantque, stultum quemquam his morbis vacare. Qui autem in morbo sunt, sani non sunt: et omnium insipientium animi in morbo sunt: omnes insipientes igitur insaniant. Sanitatem enim animorum positam in tranquillitate quadam constantiaque censebant; his rebus mentem vacuum appellarunt insaniam, propterea quod in perturbato animo, sicut in corpore, sanitas esse non possit.

---

5. Nec minus illud acute, quod animi affectionem, lumine mentis carentem, nominauerunt

amentiam, eandemque dementiam. Ex quo intelligendum est, eos, qui haec rebus nomina posuerunt, sensisse hoc idem, quod a Socrate acceptum diligenter Stoici retinuerunt, omnes insipientes esse non sanos. Qui enim animus est in aliquo morbo (morbos autem hos perturbatos motus, ut modo dixi, philosophi appellant) non magis est sanus, quam id corpus, quod in morbo est. Ita fit; ut sapientia sanitas sit animi: insipientia autem quasi insanitas quaedam, quae est insania, eademque dementia. Multoque melius haec notata sunt verbis latinis quam graecis. Totum igitur id, quod quaerimus, quid et quale sit, verbi vis ipsa declarat. Eos enim sanos intelligi necesse est, quorum mens motu, quasi morbo, perturbata nullo sit. Qui contra affecti sunt, hos insanos appellari necesse est. Itaque nihil melius quam quod est in consuetudine sermonis latini, cum exisse ex potestate dicimus eos, qui effrenati feruntur aut libidine, aut iracundia. Quanquam ipsa iracundia libidinis est pars. Sic enim definitur iracundia, vlciscendi libido. Qui igitur exisse ex potestate dicuntur, idcirco dicuntur, quia non sunt in potestate mentis: cui regnum totius animi a natura tributum est. Graeci autem *μανίαν* unde appellant non facile dixerim. Eam tamen ipsam distinguimus nos melius quam illi. Hanc enim insaniam, quae iuncta stultitiae patet latius, a furore disiungimus. Graeci volunt illi quidem, sed parum valent verbo: quem nos furorem, *μελαγχολίαν* illi vocant. Quasi vero atra bili solum mens, ac non saepe vel iracundia grauiore, vel timore, vel dolore moueatur. Quo genere Athamantem, Alcmaconem, Aiacem, Orestem furere dicimus. Qui ita sit affectus, eum

dominum esse rerum suarum vetant duodecim tabulae. Itaque non est scriptum, si insanus, sed si furiosus esse incipit. Insaniam enim censuerunt esse inconstantiam mentis, sanitate vacantem, posse tamen tueri mediocritatem officiorum, et vitae communem cultum atque vsitatum. Furorem autem esse rati sunt mentis ad omnia coecitatem. Quod cum maius esse videatur quam insania, tamen eiusmodi est, ut furor in sapientem cadere possit, non possit insania.

---

6. Non enim silice nati sumus. Sed est naturale in animis tenerum quiddam atque molle, quod aegritudine, quasi tempestate, quatiatur. Nec absurde Crantor ille, qui in nostra Academia vel imprimis fuit nobilis, Minime, inquit, assentior iis, qui istam nescio quam indolentiam magnopere laudant: quae nec potest vlla esse, nec debet. Ne aegrotus sim, inquit: sed si fuerim, sensus adsit, siue secetur quid, siue auellatur a corpore. Nam istuc nihil dolere non sine magna mercede contingit, immanitatis in animo, stuporis in corpore. — Illud quidem sic habeto: nisi sanatus animus sit, quod sine philosophia fieri non potest, finem miseriarum nullum fore. Quamobrem, quoniam coepimus, tradamus nos ei curandos. Sanabimur, si volumus. Et progrediar quidem longius: non enim de aegritudine solum, quanquam id quidem primum, sed de omni animi, ut ego posui, perturbatione, morbo, ut Graeci volunt, explicabo.

---

7. Atque in quem cadit aegritudo, in eundem timor. Quarum enim rerum praesentia sumus

in aegritudine, easdem impendentes et venientes timemus. Ita fit, vt fortitudini aegritudo repugnet. Verisimile est igitur, in quem cadat aegritudo, cadere in eundem timorem et infractionem quidem animi et demissionem. Quae in quem cadunt, in eundem cadit vt seruiat, vt victum se quandoque esse fateatur. Quae qui recipit, recipiat idem necesse est timiditatem et ignauiam. Non cadunt autem haec in virum fortem. Igitur ne aegritudo quidem. At nemo sapiens, nisi fortis. Non cadet ergo in sapientem aegritudo. Praeterea necesse est, qui fortis sit, eundem esse magni animi: qui magni animi sit, inuictum: qui inuictus sit, eum res humanas despiciere atque infra se positas arbitrari. Despiciere autem nemo potest eas res, propter quas aegritudine affici potest. Ex quo efficitur, fortem virum aegritudine nunquam affici. Omnes autem sapientes fortes. Non cadit igitur in sapientem aegritudo. Et quemadmodum oculus conturbatus non est probe affectus ad suum munus fungendum: et reliquae partes totumue corpus statu cum est motum, deest officio suo et muneri: sic conturbatus animus non est aptus ad exsequendum munus suum. Munus autem animi est, ratione bene vti: et sapientis animus ita semper affectus est, vt ratione optime vtatur. Nunquam igitur est perturbatus. At aegritudo perturbatio est animi, semper igitur ea sapiens vacabit.

---

9. Num manus affecta recte est, cum in tumore est? aut num aliquodpiam membrum tumidum ac turgidum non vitiose se habet? Sic igitur inflatus et tumens animus in vitio est.

---

10. Nam vt corpus, etiam si mediocriter aegrum est, sanum non est: sic in animo ista mediocritas caret sanitate. Itaque praeclare nostri, vt alia multa, molestiam, sollicitudinem, angorem, propter similitudinem corporum aegrorum, aegritudinem nominauerunt. Hoc propemodum verbo Graeci omnem animi perturbationem appellant. Vocant enim *πάθος*, id est, morbum, quicumque est motus in animo turbidus; nos melius: aegris enim corporibus simillima est animi aegritudo. At non similis aegrotationis est libido, non immoderata laetitia, quae est voluptas animi elata et gestiens. Ipse etiam metus non est morbi admodum similis, quanquam aegritudini est finitimus, sed proprie, vt aegrotatio in corpore, sic aegritudo in animo, nomen habet non seiunctum a dolore. Doloris igitur huius origo nobis explicanda est, id est, causa efficiens aegritudinem in animo, tanquam aegrotationem in corpore. Nam, vt medici, causa morbi inuenta, curationem esse inuentam putant: sic nos, causa aegritudinis reperta, mendendi facultatem reperiemus.

---

11. Est igitur causa omnis in opinione, nec vero aegritudinis solum, sed etiam reliquarum omnium perturbationum: quae sunt genere quatuor, partibus plures. Nam cum omnis perturbatio sit animi motus vel rationis expers, vel rationem aspernans, vel rationi non obediens, isque motus aut boni aut mali opinione citetur: bifariam quatuor perturbationes aequaliter distributae sunt. Nam duae sunt ex opinione boni: quarum altera, voluptas gestiens, id est, praeter modum elata lae-

titia, opinione praesentis magni alicuius boni: altera cupiditas, quae recte vel libido dici potest, quae est immoderata appetitio opinati magni boni, rationi non obtemperans. Ergo haec duo genera, voluptas gestiens et libido, bonorum opinione turbantur, ut duo reliqua, metus et aegritudo, malorum. Nam et metus opinio magni mali impendentis: et aegritudo est opinio magni mali praesentis: et quidem recens opinio talis mali, ut in eo rectum videatur esse angere: id autem est, ut is, qui doleat, oportere opinetur se dolere. His autem perturbationibus, quas in vita hominum stultitia quasi quasdam furias immittit atque incitat, omnibus viribus atque opibus repugnandum est, si volumus hoc, quod datum est vitae, tranquille placideque traducere. Sed cetera alias. Nunc aegritudinem si possumus depellamus. Id enim sit propositum: quandoquidem eam tu videri tibi in sapientem cadere dixisti. Quod ego nullo modo existimo. Taetra enim res est, misera, detestabilis, omni contentione velis, ut ita dicam, remisque fugienda.

---

15. Hoc tu igitur censes sapienti accidere posse, ut aegritudine opprimatur, id est, miseria? Nam cum omnis perturbatio miseria est, tum carnificina est aegritudo. Habet ardorem libido, levitatem laetitia gestiens, humilitatem metus: sed aegritudo maiora quaedam, tabem, cruciatum, afflictationem, foeditatem: lacerat, exest animum planeque conficit. Hanc nisi exuimus sic, ut abiciamus, miseria carere non possumus.

---

14. Haec igitur praemeditatio futurorum malorum lenit eorum aduentum, quae venientia longe ante videris.

---

15. Hinc est enim ille vultus semper idem, quem dicitur Xanthippe praedicare solita in viro suo fuisse Socrate: eodem semper se vidisse exeuntem illum domo et reuertentem. Nec vero ea frons erat, quae M. Crassi illius veteris, quem semel ait in omni vita risisse Lucilius; sed tranquilla et serena. Sic enim accepimus. Iure autem erat semper idem vultus, cum mentis, a qua is fingitur, nulla fieret mutatio.

---

16. Male reprehendunt (Epicurei) praemeditationem rerum futurarum. Nihil est enim, quod tam obtundat eneruetque aegritudinem, quam perpetua in omni vita cogitatio, nihil esse, quod accidere non possit, quam meditatio conditionis humanae, quam vitae lex commentatioque parendi: quae non hoc affert, ut semper moereamus, sed ut nunquam. Neque enim qui rerum naturam, qui vitae varietatem, qui imbecillitatem generis humani cogitat, moeret, cum haec cogitat, sed tum vel maxime sapientiae fungitur munere. — Non est enim in nostra potestate, fodicantibus iis rebus, quas malas esse opinemur, dissimulatio, vel obliuio. Lacerant, vexant, stimulos admouent, ignes adhibent, respirare non sinunt. Et tu obliuisci iubes, quod contra naturam est? quia natura datum est auxilium, extorqueas inueterati doloris? Est enim tarda illa quidem medicina, sed tamen magna, quam affert longinquitas et dies.

---

22. Tanta igitur calamitatis praesentis adhibetur a philosopho medicina, quanta inueteratae ne desideratur quidem. Nec si aliquot annis post idem ille liber captiuus missus esset, vulneribus mederetur, sed cicatricibus. Sensim enim et pedetentim progrediens extenuatur dolor: non quo ipsa res immutari soleat, aut possit; sed id, quod ratio debuerat, usus docet, minora esse ea, quae sint visa maiora.

---

24. Et mihi quidem videtur idem fere accidere iis, qui ante meditantur, quod iis quibus medetur dies: nisi quod ratio quaedam sanat illos, hos ipsa natura, intellecto eo, quod remedium illud continet, malum, quod opinatum sit esse maximum, nequaquam esse tantum, ut vitam beatam possit euertere. Hoc igitur efficitur, ut ex illo nec opinato plaga maior sit, non ut illi putant, ut, cum duobus pares casus euenerint, is modo aegritudine afficiatur, cui ille nec opinato casus euenerit. Itaque dicuntur nonnulli in moerore, cum de hac communi hominum conditione audiissent, ea lege esse nos natos, ut nemo in perpetuum esse posset expers mali, grauius etiam tulisse.

---

25. Quocirca Carneades, ut video nostrum scribere Antiochum, reprehendere Chrysippum solebat, laudantem Euripideum carmen illud:

Mortalis nemo est, quem non attingit dolor,  
 Morbusque. Multi sunt humandi liberi,  
 Rursum creandi: morsque est finita omni-  
 bus.

Quae generi humano angorem nequidquam  
afferunt.

Reddenda est terrae terra: tum vita omnibus  
Metenda, vt fruges. Sic iubet necessitas.

Nam et necessitas ferendae conditionis huma-  
nae quasi cum deo pugnare cohibet admonetque  
esse hominem: quae cogitatio magnopere luctum  
leuat: et enumeratio exemplorum, non vt animum  
maliuolorum oblectet, affertur, sed vt ille, qui  
moeret, ferendum sibi id censeat, quod videat mul-  
tos moderate et tranquille tulisse.

Omnibus enim modis fulciendi sunt, qui  
ruunt, nec cohaerere possunt propter magnitudi-  
nem aegritudinis. Ex quo ipsam aegritudinem  
*λύπην* Chrysippus, quasi solutionem totius ho-  
minis appellatam putat. Quae tota poterit euelli,  
explicata, vt principio dixi, causa aegritudinis.  
Est enim nulla alia, nisi opinio et iudicium magni  
praesentis atque vrgentis mali. Itaque et dolor  
corporis, cuius est morsus acerrimus, perferetur  
spe proposita boni. Et acta aetas honeste ac  
splendide tantam affert consolationem, vt eos, qui  
ita vixerint, aut non tangat aegritudo, aut perle-  
viter pungat animi dolor.

---

28. Theophrastus autem moriens accu-  
sasse naturam dicitur, quod cervis et cornicibus  
vitam diuturnam, quorum id nihil interesset; ho-  
minibus, quorum maxime interfuisset, tam exiguam  
vitam dedisset: quorum si aetas potuisset esse lon-  
ginquior, futurum fuisse, vt, omnibus perfectis  
artibus, omni doctrina hominum vita erudiretur.

Querebatur igitur se tum, cum illa videre coepisset, exstingui.

---

29. Haec cum disputant, hoc student efficere, naturae obsisti nullo modo posse.

---

31. Erat enim in tumore animus, et omnis in eo tentabatur curatio. Sed sumendum tempus est non minus in animorum morbis, quam in corporum: vt Prometheus ille Aeschyli; cui cum dictum esset,

Atqui, Prometheus, te hoc tenere existimo,  
Mederi posse rationem iracundiae.

Respondit:

Si quidem qui tempestiuam medicinam ad-  
mouens  
Non ad graescens vulnus illidat manus.

---

32. Erit igitur in consolationibus prima medicina, docere aut nullum malum esse, aut admodum paruum: altera et de communi conditione vitae, et proprie, si quid sit de ipsius, qui moereat, disputandum: tertia, summam esse stultitiam, frustra confici moerore, cum intelligas, nihil posse profici.

---

33. Nimirum igitur, vt in causis non semper vtimur eodem statu; (sic enim appellamus controuersiarum genera) sed ad tempus, ad controuersiae

naturam, ad personam accommodamus: sic in aegritudine lenienda quam quisque curationem recipere possit videndum est. — Tractatum est autem a nobis id genus aegritudinis, quod vnum est omnium maximum, vt, eo sublato, reliquorum remedia ne magnopere quaerenda arbitraremur.

---

34. Vt medici, toto corpore curando, minimae etiam parti, si condoluit, medentur: sic philosophia, cum vniuersam aegritudinem sustulit.

Hoc detracto, quod totum est voluntarium, aegritudo erit sublata illa moerens: morsus tamen et contractiunculae quaedam animi relinquentur. Hanc dicant sane naturalem, dum aegritudinis nomen absit, graue, taetrum, funestum: quod cum sapientia esse, atque, vt ita dicam, habitare nullo modo possit. Atqui stirpēs sunt aegritudinis quam multae, quam amarae! quae, ipso trunco euerso, omnes elidendae sunt. — Sed ratio vna omnium est aegritudinum, plura nomina. — Hae sunt illae fibrae stirpium, quas initio dixi, praeseccandae et omnes elidendae, ne vlla vnquam possit existere. Magnum opus et difficile. Quis negat? Quid autem praeclarum, quod non idem arduum? Sed tamen id effecturam philosophia profitetur. Nos modo curationem eius recipiamus.

---

Cic. Tuscul. disp. IIII, de reliquis animi perturbationibus.

4. A. Non mihi videtur omni animi perturbatione posse sapiens vacare. M. Aegritudine quidem hesterna disputatione videbatur: nisi forte

temporis causa assentire. A. Minime vero. Nam mihi egregie probata est oratio tua. M. Non igitur existimas cadere in sapientem aegritudinem? A. Prorsus non arbitror. M. Atqui, si ista perturbare animum sapientis non potest, nulla poterit. Quid enim? Metusne conturbet? At earum rerum est absentium metus, quarum praesentium est aegritudo. Sublata igitur aegritudine, sublatus est metus. Restant duae perturbationes, laetitia gestiens et libido: quae si non cadent in sapientem, semper mens erit tranquilla sapientis. A. Sic prorsus intelligo.

---

5. Illa eorum perexigua oratio est, qua medeantur animis, nec eos turbulentos esse patiantur. — Quae Graeci *πάθη* vocant, nobis perturbationes appellari magis placet quam morbos.

---

6. Est igitur Zenonis haec definitio, ut perturbatio sit, quod *πάθος* ille dicit, auersa a recta ratione, contra naturam, animi commotio. Quidam brevius, perturbationem esse appetitum vehementiorem: sed vehementiorem eum volunt esse, qui longius discesserit a naturae constantia.

---

9. Omnium autem perturbationum fontem esse dicunt intemperantiam: quae est a tota mente et a recta ratione defectio, sic auersa a praescriptione rationis, ut nullo modo appetitiones animi nec regi nec contineri queant. Quemadmodum igitur temperantia sedat appetitiones et efficit, ut

hae rectae rationi pareant, conseruatque considerata iudicia mentis: sic huic inimica intemperantia omnem animi statum inflammat, conturbat, incitat. Itaque et aegritudines, et metus, et reliquae perturbationes omnes gignuntur ex ea.

---

10. Quemadmodum cum sanguis corruptus est, aut pituita redundat, aut bilis; in corpore morbi aegrotationesque nascuntur: sic prauarum opinionum conturbatio et ipsarum inter se repugnantia sanitate spoliat animum morbisque perturbat. Ex perturbationibus autem primum morbi conficiuntur, quae vocant illi νοσήματα, eaque, quae sunt eis morbis contraria: quae habent ad res certas vitiosam offensionem atque fastidium: deinde aegrotationes, quae appellantur a Stoicis ἀβρώσηματα, hisque item oppositae contrariae offensiones. Hoc loco nimium operae consumitur a Stoicis, maxime a Chrysippo, dum morbis corporum comparatur morborum animi similitudo. — Intelligatur igitur, perturbationem, iactantibus se opinionibus inconstanter et turbide, in motu esse semper. Cum autem hic feruor concitatioque animi inueterauerit, et tanquam in venis medullisque insederit, tum existit et morbus, et aegrotatio, et offensiones eae, quae sunt eis morbis aegrotationibusque contrariae.

---

11. Cum est concupita pecunia, nec adhibita continuo ratio, quasi quaedam Socratica medicina, quae sanaret eam cupiditatem: permanat in venas et inhaeret in visceribus illud malum exsi-

stitque morbus et aegrotatio: quae auelli inueterata non possunt: eique morbo nomen est auaritia. Similiterque ceteri morbi: vt gloriae cupiditas, vt mulierositas, vt ita appellem eam, quae Graece *Φιλογυνεία* dicitur, ceterique similiter morbi aegrotationesque nascuntur. Quae autem sunt his contraria, ea nasci putantur a metu, vt odium mulierum, quale in *μισογύνῳ* est, vt in hominum vniuersum genus, quod accepimus de Timone, qui *μισάνθρωπος* appellatur: vt inhospitalitas est. Quae omnes aegrotationes animi ex quodam metu nascuntur earum rerum, quas fugiunt et oderunt.

Definiunt autem animi aegrotationem, opinionationem vehementem de re non expetenda, tanquam valde expetenda sit, inhaerentem et penitus insitam. Quod autem nascitur ex offensione ita definiunt: opinionem vehementem de re non fugienda, inhaerentem et penitus insitam, tanquam fugienda. Haec autem opinatio est iudicare se scire, quod nesciat. Aegrotationi autem talia quaedam subiecta sunt: auaritia, ambitio, mulierositas, peruicacia, ligurritio, vinolentia, cupedia, et si qua similia. Est autem auaritia opinatio vehemens de pecunia, quasi petenda sit, inhaerens et penitus insita. Similisque est eiusdem generis definitio reliquarum. Offensionum autem definitiones sunt eiusmodi, vt inhospitalitas sit opinio vehemens, valde fugiendum esse hospitem, eaque inhaereus et penitus insita. Similiterque definitur et mulierum odium, vt Hippolyti et vt Timonis, generis humani.

12. Atque vt ad valetudinis similitudinem veniam, eaque collatione vtamur aliquando, sed parcius quam solent Stoici: vt sunt alii ad alios morbos procliuiiores: (itaque dicimus grauedinosos quosdam, quosdam torminosos, non quia iam (semper) sint, sed quia saepe sint:) alii ad metum, alii ad aliam perturbationem. Ex quo in aliis anxietas, vnde anxii; in aliis iracundia dicitur, quae ab ira differt, estque aliud iracundum esse, aliud iratum: vt differt anxietas ab angore. Neque enim omnes anxii, qui anguntur aliquando, nec qui anxii, semper anguntur: vt inter ebrietatem et ebriositatem interest: aliudque est amatorem esse, aliud amantem. Atque haec aliorum ad alios morbos procliuitas late patet. Nam pertinet ad omnes perturbationes. — Haec igitur procliuitas ad suum quodque genus, a similitudine corporis, aegrotatio dicitur, dum ea intelligatur ad aegrotandum procliuitas. Sed haec in bonis rebus, quod alii ad alia bona sunt aptiores, facilitas nominetur, in malis procliuitas, vt significet lapsionem: in neutris habeat superius nomen.

---

13. Quo modo autem in corpore est morbus, est aegrotatio et vitium; sic in animo. Morbum appellabant totius corporis corruptionem. Aegrotationem morbum cum imbecillitate: vitium, cum partes corporis inter se dissident. Ex quo prauitas membrorum, distortio, deformitas. Itaque illa duo, morbus et aegrotatio, ex totius valetudinis corporis conquassatione et perturbatione gignuntur: vitium autem, integra valetudine, ipsum ex se cernitur. — Vitia enim affectiones sunt ma-

nentes: perturbationes autem mouentes, vt non possint affectionum manentium partes esse. Atque vt in malis attingit animi naturam corporis similitudo, sic in bonis. Sunt enim in corpore praecipua, pulchritudo, vires, valetudo, firmitas, velocitas: sunt item in animo. Est enim corporis temperatio, cum ea congruunt inter se, e quibus constamus, **sanitas**. Sic animi dicitur, cum eius iudicia opinionesque concordant, eaque animi est virtus: quam alii ipsam temperantiam dicunt esse, alii obtemperantem temperantiae praeceptis, et eam subsequentem, nec habentem vllam speciem suam: sed siue hoc, siue illud sit, in solo esse sapiente. Est autem quaedam animi sanitas, quae in insipientem etiam cadat, cum curatione medicorum conturbatio mentis auferitur. Et, vt corporis est quaedam apta figura membrorum, cum coloris quadam suauitate, eaque dicitur **pulchritudo**: sic in animo, opinionum iudiciorumque aequabilitas et constantia, cum firmitate quadam et stabilitate virtutem subsequens, aut virtutis vim ipsam continens, pulchritudo vocatur. Itemque viribus corporis, et neruis, et efficacitati similes similibus verbis animi vires nominantur. Velocitas autem corporis celeritas appellatur: quae eadem ingenii etiam laus habetur propter animi multarum rerum breui tempore percursionem.

---

14. Illud animorum corporumque dissimile, quod animi valentes morbo tentari non possunt; corpora possunt. Sed corporum offensiones sine culpa accidere possunt, animorum non item. Quorum omnes morbi et perturbationes ex asperna-

tione rationis eueniunt. Itaque in hominibus solum existunt. Nam bestiae simile quiddam faciunt, sed in perturbationes non incidunt. Inter acutos autem et inter hebetes interest, quod ingeniosi, ut aes Corinthium in aeruginem, sic illi in morbum et incidunt tardius et recreantur ocyus; hebetes non item. Nec vero in omnem morbum ac perturbationem animus ingeniosi cadit. Non enim multa efferata et immania: quaedam autem humanitatis quoque habent primam speciem, ut misericordia, aegritudo, metus. Aegrotationes autem morbique animorum difficilius euelli posse putantur quam summa illa vitia, quae virtutibus sunt contraria. Morbis enim manentibus vitia sublata esse non possunt, quia non tam celeriter sanantur, quam illa tolluntur.

---

15. Ipsa virtus breuissime recta ratio dici potest. Huius igitur virtutis contraria est vitiositas. Sic enim malo quam malitiam appellare eam, quam Graeci κακία appellat. Nam malitia certi cuiusdam vitii nomen est; vitiositas omnium. Ex qua concitantur perturbationes, quae sunt, ut paullo ante diximus, turbidi animorum concitatieque motus, auersi a ratione et inimicissimi mentis vitaeque tranquillae. Important enim aegritudines anxias atque acerbis, animosque affligunt et debilitant metu. Idem inflammant appetitione nimia: quam tum cupiditatem, tum libidinem dicimus, impotentiam quandam animi, a temperantia et moderatione plurimum dissidentem. — Eorum igitur malorum in vna virtute posita sanatio est.

---

16. Quid autem est non miserius solum, sed foedius et deformius, quam aegritudine quis afflictus, debilitatus, iacens? Cui miseriae proximus est is, qui appropinquans aliquod malum metuit exanimatusque pendet animi. Quam vim mali significantes poëtae impendere apud inferos saxum Tantalo faciunt, Ob scelera animique impotentiam et superbiloquentiam. Ea communis poena stultitiae est. Omnibus enim, quorum mens abhorret a ratione, semper aliquid, aliis dolor, aliis terror impendet. Atque ut hae tabificae mentis perturbationes sunt, aegritudinem dico et metum: sic hilariores illae, cupiditas, auide semper aliquid expetens, et inanis alacritas, id est, laetitia gestiens, non multum differunt ab amentia. Ex quo intelligitur, qualis ille sit, quem tum moderatum, alias modestum, temperantem, alias constantem continentemque dicimus. Nonnunquam haec eadem vocabula ad frugalitatis nomen, tanquam ad caput, referre volumus. Quod nisi eo nomine virtutes continerentur, nunquam ita peruulgatum illud esset, ut iam prouerbii locum obtineret, hominem frugi omnia recte facere.

---

17. Ergo is, quisquis est, qui moderatione et constantia quietus animo est sibi ipse placatus, ut nec tabescat molestiis, nec frangatur timore, nec sitienter quid expetens ardeat desiderio, nec alacritate futili gestiens deliquescat, is est sapiens, quem quaerimus, is est beatus: cui nihil humanarum rerum aut intolerabile ad demittendum animum, aut nimis laetabile ad efferendum

videri potest. Quid enim videatur ei magnum in rebus humanis, cui aeternitas omnis totiusque mundi nota sit magnitudo? Nam quid aut in studiis humanis, aut in tam exigua breuitate vitae magnum sapienti videri potest, qui semper animo sic excubat, vt ei nihil improuisum accidere possit, nihil inopinatum, nihil omnino nouum?

Atque idem ita acrem in omnes partes aciem intendit, vt semper videat sedem sibi ac locum sine molestia atque angore viuendi, vt quemcunque casum fortuna inuexerit, hunc apte et quiete ferat. Quod qui faciet, non aegritudine solum vacabit, sed etiam perturbationibus reliquis omnibus. His autem vacuus animus perfecte atque absolute beatos efficit: idemque concitatus et abstractus ab integra certaue ratione non constantiam solum amittit, verum etiam sanitatem.

Quaeramus enim modum aegritudinis, in quo operae plurimum ponitur. — Quid si deinde dolores graues corporis, si bonorum amissio, si caecitas, si exsilium, si pro singulis malis aegritudines accederent? Summa ea fieret, quae non sustineretur.

---

18. Qui modum igitur vitio quaerit, similiter facit, vt si posse putet eum, qui se e Leucade praecipitauerit, sustinere se, cum velit. Vt enim id non potest: sic animus perturbatus et incitatus nec cohibere se potest, nec, quo loco vult, insistere omnino: quaeque crescentia perniciose sunt, eadem sunt vitiosa nascentia. Aegritudo autem ceteraque perturbationes amplificatae certe pestiferae sunt. Igitur etiam susceptae continuo

in magna pestis parte versantur. Etenim ipsae se impellunt, vbi semel a ratione discessum est: ipsaque sibi imbecillitas indulget, in altumque provehitur imprudens, nec reperit locum consistendi. Quamobrem nihil interest, vtrum moderatas perturbationes approbent, an moderatam iniustitiam, moderatam ignauiam, moderatam intemperantiam. Qui enim vitiis modum apponit, is partem suscipit vitiorum. Quod cum ipsum per se odiosum est, tum eo molestius, quia sunt in lubrico, incitataque semel proeliue labuntur sustinerique nullo modo possunt.

---

20. Haec tamen ita disputant, vt resecanda esse fateantur, euelli penitus dicant nec posse, nec opus esse: vt in omnibus fere rebus mediocritatem esse optimam existiment.

---

21. Quid est igitur, quod occurrat in hac quaestione, e qua possit attingi aliquid verisimile, quo longius mens humana progredi non potest? definitio perturbationis: qua recte Zenonem vsum puto. Ita enim definit, vt perturbatio sit aduersa ratione, contra naturam, animi commotio: vel breuius: vt perturbatio sit appetitus vehementior; vehementior autem intelligatur is, qui procul absit a naturae constantia.

---

25. Contemnendae res sunt humanae; negligenda mors est: patibiles et dolores et labores putandi. Haec cum constituta sint iudicio atque

sententia, tum est robusta illa et stabilis fortitudo: nisi forte quae vehementer, acriter, animose fiunt, iracunde fieri suspicamur. — An est quidquam similius insaniae quam ira? quam bene Ennius initium dixit insaniae? Color, vox, oculi, spiritus, impotentia dictorum atque factorum, quam partem habent sanitatis? Quid Achille Homérico foedius? quid Agamemnone in jurgio? Nam Aiacem quidem ira ad furorem mortemque perduxit. Non igitur desiderat fortitudo aduocatam iracundiam. Satis est instructa, armata, parata per sese. Nam isto modo quidem licet dicere, vtilem violentiam ad fortitudinem, vtilem etiam dementiam, quod et insani et ebrii multa faciunt saepe vehementius.

---

24. Quid? Stoici, qui omnes insipientes insanos esse dicunt, nonne ista colligunt? Remoue perturbationes, maximeque iracundiam: iam videbuntur monstra dicere. Nunc autem ita disserunt, sic se dicere, omnes stultos insanire, vt male olere omne coenum. At non semper. Commoue; senties. Sic iracundus non semper iratus est. Lacesse: iam videbis furentem. Quid? ista bellatrix iracundia, cum domum rediit, qualis est cum vxore? cum liberis? cum familia? an tum quoque est utilis? Est igitur aliquid, quod perturbata mens melius possit facere quam constans? An quisquam potest sine perturbatione mentis irasci? Bene igitur nostri, cum omnia essent in morbis vitia, quod nullum erat iracundia foedius, iracundos solos morbosos nominauerunt.

---

26. Cur misereare potius quam ferās opem, si id facere possis? An sine misericordia liberales esse non possumus? Non enim suscipere ipsi aegritudines propter alios debemus: sed alios, si possumus, leuare aegritudine. — Quis id approbare possit, aegritudinem suscipere pro experientia, si quid habere velis? Nam solum habere velle summa dementia est. Mediocritates autem malorum quis laudare recte possit? Quis enim potest, in quo libido cupiditasue sit, non libidinosus et cupidus esse? in quo ira, non iracundus? in quo angor, non anxius? in quo timor, non timidus? Libidinosum igitur, et cupidum, et iracundum, et anxium, et timidum censemus esse sapientem? de cuius excellentia multa quidem dici quamuis fuisse lateque possint: sed breuissime illo modo: sapientiam esse rerum diuinarum et humanarum scientiam cognitionemque, quae cuiusque rei causa sit. Ex quo efficitur, vt diuina imitetur, humana omnia inferiora virtute ducat. In hanc tu igitur, tanquam in mare, quod est ventis subiectum, perturbationem cadere tibi dixisti videri? Quid est, quod tantam grauitatem constantiamque perturbet? An improuisum aliquid aut repentinum? Quid potest accidere tale, et cui nihil quod homini euenire possit? Nam quod aiunt nimia resecari oportere, naturalia relinqui: quid tandem potest esse naturale, quod idem nimium esse possit? Sunt enim omnia ista ex errorum orta radicibus. Quae euellenda et extrahenda penitus, non circumcidenda nec amputanda sunt.

---

27. Sed — videamus, quanta sint, quae a philosophia remedia morbis animorum adhibe-

antur. Est enim quaedam medicina certe: nec tam fuit hominum generi infensa atque inimica natura, ut corporibus tot res salutare, animis nullam inuenerit. De quibus hoc etiam est merita melius, quod corporum adiumenta adhibenter extrinsecus, animorum salus inclusa in his ipsis est. Earum igitur perturbationum, quas exposui, variae sunt curationes. Nam neque omnis aegritudo vna ratione sedatur. Alia est enim lugenti, alia miseranti, alia inuidenti adhibenda medicina.

---

28. Verumtamen haec est certa et propria sanatio, si doceas, ipsas perturbationes per se esse vitiosas, nec habere quidquam aut naturale, aut necessarium: ut ipsam aegritudinem leniri videmus, cum obiicimus moerentibus imbecillitatem animi effoeminati, cumque eorum grauitatem constantiamque laudamus, qui non turbulente humana patiantur; quod quidem solet eis etiam accidere, qui illa mala esse ceusent, ferenda tamen aequo animo arbitrantur.

Quaedam autem sunt aegritudines quas levare illa medicina nullo modo possit: ut si quis aegre ferat, nihil in se esse virtutis, nihil animi, nihil officii, nihil honestatis: propter mala is quidem angatur, sed alia quaedam sit ad eum admovenda curatio, et talis quidem, quae possit esse omnium, etiam de ceteris rebus discrepantium, philosophorum. Inter omnes enim conuenire oportet, commotiones animorum, a recta ratione auersas, esse vitiosas, ut, etiamsi nec mala sint illa, quae metum aegritudinemue; nec bona, quae cupiditatem laetitiamue moueant, ta-

men sit viliosa ipsa commotio. Constantem enim quendam volumus, sedatum, grauem, humana omnia prementem (spernentem), illum esse, quem magnanimum, et fortem virum dicimus. Talis autem nec moerens, nec timens, nec cupiens, nec gestiens esse quisquam potest. Eorum enim haec sunt, qui euentus humanos superiores quam suos animos esse ducunt.

---

29. Quare omnium philosophorum, ut ante dixi, vna ratio est medendi, ut nihil, quale sid illud, quod perturbat animum, sed de ipsa sit perturbatione dicendum. Itaque primum in ipsa cupiditate, cum id solum agitur, ut ea tollatur, non est, quaerendum, bonum illud nec ne sit, quod libidinem moueat; sed libido ipsa tollenda est. — Est autem utilis ad persuadendum, ea, quae acciderunt, ferri et posse et oportere, enumeratio eorum, qui tulerunt. Etsi aegritudinis sedatio et hesternae disputatione explicata est, et in consolationis libro, quem in medio (non enim sapientes eramus) moerore et dolore conscripsimus: quodque vetat Chrysippus, ad recentes quasi tumores animi remedium adhibere, id nos fecimus naturaeque vim attulimus, ut magnitudini medicinae doloris magnitudo concederet.

---

30. Sed aegritudini, de qua satis est disputatum, finitimus est metus. De quo pauca dicenda sunt. Est enim metus, ut aegritudo praesentis, sic ille futuri mali. Itaque nonnulli aegritudinis partem quandam metum esse dicebant. Aiii

autem metum praemolestiam appellabant, quod est quasi dux consequentis molestiae. Quibus igitur rationibus instantia feruntur, eisdem contemnuntur sequentia. Nam videndum est in virisque, ne quid humile, summissum, molle, effocinatum, fractum abiectumque faciamus. Sed quanquam de ipsius metus inconstantia, imbecillitate, leuitate dicendum est, tamen multum prod est, ea, quae metuuntur, ipsa contemnere. Itaque, siue casu accidit, siue consilio, percommode factum est, quod eis de rebus, quae maxime metuuntur, de morte et de dolore, primo et proximo die disputatum est. Quae si probata sunt, metu magna ex parte liberati sumus.

---

31. Atque hoc quidem commune malorum et bonorum: vt, si iam difficile sit, persuadere, nihil earum rerum, quae perturbent animum, aut in bonis, aut in malis esse habendum; tamen alia ad alium motum curatio sit adhihenda, aliaque ratione maleuolus, alia amator, alia rursus anxius, alia timidus corrigendus.

---

32. Et vt turpes sunt, qui efferunt se laetitia tum, cum fruuntur venereis voluptatibus: sic flagitiosi, qui eas inflammato animo concupiscunt. Totus vero iste, qui vulgo appellatur amor, (nec, hercule, inuenio, quo nomine alio possit appellari) tantae leuitatis est, vt nihil videam, quod putem conferendum.

---

35. Sic igitur affecto haec adhibenda curatio est, ut et illud, quod cupiat, ostendat quam leue, quam contemnendum, quam nihil sit omnino, quam facile vel aliunde, vel alio modo perfici, vel omnino negligi possit. Abducendus est etiam nunquam ad alia studia, sollicitudines, curas, negotia. Loci denique mutatione, tanquam aegroti non conualescentes, saepe curandus est.

Etiam nouo quodam amore veterem amorem tanquam clauo clauum eiciendum putant. Maxime autem admonendus, quantus sit furor amoris. Omnibus enim ex animi perturbationibus est profecto nulla vehementior: ut, si iam ipsa illa accusare nolis, stupra dico, et corruptelas, et adulteria, incesta denique, quorum omnium accusabilis est turpitude: sed ut haec omittas, perturbatio ipsa mentis in amore foeda per se est. Nam ut illa praeteream, quae sunt furoris, haec ipsa per sese quam habent leuitatem, quae videntur esse mediocria? — iniuriae, suspiciones, inimicitiae, induciae, bellum, pax rursus. Incerta haec si tu postules ratione certa facere, nihilo plus agas, quam si des operam, ut cum ratione insanias. Haec inconstantia mutabilitasque mentis, quem non ipsa prauitate deterreat? Est enim illud, quod in omni perturbatione dicitur, demonstrandum, nullam esse nisi opinabilem, nisi iudicio susceptam, nisi voluntariam. Etenim si naturalis amor esset: et amarent omnes, et semper amarent, et idem amarent, neque alium pudor, alium cogitatio, alium satietas deterreret.

---

36. His aut subtrahendi sunt ei, in quos impetum conantur facere, dum se ipsi colligant (quid est autem se ipsum colligere, nisi dissipatas animi partes rursus in suum locum cogerē?) aut rogandi orandique sunt, ut, si quam habent ulciscendi vim, differant in tempus aliud, dum deferuescat ira. Deferuescere autem certe significat ardorem animi inuita ratione excitatum. Ex quo illud laudatur Archytæ: qui cum villico factus esset iratior, quo te modo, inquit, accepissem, nisi iratus essem?

---

37. Vbi sunt ergo isti, qui iracundiam vtilem dicunt? (Potest utilis esse insania?) aut naturalem? An quidquam esse potest secundum naturam, quod sit repugnante ratione? Quo modo autem, si naturalis esset ira, aut alius alio magis iracundus esset, aut finem haberet prius quam esset vltima ulciscendi libido: aut quenquam poeniteret, quod fecisset per iram? Ut Alexandrum regem videmus, qui cum interemisset Clitum, familiarem suum, vix a se manus abstinuit. Tanta vis fuit poenitendi. Quibus cognitis, quis est, qui dubitet, quin hic quoque motus animi sit totus opinabilis ac voluntarius? Quis enim dubitarit, quin aegrotationes animi, qualis est auaritia, gloriae cupiditas, ex eo, quod magni aestimetur ea res, ex qua animus aegrotat, oriantur? Vnde intelligi debet, perturbationem quoque omnem esse in opinione.

Qui autem natura dicuntur iracundi, aut misericordes, aut inuidi, aut tale quid, ii sunt constituti, quasi mala valetudine animi, sanabiles ta-

men. Vt Socrates dicitur, cum multa in conuentu vitia collegisset in eum Zopyrus, qui se naturam cuiusque ex forma perspicere profitebatur, derisus est a ceteris, qui illa in Socrate vitia non agnoscerent: ab ipso autem Socrate subleuatus, cum illa sibi signa, sed ratione a se deiecta diceret.

Ergo vt optima quisque valetudine affectus potest videri, vt natura ad aliquem morbum procliuior: sic animus alius ad alia vitia propensior. Qui autem non natura, sed culpa vitiosi esse dicuntur, eorum vitia constant e falsis opinionibus rerum bonarum ac malarum, vt sit alius ad alios motus perturbationesque procliuior. Inueteratio autem vt in corporibus aegrius depellitur quam perturbatio: citiusque repentinus oculorum tumor sanatur, quam diuturna lippitudo depellitur.

---

38. Morte enim contempta et dolore ad patiendum leuato adiunximus sedationem aegritudinis: qua nullum homini malum maius est. Etsi enim omnis animi perturbatio grauis est, nec multum differt ab amentia, tamen ita ceteros, cum sint in aliqua perturbatione aut metus, aut laetitiae, aut cupiditatis, commotos modo et perturbatos dicere solemus: at eos, qui se aegritudini dediderunt, miseros, afflictos, aerumnosos, calamitosos. — Sed et aegritudinis et reliquorum animi morborum vna sanatio est: omnes opinabiles esse et voluntarios, eaque re suscipi, quod ita rectum esse videatur. Hunc errorem, quasi radicem malorum omnium, stirpitis philosophia se extracturam pollicetur.

Demus ergo nos huic excolendos, patiamurque nos sanari. His enim malis insidentibus non modo beati, sed ne sani quidem esse possumus. Aut igitur negemus quidquam ratione confici, cum contra nihil sine ratione recte fieri possit: aut cum philosophia ex rationum collatione constet, ab ea, si et boni et beati volumus esse, omnia adiumenta et auxilia petamus bene beateque viuendi.

Cic. Tuscul. disp. V, virtutem ad beate viuendum se ipsa esse contentam.

1. Equidem eos casus, in quibus me fortuna vehementer exercuit, mecum ipse considerans, huic incipio sententiae diffidere: interdum et humani generis imbecillitatem fragilitatemque extimescere. Vereor enim, ne natura, cum corpora nobis infirma dedisset, iisque et morbos insanabiles et dolores intolerabiles adiunxisset, animos quoque dederit et corporum doloribus congruentes, et separatim suis angoribus et molestiis implicatos.

6. Quis enim potest, mortem aut dolorem metuens, quorum alterum saepe adest, alterum semper impendit, esse non miser? Quid, si idem (quod plerumque fit) paupertatem, ignominiam, infamiam timet: si debilitatem, coecitatem: si denique, quod non singulis hominibus, sed potenti- bus populis saepe contingit, seruitutem: potest ea timens esse quisquam beatus?

omph. Quid vero illum, quem libidinibus inflamma-  
tum et furentem videmus, omnia rabide appeten-  
tem cum inexplebili cupiditate, quoque affluen-  
tius voluptates vndique hauriat, eo grauius ar-  
dentiusque sitientem, nonne recte miserrimum di-  
xeris? Quid elatus ille leuitate inanique laetitia  
exsultans et temere gestiens, nonne tanto mise-  
rior, quanto sibi videtur beatior? Ergo, vt hi  
miseri, sic contra illi beati, quos nulli metus ter-  
rent, nullae aegritudines exedunt, nullae libidi-  
nes incitant, nullae futiles laetitiae exsultantes  
languidis liquefaciunt voluptatibus. Vt maris igi-  
tur tranquillitas intelligitur, nulla ne minima qui-  
dem aura fluctus commouente: sic animi quietus  
et placatus status cernitur, cum perturbatio nulla  
est, qua moueri queat.

---

12. Nam cui viro, inquit, ex se ipso apta  
sunt omnia, quae ad beate viuendum ferunt (con-  
ferunt), nec suspensa aliorum aut bono casu, aut  
contrario pendere ex alterius euentis et errare co-  
guntur: huic optime viuendi ratio comparata  
est. Hic est ille moderatus, hic fortis, hic sa-  
piens, hic, et nascentibus, et cadentibus cum re-  
liquis commodis, tum maxime liberis parebit et  
obediēt praecepto illi veteri: Neque enim laeta-  
bitur vnquam, nec moerebit nimis; quod  
semper in se ipso omnem spem reponet sui.

---

13. Vnde igitur rectius ordiri possumus quam  
a communi parente natura? quae quidquid genuit,  
non modo animal, sed etiam quod ita ortum esset

e terra, ut stirpibus suis niteretur, in suo quodque genere perfectum esse voluit. Itaque et arbores, et vites, et ea, quae sunt humiliora, neque se tollere a terra altius possunt; alia semper virent, alia hieme nudata, verno tempore tepefacta (partefacta) frondescunt: neque est vllum, quod non ita vigeat interiore quodam motu, et suis in quoque seminibus inclusis, ut aut flores, aut fruges fundat; aut baccas, omniaque in omnibus, quantum in ipsis sit, nulla vi impediante, perfecta sint.

Facilius vero etiam in bestiis, quod his sensus a natura est datus, vis ipsius naturae perspici potest. Namque alias bestias nantes aquarum incolas esse voluit, alias, volucres, coelo frui libero; serpentes quasdam, quasdam esse gradientes. Earum ipsarum partim soliuagas, partim congregatas; immanes alias, quasdam autem cicures; nonnullas abditas terraque tectas. Atque earum quaeque suum tenens munus, cum in disparis animantis vitam transire non possit, manet in lege naturae. Et ut bestis aliud alii praecipui a natura datum est, quod suum quaeque retinet, nec discedit ab eo; sic homini multo quiddam praestantius: etsi praestantia debent ea dici, quae habent aliquam comparationem. **HUMANUS** autem animus, decerptus ex mente diuina, cum alio nullo, nisi cum ipso deo, si hoc fas est dictu, comparari potest.

Hic igitur si est excultus, et si eius acies ita curata est, ut ne caecetur erroribus, fit perfecta mens, id est, absoluta ratio: quod est idem virtus. Et, si omne beatum est, cui nihil deest, et quod in suo genere expletum atque cumulatam

est, idque virtutis est proprium: certe omnes virtutis compotes beati sunt.

---

14. Volumus enim, eum, qui beatus sit, tutum esse, inexpugnabilem, septum atque munitum, non vt paruo metu praeditus sit, sed vt nullo. Vt enim innocens is dicitur, non qui leuiter nocet, sed qui nihil nocet; sic sine metu is habendus est, non qui parua metuit, sed qui omnino metu vacat. Quae est enim alia fortitudo, nisi animi affectio cum in adeundo periculo et in labore ac dolore patiens, tum procul ab omni metu?

Qui autem illam maxime optatam et expeditam securitatem (securitatem autem nunc appello, vacuitatem aegritudinis, in qua vita beata posita est) habere quisquam potest, cui aut adsit, aut adesse possit multitudo malorum? Qui autem poterit esse celsus, et rectus, et ea, quae homini accidere possunt, omnia parua ducens, qualem sapientem esse volumus, nisi omnia sibi (bona sibi) in se posita censebit? An Lacedaemonii Philippo minitanti per litteras, se omnia, quae conarentur, prohibitorum, quaesiuerunt, num se esset etiam mori prohibitorum; vir is, quem quaerimus, non multo facilius tali animo reperietur quam ciuitas vniuersa? Quid ad hanc fortitudinem, de qua loquimur, temperantia adiuncta, quae sit moderatrix omnium commotionum? Quid potest ad beate viuendum deesse ei, quem fortitudo ab aegritudine et a metu vindicet: temperantia tum a libidine auocet, tum insolenti alacritate gestire non sinat?

---

15. An dubitas, quin praestans valetudine, viribus, forma, acerrimis integerrimisque sensibus, adde etiam, si libet, pernecitatem et velocitatem, da divitias, honores, imperia, opes, gloriam: si fuerit is, qui haec habet, iniustus, intemperans, timidus, hebeti ingenio atque nullo: dubitabisne eum miserum dicere? Qualia igitur ista bona sunt, quae, qui habeat, miserrimus esse possit? Videamus, ne, ut aceruus ex sui generis granis, sic beata vita ex sui similibus partibus effici debeat. Quod si ita est, ex bonis, quae sola honesta sunt, efficiendum est beatum.

---

16. Haec, quae sunt minima, tamen bona dicantur necesse est: candiduli dentes, venusti oculi, color suavis, et ea, quae Anticlea laudat Vlyssi pedes abluens, lenitudo orationis, mollitudo corporis. — Sic enim princeps ille philosophiae disserebat: qualis cuiusque animi affectus esset, talem esse hominem: qualis autem ipse homo esset, talem eius esse orationem: orationi autem facta similia, factis vitam. — Vir igitur temperatus, constans, sine metu, sine aegritudine, sine alacritate vlla, sine libidine, nonne beatus? At semper sapiens talis: semper igitur beatus.

---

17. Quo loco quaero, quam vim habeat libra illa Critolai: qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa; tantum propendere illam boni lancem putet, ut terram et maria deprimat.

---

18. Nam in quem cadit aegritudo, in eundem metum cadere necesse est. Est enim metus futurae aegritudinis sollicita expectatio. In quem autem metus, in eundem formido, timiditas, pauor, ignauia.

---

20. Atqui de hoc homine (tyranno Syracusanorum, **Dionysio**) a bonis auctoribus sic scriptum accepimus, summam fuisse eius in victu temperantiam, in rebusque gerendis virum acrem et industrium, eundem tamen maleficum natura et iniustum. Ex quo omnibus, bene veritatem intuentibus, videri necesse est miserrimum. Ea enim ipsa quae concupierat, ne tum quidem, cum omnia se posse censebat, consequebatur. — Ita propter iniustam dominatus cupiditatem in carcerem quodammodo ipse se incluserat. Quin etiam, ne tonsori collum committeret, torquere filias suas docuit. Ita sordido ancillarique artificio regiae virgines, ut tonstriculae, tondebant barbam et capillum patris. Et tamen ab iis ipsis, cum iam essent adultae, ferrum remouit instituitque, ut candentibus iuglandium putaminibus barbam sibi et capillum adurent. —

---

21. Satisne videtur declarasse **Dionysius**, nihil esse ei beatum, cui semper aliquid terroris impendat? Atque ei ne integrum quidem erat, ut ad iustitiam remigraret, ciuibus libertatem et iura redderet. Iis enim se adolescens improuida aetate irretierat erratis, eaque commiserat, ut saluus esse non posset, si sanus esse coepisset.

---

26. Nec vero illa sibi remedia comparauit ad tolerandum dolorem, firmitatem animi, turpitudinis verecundiam, exercitationem consuetudinemque patiendi, praecepta fortitudinis, duritiem virilem: sed vna se dicit recordatione acquiescere praeteritarum voluptatum: vt si quis aestuans, cum vim caloris non facile patiat, recordari velit, se aliquando in Arpinati nostro gelidis fluminibus circumfusum fuisse. Non enim video quo modo sedare possint mala praesentia praeteritae voluptates.

---

27. Dolor esse videtur acerrimus virtuti aduersarius. Is ardentem faciem intentat: is fortitudinem, magnitudinem animi, patientiam se debilitaturum (debellaturum) minatur. Huic igitur succumbet virtus? Huic beata sapientis et constantis viri vita cedit? Quam turpe? o dii boni! Pueri Spartiatae non ingemiscunt verberum dolore laniati. Adolescentium greges Lacedaemone vidimus ipsi incredibili contentione certantes pugnis, calcibus, vnguibus, morsu denique vt exanimarentur, priusquam se victos faterentur. Quae barbaria India vastior aut agrestior? In ea tamen gente primum ii, qui sapientes habentur, nudi aetatem agunt, et Caucasi niues hiemalemque vim perferunt sine dolore: cumque ad flammam se applicauerint (applicuerunt), sine gemitu aduruntur. Mulieres vero in India, cum est cuiusuis earum vir mortuus, in certamen iudiciumque veniunt, quam plurimum ille dilexerit. Plures enim singulis solent esse nuptae. Quae est victrix, ea laeta, prosequentibus suis, vna cum viro in rogam imponitur: illa victa moesta discedit. Nunquam naturam

mos vinceret. Est enim ea semper inuicta. Sed nos umbris, deliciis, otio, languore, desidia animum infecimus: opinionibus maloque more delinitum molliuimus. Aegyptiorum morem quis ignorat? Quorum imbutae mentes prauitatis erroribus, quamuis carnificinam prius subierint, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent: quorum etiam si imprudentes quippiam fecerint, poenam nullam recusent.

De hominibus loquor. Quid bestiae? non frigus, non famem, non montiuagos atque siluestres cursus lustrationesque patiuntur? non pro suo partu ita propugnant, ut vulnera excipiant? nullos impetus, nullos ictus reformident? Omitto, quae perferant quaeque patiantur ambitiosi, honoris causa; laudis studiosi, gloriae gratia: amore incensi, cupiditatis. Plena vita exemplorum est.

---

51. Quis enim parum est contra mortem aut dolorem paratus? Ordiamur ab eo, si placeat, quem mollem, quem voluptarium dicimus. Quid? is tibi mortemne videtur an dolorem timere? qui eum diem, quo moritur, beatum appellat, maximisque doloribus affectus, eos ipsos inuentorum suorum memoria et recordatione confutat: nec haec sic agit, ut ex tempore quasi effutire videatur. De morte enim ista sentit, ut, dissoluto animante, sensum extinctum putet; quod autem sensu careat, nihil ad nos id iudicet pertinere. Item de dolore certa habet, quae sequatur? quorum magnitudinem breuitate consolatur, longinquitatem lenitate.

---

53. Quocirca corpus gaudere tam diu, dum praesentem sentiret voluptatem, animum et praesentem percipere pariter cum corpore, et prospicere venientem, nec praeteritam praeterfluere sinere. Ita perpetuas et contextas voluptates in sapiente fore semper, cum expectatio speratarum voluptatum perceptarum memoria iungeretur. Atque iis similia ad victum etiam transferuntur, extenuanturque magnificentia et sumptus epularum, quod paruo cultu natura contenta sit.

---

54. Etenim quis hoc non videt, desiderii ista condiri omnia? Darius in fuga, cum aquam turbidam et cadaueribus inquinatam bibisset, negavit vnquam se bibisse iucundius. Nunquam videlicet sitiens biberat. Nec esuriens Ptolemaeus ederat; cui cum peragranti Aegyptum, comitibus non consecutis, cibarius in casa panis datus esset, nihil visum est illo pane iucundius. Socratem ferunt, cum vsque ad vesperum contentius ambularet, quaesitumque esset ex eo, quare id faceret: respondisse, se, quo melius coenaret, obsonare ambulando famem. Quid? victum Lacedaemoniorum in phiditiis (philitiis) nonne videmus? vbi cum tyrannus coenauisset Dionysius, negavit se iure illo nigro, quod coenae caput erat, delectatum. Tum is, qui illa coxerat; minime mirum, condimenta enim defuerunt. Quae tandem inquit ille? Labor in venatu, sudor, cursus ab Eurota, famés, sitis. His enim rebus Lacedaemoniorum epulae condiuntur. Atque hoc non ex hominum more solum, sed etiam ex bestiis intelligi potest, quae, vt quidquid obiectum est, quod mo-

do natura non sit alienum, eo contentae non quaerunt amplius.

Ciuitates quaedam vniuersae, more doctae, parsimonia delectantur, vt de Lacedaemoniis paulo ante diximus. Persarum a Xenophonte victus exponitur: quos negat ad panem adhibere quidquam, praeter nasturtium. Quanquam, si quaedam etiam suauiora natura desideret, quam multa ex terra arboribusque gignuntur cum copia facili (facilia), tum suauitate praestantia? Adde siccitatem, quae consequitur hanc continentiam in victu. Adde integritatem valetudinis. Confer sudantes, ructantes, refertos epulis, tanquam opimos boues: tum intelliges, qui voluptatem maxime sequantur, eos minime consequi; iucunditatemque victus esse in desiderio, non in satietate.

---

35. Timotheum, clarum hominem Athenis et principem ciuitatis, ferunt, cum coenauisset apud Platonem, eoque conuiuio admodum delectatus esset, vidissetque eum postridie, dixisse: vestrae quidem coenae non solum in praesentia (praesenti), sed etiam postero die iucundae sunt. Quid, quod ne mente quidem recte vti possumus, multo cibo et potione completi? Est praeclara epistola Platonis ad Dionis propinquos, in qua scriptum est his fere verbis: Quo cum venissem, vita illa beata, quae ferebatur, plena Italicarum Syracusiarumque mensarum, nullo modo mihi placuit, bis in die saturum fieri, nec vnquam pernoctare solum; ceteraque quae comitantur huic vitae, in qua sapiens nemo efficietur vnquam, mo-

deratus vero multo minus. Quae enim natura tam mirabiliter temperari potest? quomodo igitur iucunda vita potest esse, a qua absit prudentia? absit moderatio? ex quo Sardanapali, opulentissimi Syriae regis error agnoscitur, qui incidi iussit in busto:

Haec habeo, quae edi, quaeque exsaturata  
libido

Hausit: at illa iacent multa et praeclara  
relicta.

Quid aliud, inquit Aristoteles, in bouis, non in regis sepulcro inscriberes? Haec habere se mortuum dicit, quae ne viuis quidem diutius habebat quam fruebatur. — Aperta enim res est, et quotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus.

---

36. Quantis igitur molestiis vacant, qui nihil omnino cum populo contrahunt? Quid est enim dulcius otio litterato? iis dico litteris, quibus infinitatem rerum atque naturae, et in hoc ipso mundo coelum, terras, maria cognoscimus

---

37. Postremo ad omnes casus facillima ratio est eorum, qui ad voluptatem ea referunt, quae sequuntur in vita, ut, quocumque haec loco suppetetur, ibi beate queant vivere. Itaque ad omnem rationem Teuceri vox accommodari potest: Patria est, ubicumque est bene. Socrates quidem cum rogaretur, cuiatem se esse diceret,

Mundanum, inquit. Totius enim mundi se incolam et ciuem arbitrabatur.

---

38. Iam vero motus animi, sollicitudines, aegritudinesque obliuione leniuntur, traductis animis ad voluptatem. Non sine causa igitur Epicurus ausus est dicere, semper in pluribus bonis esse sapientem, quia semper sit in voluptatibus. Ex quo effici putat ille, quod quaerimus, vt sapiens semper beatus sit. Etiamne, si sensibus carebit oculorum, si aurium? Etiam. Nam ista ipsa contemnit. Primum enim, horribilis ista caecitas quibus tandem caret voluptatibus? Cum quidem etiam disputent, ceteras voluptates in ipsis habitare sensibus: quae autem adspectu percipiantur, ea non versari in oculorum vlla iucunditate: vt ea, quae gustemus, olfaciamus, tractemus, (palpemus) audiamus, in ea ipsa, vbi sentimus, parte versentur, in oculis tale nihil fit. Animus accipit quae videmus. Animo autem multis modis variisque delectari licet, etiam si non adhibeatur adspectus. Loquor enim de docto homine et erudito, cui viuere est, cogitare. Sapientis autem cogitatio non ferme ad inuestigandum adhibet oculos aduocatos. Etenim si nox non adimit vitam beatam, cur dies nocti similis adimat? Nam illud Antipatri Cyrenaici est quidem paullo obscoenius, sed non absurda sententia est: cuius caecitatem cum mulierculae lamentarentur, quid agitis? inquit; an vobis nulla videtur voluptas esse nocturna?

---

59. Democritus, luminibus amissis, alba scilicet et atra discernere non poterat: at vero bo-

na, mala, aequa, iniqua, honesta, turpia, vtilia, inutilia, magna, parua, poterat: et sine varietate colorum licebat viuere beate; sine notione rerum non licebat. Atque hic vir impediri animi etiam aciem adspectu oculorum arbitrabatur: et, cum alii saepe, quod ante pedes esset, non viderent, ille infinitatem omnem peregrinabatur, vt nulla in extremitate consisteret. Traditum est etiam Homerum caecum fuisse. At eius picturam, non poësin, videmus. Quae regio, quae ora, qui locus Graeciae, quae species formae, quae pugna, quae acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum, non ita expictus est, vt, quae ipse non viderit, nos vt videremus, effecerit? Quid ergo aut Homero ad delectationem animi ac voluptatem, aut cuiquam docto defuisse vnquam arbitramur?

40. In surditate vero quidnam est mali? Erat surdaster M. Crassus: sed aliud molestius, quod male audiebat, etiam si, vt mihi videbatur, iniuria. Epicurei nostri graece fere (fari) nesciunt, nec Graeci latine. Ergo hi in illorum et illi in horum sermone surdi: omnesque id nos in iis linguis, quas non intelligimus, quae sunt innumera-biles, surdi profecto sumus. At vocem citharoedi non audiunt: ne stridorem quidem serrae (ferri) tum, cum acuitur: aut grunnitum, cum iugulatur sus: nec, cum quiescere volunt, fremitum mur-murantis maris. Et, si cantus eos forte delectant, primum cogitare debent, antequam hi sint inuenti, multos beate vixisse sapientes. Deinde multo maiorem percipi posse legendis his quam audiendis voluptatem. Tum, vt paullo ante caecos ad au-

riam traducebamus voluptatem, sic licet surdos ad oculorum. Etenim qui secum loqui poterit, sermonem alterius non requiret. Congerantur in vnum omnia, vt idem oculis et auribus captus sit: prematur etiam doloribus acerrimis corporis? qui primum per se ipsi plerumque conficiunt hominem: sin forte longinquitate producti vehementius tamen torquent, quam vt causa sit, cur ferantur: quid est tandem, dii boni! quod laboremus? Por-tus enim praesto est, quoniam mors ibidem est, aeternum nihil sentienti receptaculum. Theodo-rus Lysimacho mortem minitanti: magnum vero, inquit, effecisti, si cantharidis vim consecutus es. — Multa primo die, cum de ipsa morte quae-reremus, non pauca etiam postero, cum ageretur de dolore, sunt dicta de morte: quae qui recorde-tur, haud sane periculum est, ne non mortem aut optandam, aut certe non timendam putet.

41. Mihi quidem in vita seruanda videtur illa lex, quae in Graecorum conuiujs obtinetur: Aut bibat, inquit, aut abeat. Et recte. Aut enim fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi: aut, ne sobrius in violentiam vinolentorum incidat, ante discedat: sic iniurias fortunae, quas ferre nequeas, defugiendo relinquant. — Alii autem haec ne bona quidem ducunt; in animo reponunt omnia. Quorum controuersiam solebat tanquam honorarius arbiter iudicare Carneades. — In quo quantum ceteris profuturi sumus non facile dixerimus: nostris quidem acerbissimis doloribus variisque et vndique circumfuis molestiis alia nulla potuit inueniri leuatio.

Cic. de Nat. Deor. I, 8. Quibus enim oculis animi intueri potuit vester Plato fabricam illam tanti operis, qua construi a deo atque aedificari mundum facit? quae molitio? quae ferramenta? qui vectes? quae machinae? qui ministri tanti muneris fuerunt? Quemadmodum autem obedire et parere voluntati architecti aër, ignis, aqua, terra potuerunt? Vnde vero ortae illae quinque formae, ex quibus reliqua formantur, apte cadentes ad animum efficiendum pariendosque sensus? Longum est omnia; quae talia sunt, vt optata magis quam inuenta videantur. Sed illa palmaris quidem, quod, qui non modo natum mundum introduxerit, sed etiam manu paene factum, is cum dixerit fore sempiternum. Hunc censes primis, vt dicitur, labris gustasse physiologiam, qui quidquam, quod ortum sit, putet aeternum esse posse? Quae est enim coagmentatio non dissolubilis? Aut quid est, cuius principium aliquod sit, nihil sit extremum?

---

18. Nam cum praestantissimam naturam, vel quia beata est, vel quia sempiterna, conuenire videatur eandem esse pulcherrimam, quae compositio membrorum, quae conformatio lineamentorum, quae figura, quae species, humana, potest esse pulchrior? Vos quidem, Lucili, soletis (nam Cotta meus modo hoc, modo illud) cum artificium effingitis, fabricamque diuinam, quam sint omnia in hominis figura non modo ad vsum, verum etiam ad venustatem apta, describere. Quod si omnium animantium formam vincit hominis figura, deus autem animans est: ea figura profecto est, quae

pulcherrima sit omnium: quoniamque deos beatissimos esse constat, beatus autem esse sine virtute nemo potest, nec virtus sine ratione constare, nec ratio vsquam inesse, nisi in hominis figura: hominis esse specie deos confitendum est. Nec tamen ea species corpus est, sed quasi corpus, nec habet sanguinem, sed quasi sanguinem.

---

21. Nec ego nunc ipse aliquid afferam melius. Vt enim modo dixi, omnibus fere in rebus, et maxime in physicis, quid non sit citius quam quid sit dixerim.

---

25. Omnes sensus veri nuntios dixit (Epicurus) esse.

---

27. Accessit etiam ista opinio fortasse, quod homini homine nihil pulchrius videatur. Sed tu hoc, physice, non vides, quam blanda conciliatrix, et quasi sui sit lena natura? An putas vllam esse terra marique beluam, quae non sui generis belua maxime delectetur? quod ni ita esset, cur non gestiret taurus equae contrectatione, equus vaccae? An tu aquilam, aut leonem, aut delphinum vllam anteferre censes figuram suae? Quid igitur mirum, si hoc eodem modo homini natura praescripsit, vt nihil pulchrius quam hominem putaret, eam esse causam, cur deos hominum similes putaremus? Quid censes, si ratio esset in beluis? non suo quasque generi plurimum tributuras fuisse.

---

28. Est enim vis tanta naturae, vt homo nemo velit nisi hominis similis esse.

---

30. Non pudet igitur physicum, id est, speculatorem venatoremque naturae, ab animis consuetudine imbutis, petere testimonium veritatis?

---

31. Nunquam vidi, inquit, (Epicurus) animam rationis consiliique participem in vlla alia nisi humana figura.

---

32. Nec vero intelligo, cur maluerit Epicurus deos hominum similes dicere quam homines deorum. Quaeres, quid intersit. Si enim hoc illi simile sit, esse illud huic video. Sed hoc dico, non ab hominibus formae figuram venisse ad deos. Dii enim semper fuerunt, et nati nunquam sunt, si quidem aeterni sunt futuri. At homines nati. Ante igitur humana forma quam homines, ea, qua erant forma dii immortales. Non ergo illorum humana forma sed nostra diuina dicenda est.

---

33. Omnesne tibi illi delirare visi sunt, qui sine manibus et pedibus constare deum posse decreuerunt? Ne hoc quidem vos mouet, considerantes, quae sit vtilitas quaeque opportunitas in homine membrorum, vt iudicetis, membris humanis deos non egere? Quid enim pedibus opus est sine ingressu? quid manibus, si nihil comprehendendum? quid reliqua descriptione omnium

corporis partium, in qua nihil inane, nihil sine causa, nihil superuacaneum est? Itaque nulla ars imitari sollertiam naturae potest. Habebit igitur linguam deus, et non loquetur; dentes, palatum, fauces nullum ad usum: quaeque procreationis causa natura corpori affluxit, ea frustra habebit deus: nec externa magis quam interiora: cor, pulmones, iecur, cetera; quae, detracta utilitate, quid habent venustatis? quandoquidem haec esse in deo propter pulchritudinem vultis.

55. Ipsa vero quam nihil ad rem pertinet, quae vos delectat maxime, similitudo? Quid? canis nonne similis lupo? atque, vt Ennius; Simia quam similis, turpissima bestia, nobis? At mores in vtroque dispares. Elephanto belluarum nulla prudentior. At figura quae vastior? De bestiis loquor. Quid? inter ipsos homines nonne et simillimis formis dispares mores, et moribus figura dissimilis? Etenim si semel, Vellei, suscipimus genus hoc argumenti, attende quo serpat. Tu enim sumebas, nisi in hominis figura rationem inesse non posse. Sumet alius, nisi in terrestri: nisi in eo, qui natus sit: nisi in eo, qui adoleuerit: nisi in eo, qui didicerit: nisi in eo, qui ex animo constet et corpore caduco et infirmo: postremo nisi in homine atque mortali. Quodsi in omnibus his rebus obsistis, quid est, quod te vna forma conturbet? His enim omnibus, quae proposui, adiunctis, in homine rationem esse et mentem videbas. Quibus detractis, deum tamen nosse te dicis, modo lineamenta maneant. Hoc est non considerare, sed quasi sortiri, quid loquere.

Nisi forte ne hoc quidem attendis, non modo in homine, sed etiam in arbore, quidquid super-  
vacaneum sit, aut vsum non habeat, obstare. Quam molestum est vno digito plus habere? quid ita? quia nec speciem, nec vsum alium quinque desiderant. Tuus autem deus non digito vno red-  
vndat, sed capite, collo, cervicibus, lateribus, alio, tergo, poplitibus, manibus, pedibus, feminibus, eruribus. Si vt immortalis sit, quid haec ad vitam membra pertinent? quid ipsa facies? magis illa, cerebrum, cor, pulmones, iecur. Haec enim sunt domicilia vitae. Oris quidem habitus ad vitae firmitatem nihil pertinet.

---

38. Fac imagines esse, quibus pulsantur animi. Species duntaxat obiicitur quaedam. — Quae autem istae imagines vestrae, aut vnde? a Democrito omnino haec licentia. Sed et ille reprehensus a multis est, nec vos exitum reperitis: totaque res vacillat et claudicat. Nam quid est, quod minus probari possit, quam omnium in me incidere imagines, Homeri, — Pythagorae, Platonis, nec ex forma, qua illi fuerunt? quomodo ergo illi? et quorum imagines? Orpheum poetam docet Aristoteles nunquam fuisse, et hoc Orphicum carmen Pythagorei ferunt cuiusdam fuisse Cercopis. At Orpheus, id est, imago eius, vt vos vultis, in animum meum saepe incurrit. Quid quod eiusdem hominis in meum aliae, aliae in tuum? quid, quod earum rerum, quae nunquam omnino fuerunt, neque esse potuerunt, vt Scyllae, vt Chimaerae? quid, quod hominum, locorum, urbium earum, quas nunquam vidimus? quid, quod, si-

mulac mihi collibitum est, praesto est imago? quid, quod etiam ad dormientem veniunt invocatae?

---

59. Tota res, Vellei, nugatoria est. Vos autem non modo oculis imagines, sed etiam animis inculcatis. Tanta est impunitas garriendi. —

Confugis ad aequilibritatem: sic enim *ισονομίαν*, si placet, appellemus; et ais, quoniam sit natura mortalis, immortalem etiam esse oportere.

---

44. Neque enim tam desipiens fuisset, ut homunculis similem deum fingeret, lineamentis duntaxat extremis, non habitu solido, membris hominis praeditum omnibus, usu membrorum ne minimo quidem; exilem quendam atque perlucidum, nihil cuiquam tribuentem, nihil gratificantem, omnino nihil curantem, nihil agentem.

---

Cic. de N. D. II, 2. Opinionum commenta delet dies: naturae iudicia confirmat.

---

4. At fortasse non omnia eueniunt, quae praedicta sunt. Ne aegri quidem, quia non omnes conualescunt, idcirco ars nulla medicina est. Signa ostenduntur a diis rerum futurarum. In his si qui errauerunt, non deorum natura, sed hominum coniectura peccauit.

---

6. Si enim, inquit, (Chrysippus) est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit: est certe id, quod illud efficit, homine melius. Atqui res coelestes, omnesque eae, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quid potius dixeris quam deum? Etenim si dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? In eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse praestantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse quam se putet, desipientis arrogantiae est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profecto deus.

---

9. Sic enim res se habet, ut omnia, quae alantur et crescant, contineant in se vim caloris: sine qua neque ali possent, neque crescere. Nam omne, quod est calidum et igneum, cietur et agitur motu suo; quod autem alitur et crescit, motu quodam utitur certo et aequabili: qui quam diu remanet in nobis, tamdiu sensus et vita remanet; refrigerato autem et extincto calore occidimus ipsi et exstinguimur. Quod quidem Cleanthes his etiam argumentis docet, quanta vis insit caloris in omni corpore. Negat enim vllum esse cibum tam gravem, quin is die et nocte concoquatur: cuius etiam in reliquiis inest calor iis, quas natura respuerit. Iam vero venae et arteriae micare non desinunt, quasi quodam igneo motu: animaduersumque saepe est, cum cor animantis alicuius euulsum, ita mobiliter palpitaret, ut imitaretur igneam celeritatem. Omne igitur, quod viuit, siue

animal, siue terra editum, id viuit propter inclusum in eo calorem. Ex quo intelligi debet, eam caloris naturam vim habere in se vitalem per omnem mundum pertinentem. Atque id facilius cernemus, toto genere hoc igneo, quod tranat (traheat) omnia, subtilius explicato. Omnes igitur partes mundi (tangam autem maximas) calore fultae sustentur. Quod primum in terrena natura perspici potest. Nam et lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus: et recenti fossione — terram fumare calentem; atque etiam ex puteis iugibus aquam calidam trahi, et id maxime hibernis fieri temporibus, quod magna vis, terrae cauernis, contineatur caloris: eaque hieme sit densior: ob eamque causam calorem insitum in terris contineat arctius.

---

10. Longa est oratio multaeque rationes, quibus doceri possit, omnia quae terra concipiat, semina, quaeque ipsa ex se generata stirpibus infixae contineat, ea temperatione caloris et oriri et auerescere. Atque aquae etiam admistum esse calorem, primum ipse liquor, tum aquae declarat effusio: quae neque congelaret frigoribus, neque niue pruinaque concrederet, nisi eadem se admisto calore liquefacta et dilapsa diffunderet. Itaque et aquilonibus reliquisque frigoribus adiectis duerescit humor: et idem vicissim mollitur tepefactus et tabescit calore. Atque etiam maria agitata ventis ita tepescunt, vt intelligi facile possit, in tantis illis humoribus inclusum esse calorem. Nec enim ille externus et aduenticius habendus est tepor, sed ex intimis maris partibus agitatione excitatus: quod

nostris quoque corporibus contingit, cum motu atque exercitatione recalescunt. Ipse vero aër, qui natura est maxime frigidus, minime est expers caloris.

Ille vero et multo quidem calore admistus est. Ipse enim oritur ex respiratione aquarum. Earum enim quasi vapor quidam aër habendus est. Is autem existit motu eius caloris, qui aquis continetur. Quam similitudinem cernere possumus in iis aquis, quae efferuescunt subitis ignibus. Iam vero reliqua quarta pars mundi, ea et ipsa tota natura feruida est, et ceteris naturis omnibus salutarem impertit et vitalem calorem.

Ex quo concluditur, cum omnes mundi partes sustineantur calore, mundum etiam ipsum simili parique natura in tanta diuturnitate seruari: eoque magis quod intelligi debet, calidum illud atque igneum ita in omni fusum esse natura, ut in eo insit procreandi vis et causa gignendi, a quo et animantia omnia, et ea, quorum stirpes terra continentur, et nasci sit necesse, et augescere.

---

11. Absurdum igitur est dicere, cum homines bestiaeque hoc calore teneantur, et propterea moveantur ac sentiant, mundum esse sine sensu: qui integro, et puro, et libero, eodemque acerrimo et mobilissimo ardore teneatur. Praesertim cum is ardor, qui est mundi, non agitatus ab alio, neque externo pulsu sed per seipse ac sua sponte moueatur. Nam quid potest esse mundo valentius, quod pellat atque moueat calorem cum, quo ille teneatur?

---

12. Audiamus enim Platonem, quasi quendam deum philosophorum: cui duo placet esse motus, vnum suum, alterum externum: esse autem diuinius, quod ipsum ex se sua sponte moueatur, quam quod pulsu agitetur alieno.

Vt enim nulla pars corporis nostri est, quae non sit minor quam nosmet ipsi sumus: sic mundum vniuersum pluris esse necesse est, quam partem aliquam vniuersi. Quod si ita est, sapiens sit mundus necesse est. Nam ni ita esset, hominem, qui est mundi pars, quoniam rationis est particeps, pluris esse quam mundum omnem oporteret.

Primo enim animaduertimus, a natura sustineri ea, quae gignuntur e terra, quibus natura nihil tribuit amplius, quam vt ea alendo atque augendo tueretur. Bestiis autem sensum et motum dedit, et cum quodam appetitu accessum ad res salutare, a pestiferis recessum: homini hoc amplius, quod addidit rationem, qua regerentur animi appetitus, qui tum remitterentur, tum continerentur.

---

14. Ipse autem homo ortus est ad mundum contemplandum et imitandum, nullo modo perfectus, sed est quaedam particula perfecti. —

Nec vero hominis natura perfecta est: et efficitur tamen in homine virtus. Quanto igitur in mundo facilius? Est ergo in eo virtus. Sapiens est igitur; et propterea deus.

---

15. Atque ea (sidera) quidem tota esse ignea, duorum sensuum testimonio confirmari Cleanthes

putat, tactus et oculorum. Nam solis calor illustrior quam ullus ignis, quippe qui immenso mundo tam longe lateque colluceat: et is eius tactus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam saepe comburat. Quorum neutrum faceret, nisi esset igneus. Ergo, inquit, cum sol igneus sit, oceanique alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo possit permanere: necesse est, aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad usum atque ad victum; aut ei, qui corporibus animantium continetur. Atque hic noster ignis, quem usus vitae requirit, confector est et consumptor omnium, idemque, quocumque inuasit, cuncta disturbat ac dissipat. Contra corporeus, vitalis et salutaris omnia conseruat, alit, auget, sustinet sensuque afficit. Negat ergo esse dubium, horum ignium sol vtri similis sit, cum is quoque efficiat, ut omnia floreat et in suo quacumque genere pubescant. Quare cum solis ignis similis eorum ignium sit, qui sunt in corporibus animantium: solem quoque animantem esse oportet, et quidem reliqua astra, quae orientur in ardore coelesti, qui aether, vel coelum nominatur.

---

16. Etenim licet videre acutiora ingenia et ad intelligendum aptiora eorum, qui terras incolant eas, in quibus aer sit purus ac tenuis, quam illorum, qui vrantur crasso caelo atque concreto. Quin etiam cibo, quo vtare, interesse aliquid ad mentis aciem putant.

---

17. Restat, ut, qualis eorum (deorum) natura sit, consideremus: in quo nihil est difficilius,

quam a consuetudine oculorum aciem mentis abducere. Ea difficultas induxit et vulgo imperitos, et similes philosophos imperitorum, ut, nisi figuris hominum constitutis, nihil possent de diis immortalibus cogitare.

---

18. Quid enim pulchrius ea figura, quae sola omnes alias figuras complexa continet, quaeque nihil asperitatis habere, nihil offensionis potest, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil emiens, nihil lacunosum? Cumque duae formae praestantes sint, ex solidis, globus (sic enim *σφαῖραν* interpretari placet) ex planis autem, circulus, aut orbis, qui *κύκλος* graecè dicitur, his duabus formis contingit solis, ut omnes earum partes sint inter se simillimae, a medioque tantum absit extremum, quantum idem a summo.

---

19. Primusque sol, qui astrorum obtinet principatum, ita mouetur, ut, cum terras larga luce compleuerit, easdem modo his, modo illis ex partibus opacet. Ipsa enim umbra terrae soli officiens noctem efficit: nocturnorum autem spatiorum eadem est aequabilitas, quae diurnorum: eiusdemque solis tum accessus modici, tum recessus, et frigoris et caloris modum temperant: — inflectens autem sol cursum tum ad septentriones, tum ad meridiem, aetates et hiemes efficit, et ea duo tempora, quorum alterum hiemi senescenti adiunctum est, alterum aestati. Ita ex quatuor temporum mutationibus, omnium, quae terra marique gignuntur, initia causaeque ducuntur.

In lunae quoque cursu est et brumae quaedam et solstitii similitudo: multaque ab ea manant et fluunt, quibus et animantes alantur augescantque; et pubescant maturitatemque assequantur, quae oriuntur e terra.

---

25. Non enim venis, et nervis, et ossibus continentur (dii), nec iis escis, aut potionibus vescuntur, ut aut nimis acres, aut nimis concretos humores colligant: nec iis corporibus sunt, ut aut casus, aut ictus extimescant, aut morbos metuant ex defatigatione membrorum.

---

27. Nec longe absunt ab hac vi Dii Penates, siue a penu ducto nomine, (est enim omne, quo vescuntur homines, penus) siue ab eo, quod penitus insident: ex quo etiam penetrales a poetis vocantur. Iam Apollinis nomen est graecum; quem solem esse volunt: Dianam autem et lunam eandem esse putant: cum SOL dictus sit, vel quia SOLUS ex omnibus sideribus est tantus, vel quia, cum est exortus, obscuratis omnibus SOLUS apparet: Luna a lucendo nominata sit. Eadem est enim Lucina. Itaque ut apud Graecos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Iunonem Lucinam in pariendo inuocant: quae eadem Diana anniuaga dicitur, non a venando, sed quod in septem numeratur tanquam vagantibus.

Diana dicta, quia noctu quasi diem efficeret. Adhibetur autem ad partus, quod ii maturescunt aut septem nonnunquam, aut plerumque nouem lunae cursibus: qui quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur.

---

32. Seminis enim vim esse tantam, vt id, quanquam sit perexiguum, tamen si inciderit in concipientem comprehendentemque naturam, nactumque sit materiam, qua ali augerique possit, ita fingat et efficiat in suo quidque genere; partim vt tantummodo per stirpes alantur suas, partim vt moueri etiam, et sentire, et appetere possint, et ex sese similia sui gignere.

---

35. Stirpes enim terrae inhaerent. Animantes autem adspiratione aëris sustentur: ipseque aër nobiscum videt, nobiscum audit, nobiscum sonat. Nihil enim eorum sine eo fieri potest. Quin etiam mouetur nobiscum. Quacunque enim imus, quacunque mouemur, videtur quasi locum dare et cedere. — Et cum quatuor sint genera corporum, vicissitudine eorum mundi continuata natura est. Nam ex terra aqua: ex aqua oritur aër: ex aëre aether: deinde retrorsum vicissim ex aethere aër: ex aëre aqua: ex aqua terra infima. Sic naturis his, ex quibus omnia constant, sursum, deorsum, vltro citroque commeantibus, mundi partium coniunctio continetur. —

Quae procreatio vitis, aut arboris, quae porro animantis figura conformatioque membrorum, tantam naturae sollertiam significat, quantam ipse mundus?

---

58. Sed assiduitate quotidiana et consuetudine oculorum assuescunt animi: neque admiran-  
 rantur, neque requirunt rationes earum rerum, quas semper vident; proinde quasi nouitas nos

magis quam magnitudo rerum debeat ad exquirendas causas excitare.

---

39. Exinde mari finitimus aër die et nocte distinguitur: isque tum fusus et extenuatus sublimé fertur; tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque colligens terram auget imbribus; tum effluens huc et illuc ventos efficit. Idem annuas frigorum et calorum facit varietates: idemque et volatus alitum sustinet, et spiritu ductus alit et sustentat animantes.

---

47. Animantium vero quanta varietas est? Quanta ad eam rem vis, ut in suo quaeque genere permaneant? Quarum aliae coriis tectae sunt, aliae villis vestitae, aliae spinis hirsutae: pluma alias, alias squama videmus obductas: alias esse cornibus armatas, alias habere effugia pennarum. Pastum autem amantibus large et copiose natura eum, qui cuique aptus erat, comparauit. Enumerare possum ad eum pastum capessendum conficiendumque, quae sit in figuris animantium et quam sollers subtilisque descriptio partium, quamque admirabilis fabrica membrorum. Omnia enim, quae quidem intus inclusa sunt, ita nata atque ita locata sunt, ut nihil eorum superuacaneum sit, nihil ad vitam retinendam non necessarium. Dedit autem eadem natura beluis et sensum et appetitum; ut altero conatum haberent ad naturales pastus capessendos, altero secernerent pestifera a salutaribus. Iam vero alia animalia gradiendo, alia serpendo ad pastum accedunt, alia volando, alia nando: cibum-

que partim oris liatu et dentibus ipsis capessunt, partim unguum tenacitate arripiunt, partim aduncitate rostrorum: alia sugunt, alia carpunt, alia vorant, alia mandunt. Atque etiam aliorum ea est humilitas, ut cibum terrestrem rostris facile contingant. Quae autem altiora sunt, ut anseres, ut cygni, ut grues, ut cameli, adiuuantur proceritate collorum. Manus etiam data elephantis, quia propter magnitudinem corporis difficiles aditus habebant ad pastum,

---

48. Quin etiam anatum oua gallinis saepe supponimus; e quibus pulli orti primum aluntur ab iis, ut a matribus, a quibus exclusi fotique sunt: deinde eas relinquunt et effugiunt sequentes, cum primum aquam, quasi naturalem domum, videre potuerunt. Tantam ingenuit animantibus conseruandi sui natura custodiam.

---

50. Quid ea, quae nuper, id est paucis ante seculis, medicorum ingeniis reperta sunt? Vomitione canes; purgante autem aluos ibes Aegyptiae curant. Auditum est, pantheras, quae in barbaria venenata carne caperentur, remedium quoddam habere; quo cum essent vsae non morentur: capras autem in Creta feras, cum essent confixae venenatis sagittis, herbam quaerere, quae dictamnus vocaretur; quam cum gustauissent, sagittas excidere dicunt e corpore. Ceruaeque paulo ante partum perpurgant se quadam herbula, quae Seselis dicitur. Iam illa cernimus, ut contra metum et vim suis se armis quaeque defendat.

Cornibus tauri, apri dentibus, morsu leones; aliae fuga se, aliae occultatione tutantur: atramenti effusione sepiae, torpore torpedines. Multae etiam insectantes odoris intolerabili foeditate depellunt.

---

51. Quid loquar, quanta ratio in bestiis ad perpetuam conseruationem earum generis appareat? Nam primum aliae mares, aliae foeminae sunt: quod perpetuitatis causa machinata natura est. Deinde partes corporis et ad procreandum et ad concipiendum aptissimae: et in mare et in foemina commiscendorum corporum mirae libidines. Cum autem in locis semen insedit, rapit omnem fere cibum ad sese, eoque septum fingit animal: quod cum ex utero elapsum excidit, in iis animalibus, quae lacte aluntur, omnis fere cibus matrum lactescere incipit: eaque, quae paulo ante nata sunt, sine magistro, duce natura, mammas appetunt, earumque vbertate saturantur.

---

53. Sed illa quanta benignitas naturae, quod tam multa ad vescendum, tam varia tamque iucunda gignit: neque ea vno tempore anni; vt semper et nouitate delectemur et copia? Quam tempestiuos autem dedit, quam salutare non modo hominum, sed etiam pecudum generi, iis denique omnibus, quae oriuntur e terra, ventos Etesias? quorum flatu nimii temperantur calores. Ab iisdem etiam maritimi cursus celeres et certi diriguntur. Multa praetereunda sunt: et tamen multa dicuntur. Enumerari enim non possunt fluminum opportunitates: aestus maritimi multum acceden-

tes et recedentes: montes vestiti atque silvestres: salinae ab ora maritima remotissimae: medicamentorum salutarium plenissimae terrae: artes denique innumerabiles, ad victum et ad vitam necessariae. Iam diei noctisque vicissitudo conseruat animantes, tribuens aliud agendi tempus, aliud quiescendi. Sic vndique omni ratione concluditur, mente, consilioque diuino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conseruationemque admirabiliter administrari. — Quorum igitur causa quis dixerit effectum esse mundum? Eorum scilicet animantium, quae ratione vtuntur. Hi sunt dii et homines: quibus profecto nihil est melius. Ratio est enim, quae praestat omnibus. Ita fit credibile, deorum et hominum causa factum esse mundum, quaeque in eo sint omnia. Faciliusque intelligitur, a diis immortalibus hominibus esse prouisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnisque humanae naturae figura atque perfectio. Nam cum tribus rebus animantium vita teneatur, cibo, potione, spiritu: ad haec omnia percipiendos est aptissimum; quod adiunctis naribus spiritu augetur.

54. Dentibus autem in ore constructis manditur, atque ab his extenuatur et molitur cibus. Eorum aduersi acuti morsu diuidunt escas, intimi autem conficiunt, qui genuini vocantur: quae confectio etiam a lingua adiuuari videtur: Linguam autem ad radices eius haerens excipit stomachus: quo primum illabuntur ea, quae accepta sunt: oris vtraque ex parte tonsillas attingens, palato, extremo atque intimo, terminatur. Atque is agita-

tione et motibus linguae cum depulsum et quasi detrusum cibum accepit, depellit. Ipsius autem partes eae, quae sunt infra id, quod deuoratur, dilatantur: quae autem supra, contrahuntur.

Sed cum aspera arteria (sic enim a medicis appellatur) ostium habeat, adiunctum linguae radicibus, paullo supra quam ad linguam stomachus annectitur, eaque ad pulmones vsque pertineat excipiatque animam eam, quae ducta sit spiritu, eandemque a pulmonibus respiret et reddat: tegitur quodam quasi operculo; quod ob eam causam datum est, ne, si quid in eam cibi forte incidisset, spiritus impediretur. Sed cum alui natura subiecta stomacho, cibi et potionis sit receptaculum: pulmones autem et cor extrinsecus spiritum adducant, in aluo multa sunt mirabiliter effecta, quae constant fere e nervis. Est autem multiplex et tortuosa, arcetque et continet, siue illud aridum est, siue humidum, quod recipit, vt id mutari et concoqui possit, eaque tum adstringitur, tum relaxatur, atque omne, quod accipit, cogit et confundit; vt facile et calore, quem multum habet, exterendo cibo, et praeterea spiritu omnia cocta: atque confecta in reliquum corpus diuidantur.

---

55. In pulmonibus autem inest raritas quaedam et assimilis spongiis mollitudo, ad hauriendum spiritum aptissima: qui tum se contrahunt adspirantes, tum respiritu dilatant, vt frequenter ducatur cibus animalis, quo maxime aluntur animantes. Ex intestinis autem et aluo secretus a reliquo cibo succus is, quo alimur, permanat ad iecur per quasdam a medio intestino vsque ad

portas iecoris (sic enim appellant) ductas et directas vias, quae pertinent ad iecur eique adhaerent. Atque inde aliae pertinentes sunt, per quas cadit cibus a iecore dilapsus. Ab eo cibo cum est secreta bilis, iique humores, qui ex renibus profunduntur, reliqua se in sanguinem vertunt, ad eademque portas iecoris confluunt, ad quas omnes eius viae pertinent: per quas lapsus cibus, in hoc ipso loco in eam venam, quae caua appellatur, confunditur, perque eam ad cor confectus iam coactusque perlabitur: a corde autem in totum corpus distribuitur per venas admodum multas, in omnes partes corporis pertinentes.

Quemadmodum autem reliquiae cibi depellantur, tum adstringentibus se intestinis tum relaxantibus, haud sane difficile dictu est: sed tamen praetereundum est, ne quid habeat iniucunditatis oratio. Illa potius explicetur incredibilis fabrica naturae. Nam quae spiritu in pulmones anima ducitur, ea calescit primum ab eo spiritu, deinde contagione pulmonum: ex eaque pars reditur respirando, pars concipitur cordis parte quadam, quam ventriculum cordis appellant: cui similis alter adiunctus est, in quem sanguis a iecore per venam illam cauam influit. Eoque modo ex his partibus et sanguis per venas in omne corpus diffunditur, et spiritus per arterias. Vtraeque autem crebrae multaeque toto corpore intextae vim quandam incredibilem artificiosi operis diuinaeque testantur. Quid dicam de ossibus? quae subiecta corpori mirabiles commissuras habent, et ad stabilitatem aptas, et ad artus finiendos accommodatas, et ad motum, et ad omnem corporis actionem. Huc adde neruos, a quibus artus con-

tinentur; eorumque implicationem toto corpore pertinentem: qui, sicut venae et arteriae, a corde tractae et profectae, in corpus omne ducuntur.

56. Ad hanc prouidentiam naturae tam diligentem tamque sollertem adiungi multa possunt, e quibus intelligatur, quantae res hominibus a deo, quamque eximiae tributae sint: qui primum eos humo excitatos, celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem, coelum intuentes, capere possent. Sunt enim e terra homines non ut incolae atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque coelestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet. Sensus autem, interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad vsus necessarios et facti et collocati sunt. Nam oculi, tanquam speculatores, altissimum locum obtinent: ex quo plurima conspicientes fungantur suo munere. — Et aures cum sonum percipere debeant, qui natura in sublime fertur, recte in altis corporum partibus collocatae sunt. Itemque nares, eo quod omnis odor ad supera fertur, recte sursum sunt: et quod cibi et potionis iudicium magnum earum est, non sine causa vicinitatem oris secutae sunt. Iam gustatus, qui sentire eorum, quibus vescimur, genera deberet, habitat in ea parte oris, qua esculentis et potulentis iter natura patefecit. Tactus autem toto corpore aequabiliter fusus est, ut omnes ictus omnesque nimios et frigoris et caloris appulsus sentire possimus. Atque, ut in aedificiis architecti auertunt ab oculis et naribus dominorum ea, quae profluentia necessario

tetri essent aliquid habitura: sic natura res similes  
procul amandauit a sensibus.

57. Quis vero opifex, praeter naturam, qua  
nihil potest esse callidius, tantam sollertiam per-  
sequi potuisset in sensibus? quae primum oculos  
membranis tenuissimis vestiuit et sepsit: quas  
primum perlucidas fecit, vt per eas cerni posset;  
firmas autem, vt continerentur. Sed lubricos ocu-  
los fecit et mobiles, vt et declinarent, si quid no-  
ceret, et ad spectum, quo vellent, facile conuer-  
terent. Aciesque ipsa, qua cernimus, quae pu-  
pula vocatur, ita parua est, vt ea, quae nocere  
possint, facile vitet. Palpebraeque, quae sunt  
tegumenta oculorum, mollissimae tactu, ne laede-  
rent aciem, aptissime factae et ad claudendas pu-  
pulas, ne quid incideret, et ad aperiendas: idque  
prouidit, vt identidem fieri posset cum maxima  
celeritate. Munitaeque sunt palpebrae tanquam  
vallo pilorum: quibus et apertis oculis, si quid  
incideret, repelleretur; et somno commiuentibus,  
cum oculis ad cernendum non egeremus, vt qui,  
tanquam inuoluti, quiescerent. Latent praeterca  
utiliter et excelsis vndique partibus sepiuntur.  
Primum enim superiora, superciliis obducta, su-  
dorem a capite et a fronte defluentem repellunt.  
Genae deinde ab inferiore parte tutantur subie-  
ctae leuiterque eminentes. Nasus ita locatus est,  
vt quasi murus oculis interiectus esse videatur.

Auditus autem semper patet. Eius enim  
sensu etiam dormientes egeremus. A quo cum so-  
nus est acceptus etiam e somno excitamur. Fle-  
xuosum iter habet, ne quid intrare possit, si sim-

plex et directum pateret. Prouisum etiam, vt, si qua minima bestiola conaretur irrumpere, in sordibus aurium, tanquam in visco, inhaeresceret. Extra autem eminent, quae appellantur aures, et tegendi causa factae tutandique sensus; et ne adiectae voces laberentur atque errarent, priusquam sensus ab his pulsus esset. Sed duros et quasi corneolos habent introitus, multisque cum flexibus, quod his naturis relatus amplificatur sonus. Quocirca et in fidibus testudine resonatur, aut cornu: et ex tortuosis locis et inclusis referuntur ampliores. Similiter nares, quae semper propter necessarias utilitates patent, contractiones habent introitus, ne quid in eas, quod noceat, possit peruadere: humoremque semper habent ad puluerem multaque alia depellenda non inutilem. Gustatus praeclare septus est. Ore enim continetur et ad vsum apte, et ad incolumitatis custodiam. Omnisque sensus hominum multo antecellit sensibus bestiarnm.

---

59. Ad vsum autem orationis incredibile est, nisi diligenter attenderis, quanta opera machinata natura sit. Primum enim a pulmonibus arteria vsque ad os intimum pertinet: per quam VOX, principium a mente ducens, percipitur et funditur. Deinde in ore sita lingua est, finita dentibus. Ea vocem immoderate profusam fingit et terminat: quae sonos vocis distinctos et pressos efficit, cum et ad dentes, et ad alias partes pellit oris. Itaque plectri similem linguam nostri solent dicere: chordarum dentes, nares cornibus iis, qui ad nervos resonant in cantibus.

---

60. Quam vero aptas quamque multarum artium ministras manus natura homini dedit! Digitorum enim contractio facilis facilisque porrectio, propter molles commissuras et artus, nullo in motu laborat. Itaque ad pingendum, ad fingendum, ad scalpendum, ad neruorum eliciendos sonos ac tiliarum apta manus est, admotione digitorum. Atque haec oblectationis: illa necessitatis; cultus dico agrorum extructionesque tectorum, tegumenta corporum vel texta, vel suta, omnemque fabricam aeris et ferri: ex quo intelligitur, adiuuenta animo, percepta sensibus, adhibitis opificum manibus omnia nos consecutos, ut tecti, ut vestiti, ut salui esse possimus; vrbes, muros, domicilia, delubra haberemus. Iam vero operibus hominum, id est, manibus, cibi etiam varietas inuenitur et copia. Nam et agri multa ferunt manu quaesita, quae vel statim consumantur, vel mandentur condita vetustati. Et praeterea vescimur bestiis et terrenis, et aquatilibus, et volatilibus, partim capiendo, partim alendo. Efficimus etiam domitu nostro quadrupedum uectiones: quorum celeritas atque vis nobis ipsis affert vim et celeritatem. Nos onera quibusdam bestiis, nos iuga imponimus: nos elephantorum acutissimis sensibus, nos sagacitate canum ad utilitatem nostram abutimur: nos e terrae cauernis ferrum elicimus, rem ad colendos agros necessariam: nos aeris, argenti, auri venas, penitus abditas, inuenimus, et ad vsum aptas, et ad ornatum decoras: arborum autem consectione, omnique materia, et culta, et siluestri, partim ad calefaciendum corpus, igni adhibito, et ad mitigandum cibum utimur, partim ad aedificandum, ut tectis septi frigora caloresque pellamus. — Nostris

denique manibus in rerum natura quasi alteram naturam efficere conamur.

---

64. Iam vero immanes et feras belluas nascimur venando, ut et vescamur iis, et exerceamur in venando ad similitudinem bellicae disciplinae, et utamur domitis et condocerentis, ut elephantis: multaque ex earum corporibus remedia, morbis et vulneribus eligamus; sicut ex quibusdam stirpibus et herbis, quarum utilitates longinqui temporis usu et periclitatione percipimus.

---

Cic. de N. D. III, 4. Cur contuerere autem altero oculo causa non esset; cum idem obtutus esset amborum, et cum rerum natura, quam tu sapientem esse vis, duo lumina ab animo ad oculos perforata nos habere voluisset.

---

6. At medici quoque (ita enim dicebas) saepe falluntur. Quid simile (habet) medicina, cuius ego rationem video, et diuinitio? quae unde oriatur non intelligo.

---

10. Vide, quaeso, si omnis motus, omniaque, quae certis temporibus ordinem suum conservant, diuina ducimus, ne tertianas quidem febres et quartanas diuinas esse dicendum sit, quarum reuersione et motu quid potest esse constantius? Sed omnium talium rerum ratio reddenda est. Quod vos, cum facere non potestis, tanquam in aram confugistis ad deum.

---

14. Vos autem ita dicitis, omnem vim esse ignem. Itaque et animantes, cum calor defecerit, tum interire: et in omni natura rerum id viuere, id vigere, quod caleat.

---

22. Aesculapiorum primus, Apollinis, quem Arcades colunt; qui specillum inuenisse, primusque vulnus dicitur obligauisse: secundus, secundi Mercurii frater; is fulmine percussus, dicitur humatus esse Cynosuris: tertius, Arsippi et Arsinoae; qui primus purgationem alui dentisque euulsionem, vt ferunt, inuenit: cuius in Arcadia non longe a Lusio flumine sepulcrum et lucus ostenditur.

---

27. Vt vinum aegrotis, quia prodest raro, nocet saepissime, melius est non adhibere omnino, quam spe dubiae salutis in apertam perniciem incurrere: sic haud scio, an melius fuerit, humano generi motum istum celerem cogitationis, acumen, solertiam, quam rationem vocamus, quoniam pestifera sit multis, admodum paucis salutaris, non dari omnino, quam tam munifice, et tam large dari.

---

28. Nec prodesse (voluit) Pheraeo Iasoni is, qui gladio vomicam eius aperuit, quam sanare medici non potuerant.

---

31. Vt si medicus grauitatem morbi, gubernator vim tempestatis accuset. Etsi hi quidem ho-

munculi, sed tamen ridiculi. Quis enim te adhibuisset, dixerit quispiam, si ista non essent? Contra deum licet disputare liberius. In hominum vitiis ais esse culpam. — Vt si medicus sciat, cum aegrotum, qui iussus sit vinum sumere, meracius sumpturum, statimque periturum, magna sit in culpa: sic vestra ista prouidentia reprehendenda, quae rationem dederit iis, quos scierit ea peruerse et improbe vsuros.

---

32. Nam vt nihil interest, vtrum nemo valeat, an nemo possit valere: sic non intelligo, quid intersit, vtrum nemo sit sapiens, an nemo esse possit.

---

34. Idemque (Dionysius) Aesculapii Epidauri barbam auream demi iussit. Neque enim convenire, barbatum esse filium, cum in omnibus fanis pater imberbis esset.

---

35. Hunc igitur nec Olympius Iupiter fulmine percussit, nec Aesculapius misero diuturnoque morbo tabescentem interemit: atque in suo lectulo mortuus, in Tympanidis rogum illatus est. — At enim minora dii negligunt, neque agellos singulorum, nec viticulas persequuntur: nec, si vredo, aut grando quippiam nocuit, id Ioui animaduertendum fuit. Ne in regnis quidem reges omnia minima curant. Sic enim dicitis; quasi ego paulo ante de fundo Formiano P. Rutilii sim questus, non de amissa salute.

---

36. Num quis, quod bonus vir esset, gratias diis egit vnquam? At quod diues, quod honoratus, quod incolumis. Iouemque optimum, maximum, ob eas res appellant, non quod nos iustos, temperatos, sapientes efficiat, sed quod saluos, incolumes, opulentos, copiosos.

---

38. Nec ego multorum aegrorum salutem non ab Hippocrate potius, quam ab Aesculapio datam iudico.

---

39. Vt enim hominum membra nulla contentione, mente ipsa ac voluntate moueantur: sic numine deorum omnia fingi, moueri, mutarique posse. Neque id dicitis superstitione atque aniliter, sed physica constantique ratione. Materiam enim rerum, ex qua, et in qua omnia sint, totam esse flexibilem et commutabilem, vt nihil sit, quod non ex ea quamuis subito fingi conuertique possit. Eius autem vniuersae fictricem et moderatricem diuinam esse prouidentiam.

---

Cic. de diuin. I, 1. Chaldaei, non ex artis, sed ex gentis vocabulo nominati, diuturna observatione siderum, scientiam putantur effecisse, vt praedici posset, quid cuique euenturum, et quo quisque fato natus esset.

---

6. Duo sunt enim diuinandi genera; quorum alterum artis est, alterum naturae. Quae

est autem gens, aut quae ciuitas, quae non aut extis pecudum; aut monstra, aut fulgura interpretantium, aut augurum, astrologorum, aut sortium, (ea enim fere artis sunt) aut somniorum, aut vaticinationum, (haec enim duo naturalia putantur) praedictione moueatur? quarum quidem rerum euenta magis arbitror, quam causas quaeri oportere. Est enim vis et natura quaedam, quae cum obseruatis longo tempore significationibus, tum aliquo instinctu inflatuque diuino futura praenuntiat.

---

7. Mirari licet, quae sint animaduersa a medicis herbarum genera, quae radicum ad morsus bestiarum, ad oculorum morbos, ad vulnera. Quorum vim atque naturam ratio nunquam explicauit: vtilitate et ars est et inuentor probatus.

---

10. Quid scammoniae radix ad purgandum, quid aristolochia ad morsus serpentum possit, quae nomen ex inuentore reperit, rem ipsam inuentor ex somnio, video, quod satis est: cur possit, nescio.

---

14. At nonnunquam ea, quae praedicta sunt, minus eueniunt. Quae tandem id ars non habet? Earum dico artium quae coniectura continentur, et sunt opinabiles. An medicina ars non putanda est? quam tamen multa fallunt.

---

25. Quid singulari vir ingenio Aristoteles, et paene diuino? ipse errat? an alios vult er-

rare? cum scribit, Eudemum Cyprum, familiarem suum, iter in Macedoniam facientem Pheras venisse; quae erat vrbs in Thessalia tum admodum nobilis, ab Alexandro autem tyranno crudeli dominatu tenebatur: in eo igitur oppido ita grauiter aegrum Eudemum fuisse, vt omnes medici diffiderent: ei visum in quiete egregia facie iuuenem dicere, fore, vt perbreui conualesceret, paucisque diebus interiturum Alexandrum tyrannum, ipsum autem Eudemum quinquennio post domum esse rediturum. Atque ita quidem prima statim scribit Aristoteles consecuta; et conualuisse Eudemum; et ab vxoris fratribus interfectum tyrannum: quinto autem anno exeunte, cum esset spes ex illo somnio, in Cyprum illum ex Sicilia esse rediturum, proeliantem eum ad Syracusas occidisse: ex quo ita illud somnium esse interpretatum, vt, cum animus Eudemi e corpore excesserit, tum domum reuertisse videatur.

29. At multa falsa. Imo obscura fortasse nobis. Sed sint falsa quaedam, contra vera quid dicimus? quae quidem multo plura euēirent, si ad quietem integri iremus. Nunc onusti cibo et vino perturbata et confusa cernimus. Vide, quid Socrates in Platonis politia loquatur. Dicit enim: Cum dormientibus ea pars animi, quae mentis et rationis sit particeps, sopita langueat: illa autem, in qua feritas quaedam sit atque agrestis immanitas, cum sit immoderato obstupefacta potu atque pastu, exsultare eam in somno immoderateque iactari. Itaque huic omnia visa obiiciuntur, a mente ac

ratione vacua: vt aut cum matre corpus miscere videamur, aut cum quouis alio vel homine, vel deo, saepe bellua; atque etiam trucidare aliquem, et impie cruentari, multaque facere impure atque taetre, cum temeritate et impudentia. At qui salubri et moderato cultu atque victu quieti se tradiderit; ea parte animi, quae mentis et consilii est, agitata et erecta, saturataque bonarum cogitationum epulis: eaque parte animi, quae voluptate alitur, nec inopia enecta, nec satietate affluenti (quorum vtrumque praestringere aciem mentis solet) siue deest naturae quippiam, siue abundat atque affluit: illa etiam tertia parte animi, in qua irarum existit ardor, sedata atque restincta: tum eueniet, duabus animi temerariis partibus compressis, vt illa tertia pars rationis et mentis eluceat, et se vegetam ad somniandum acremque praebeat: tum ei visa quietis occurrent tranquilla atque veracia. Haec verba ipsa Platonis expressi.

30. Iubet igitur Plato, sic ad somnum proficisci corporibus affectis, vt nihil sit, quod errorem animis perturbationemque afferat. Ex quo etiam Pythagoricis interdictum putatur, ne faba vescerentur; quod habet inflationem magnam is cibus, tranquillitati mentis, quaerentis vera, contrariam. Cum ergo est somno seuocatus animus a societate, et a contagione corporis, tum meminit praeteritorum, praesentia cernit, futura praeuidet. Iacet enim corpus dormientis, vt mortui: viget autem, et viuit animus. Quod multo magis faciet post

mortem, cum omnino corpore excesserit. Itaque appropinquante morte multo est diuinior. Nam et idipsum vident, qui sunt morbo graui, mortifero affecti, instare mortem. Itaque his occurrunt plerumque imagines mortuorum: tumque vel maxime laudi student: eosque qui secus, quam decuit, vixerunt, peccatorum suorum tum maxime poenitet.

Diuinare autem morientes, etiam illo exemplo confirmat Posidonius, quo affert, Rhodium quendam morientem sex aequales nominasse, et dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinde deinceps moriturus esset. Sed tribus modis censet deorum impulsu homines somniare: vno, quod praeuideat animus ipse per sese, quippe qui deorum cognatione teneatur: altero, quod plenus aër sit immortalium animorum, in quibus tanquam insignitae notae veritatis appareant: tertio, quod ipsi dii cum dormientibus colloquantur: idque, vt modo dixi, facilius eueniet appropinquante morte, vt animi futura augurentur.

32. Ex quo intelligitur, esse extra diuinum animum, humanus vnde ducatur: humani autem animi eam partem, quae sensum, quae motum, quae appetitum habeat, non esse ab actione corporis seiugatam: quae autem pars animi, rationis atque intelligentiae sit particeps, eam tum maxime vigere, cum plurimum absit a corpore. —

Si sine oculis non potest exstare officium et munus oculorum; possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui vel semel ita est usus oculis, vt vera cerneret; is habet sensum oculorum vera cernentium. Item igitur, si sine diuinatione

non potest officium et munus diuinationis ex-  
stare, potest autem quis, cum diuinationem habeat,  
errare aliquando, nec vera cernere: satis est ad  
confirmandam diuinationem, semel aliquid esse ita  
diuinatum, vt nihil fortuito cecidisse videatur.  
Sunt autem eius generis innumerabilia: esse igitur  
diuinationem confitendum est.

---

37. Aristoteles quidem eos etiam, qui vale-  
tudinis vitio furerent et melancholici dicerentur,  
censebat habere aliquid in animis praesagens atque  
diuinum.

---

38. Ego autem haud scio, an nec cardiacis  
hoc tribuendum sit, nec phreneticis. Animi enim  
integri, non vitiosi corporis, est diuinationis.

---

41. Eaque diuinationum ratio ne in barba-  
ris quidem gentibus neglecta est. Si quidem et in  
Gallia Druidae sunt, e quibus ipse Diuitiacum  
Aeduum, hospitem tuum laudatoremque, cognoui:  
qui et naturae rationem, quam physiologiam  
Graeci appellant, notam esse sibi profitebatur, et  
partim auguriis, partim coniectura, quae essent  
futura dicebat.

---

49. Affert autem vetustas omnibus in rebus  
longinqua obseruatione incredibilem scientiam:  
quae potest esse sine motu atque impulsu deorum,  
cum, quid ex quoque eueniat, et quid quamque

rem significet, crebra animaduersione perspectum est. Altera diuinationo est naturalis, vt ante dixi: quae physica disputandi subtilitate referenda est ad naturam deorum: a qua, vt doctissimis sapientissimisque placuit, haustos animos et libatos habemus: cumque omnia completa et referta sint, aeterno sensu et mente diuina, necesse est cognatione diuinorum animorum animos humanos commoueri. Sed vigilantes animi vitae necessitatibus seruiunt diiunguntque se a societate diuina, vinclis corporis impediti. Rarum est quoddam genus eorum, qui se a corpore auocent, et ad diuinarum rerum cognitionem cura omni studioque rapiantur.

---

50. Multa medici, multa gubernatores, agricolae etiam multa praesentiunt: sed nullam eorum diuinationem voco, ne illam quidem, qua ab Anaximandro physico moniti Lacedaemonii sunt, vt urbem et tecta linquerent, armatique in agro excubarent, quod terrae motus instaret, tum, cum et vrbs tota corruit, et ex monte Taygeto extrema montis quasi puppis autulsa est.

Nec vero vnquam animus hominis naturaliter diuinat, nisi cum ita solutus est et vacuus, vt ei plane nihil sit cum corpore; quod aut vaticibus contingit, aut dormientibus.

Ergo et ii, quorum animi, spretis corporibus, euolant atque excurrunt foras ardore aliquo inflammati atque incitati, cernunt illa profecto, quae vaticinantes praenuntiant: multisque rebus inflammantur tales animi, qui corporibus non inhaerent; — quorum furibunda mens videt ante multo, quae futura sunt.

51. Atque haec quidem vatum ratio est: nec dissimilis sane somniorum. Nam quae vigilantibus accidunt vatis, eadem nobis dormientibus. Viget enim animus in somnis, liberque sensibus ac omni impeditioe curarum, iacente et mortuo pae- ne corpore. Qui quia vixit ab omni aeternitate, versatusque est cum innumerabilibus animis, omnia, quae in natura rerum sunt, videt, si modo temperatis escis modicisque potionibus ita est affectus, vt sopito corpore ipse vigilet. Haec somniantis est diuinatio.

---

53. Vt igitur, qui se tradet quieti, praeparato animo cum bonis cogitationibus, tum rebus ad tranquillitatem accommodatis, certa et vera cernit in somnis, sic castus animus purusque vigilantis, et ad astrorum, et ad auium reliquorumque signorum, et ad extorum veritatem est paratior.

---

54. Hoc nimirum est illud, quod de Socrate accepimus, quodque ab ipso in libris Socraticorum saepe dicitur, esse diuinum quiddam, quod daemonion appellat, cui semper ipse paruerit, nunquam impellenti, saepe reuocanti. — Scriptum est item, cum Critonis, sui familiaris, oculum alligatum vidisset, quaesiuisse, quid esset: cum autem ille respondisset, in agro ambulanti ramulum adductum, vt remissus esset, in oculum suum recidis- se; tum Socrates: Non enim paruisti mihi reuocanti, cum vterer, qua soleo, praesagitione diuina. — Permulta collecta sunt ab Antipatro, quae mirabiliter a Socrate diuinata sunt, quae

praetermittam. Tibi enim nota sunt: mihi ad commemorandum non necessaria. Illud tamen eius philosophi magnificum ac paene diuinum, quod, cum impiis sententiis damnatus esset, aequissimo animo se dixit mori. Neque enim domo egredienti, neque illud suggestum, in quo causam dixerat, ascendenti, signum sibi vllum, quod consuesset, a Deo, quasi mali alicuius impendentis, datum.

---

55. Equidem sic arbitror, etiamsi multa fallant eos, qui aut arte, aut coniectura diuinare videantur, esse tamen diuinationem: homines autem, vt in ceteris artibus, sic in hac posse falli. Potest accidere, vt aliquod signum dubie datum pro certo sit acceptum: potest aliquod latuisse aut ipsum, aut quod esset illi contrarium. — Fieri igitur omnia fato, ratio cogit fateri. Fatum autem id appello, quod Graeci *εἰμαρμένην*, id est, ordinem seriemque causarum, cum causa causae nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni aeternitate fluens veritas sempiterna. Quod cum ita sit, nihil est factum, quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cuius non causas, id ipsum efficientes, natura contineat. Ex quo intelligitur, vt fatum sit non id, quod superstitione, sed id, quod physice dicitur, causa aeterna rerum, cur et ea, quae praeterierunt, facta sint, et, quae instant, fiant, et, quae sequuntur, futura sint. Ita fit, vt obseruatione notari possit, quae res quamque causam plerumque consequatur, etiamsi non semper. Nam id quidem affirmare difficile est. Easdemque causas verisimile est rerum futurarum

cerni ab iis, qui aut per furorem eas aut in quiete videant.

---

56. Praeterea cum fato omnia fiant (id quod alio loco ostendetur) si quis mortalis possit esse, qui colligationem causarum omnium perspiciat animo, nihil eum profecto fallat. Qui enim teneat causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quae futura sint. Quod cum nemo facere, nisi deus, possit; relinquendum est homini, ut signis quibusdam, consequentia declarantibus, futura praesentiat. — Quod et ii vident, quibus naturalis diuinitio data est: et ii, quibus cursus rerum observando notatus est. Qui etsi causas ipsas non cernunt, signa tamen causarum et notas cernunt: ad quas, adhibita memoria et diligentia, ex monumentis superiorum efficitur ea diuinitio, quae artificiosa dicitur. — Atque ut in seminibus vis inest earum rerum, quae ex iis progignuntur; sic in causis conditae sunt res futurae, quas esse futuras aut concitata mens, aut soluta somno, cernit: aut ratio, aut coniectura praesentit.

---

57. A natura autem alia quaedam ratio est: quae docet, quanta sit animi vis seiuncta a corporis sensibus: quod maxime contingit aut dormientibus, aut mente permotis. Ut enim deorum animi sine oculis, sine auribus, sine lingua sentiunt inter se, quid quisque sentiat: ex quo fit, ut homines, etiam cum taciti optent quid, aut voueant, non dubitent, quin dii illud exaudiant: sic animi hominum, cum aut somno soluti vacant

corpore, aut ante permoti per se ipsi liberi incitati mouentur, cernunt ea, quae permisti cum corpore animi videre non possunt. — Etenim **Ceos** accepimus ortum caniculae diligenter quotannis solere seruare, coniecturamque capere, vt scribit Ponticus Heraclides, salubrisne an pestilens annus futurus sit. Nam si obscurior et quasi caliginosa stella exstiterit, pingue et concretum esse coelum, vt eius adspiratio grauis et pestilens futura sit: sin illustris et perlucida stella apparuerit, significari coelum esse tenue purumque et propterea salubre. — Quae si a natura profecta observatio atque vsus agnouit; multa afferre potuit dies, quae animaduertendo notarentur. Quid est igitur, cur, cum domus sit omnium vna, eaque communis, cumque animi hominum semper fuerint futuri que sint, cur ii, quid ex quoque eueniat, et quid quamque rem significet, perspicere non possint?

---

Cic. de diuinat. II, 3. Etenim ad aegros non vates, aut hariolos, sed medicos solemns adducere.

---

5. Num igitur, aut quae tempestas impendeat, vates melius coniiciet, quam gubernator; aut morbi naturam acutius, quam medicus; aut belli administrationem prudentius, quam imperator, coniectura assequetur?

Sed, animaduerti, Quinte, te caute et ab iis coniecturis, quae haberent artem atque prudentiam, et ab iis rebus, quae sensibus aut artificijs perciperentur, abducere diuinationem, eamque ita definire: **Diuinationem** esse earum rerum prae-

dictionem et praesensionem, quae essent fortuitae, Primum eodem reuolueris. Nam et medici, et gubernatoris, et imperatoris praesensio est rerum fortuitarum. Num igitur aut haruspex, aut augur, aut vates quis, aut somnians melius coniecerit, aut e morbo euasurum aegrotum, aut e periculo nauem, aut ex insidiis exercitum; quam medicus, quam gubernator, quam imperator?

---

6. Medicus morbum ingrauescentem ratione prouidet, insidias imperator, tempestates gubernator; et tamen hi ipsi saepe falluntur, qui nihil sine certa ratione opinantur. — Quodsi falluntur ii, qui nihil sine aliqua probabili coniectura ac ratione dicunt: quid existimandum est de coniectura eorum, qui extis, aut auibus, aut ostentis, aut oraculis, aut somniis futura praesentiunt?

---

9. Atque ego ne vtilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. Quae enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos euentus senectutis esset habiturus? — Certe igitur ignoratio futurorum malorum vtilior est quam scientia.

---

14. Nonne pudet physicos haec dicere? Vt enim iam sit aliqua in natura rerum cognatio, quam esse concedo; multa enim Stoici colligunt. Nam et musculorum iecuscula bruma dicuntur augeri et pulegium aridum florescere ipso brumali die, et inflatas rumpi vesiculas, et semina malo-

rum, quae in iis mediis inclusa sint, in contrarias partes se vertere: iam nervos in fidibus aliis pulsibus resonare alios: ostreisque et conchyliis omnibus contingere, ut cum luna pariter crescant pariterque decrescant: arboresque ut hiemali tempore, cum luna simul senescentes, quia tum exsiccatae sint, tempestive caedi putentur. Quid de fretis, aut de marinis aestibus plura dicam? quorum accessus et recessus lunae motu gubernantur. Sexcenta licet eiusmodi proferri, ut distantium rerum cognatio naturalis appareat.

---

16. Dum haruspicinam veram esse vultis, physiologiam totam peruertitis. — Non ergo omnium interitus atque obitus natura conficiet: et erit aliquid, quod aut ex nihilo oriatur, aut in nihilum subito occidat. Quis hoc physicus dixit unquam? Haruspices dicunt. His igitur, quam physicis, potius credendum existimas?

---

20. Quasi ego aut fieri concederem, aut esset philosophi, causam cur quidque fieret, non quaerere. Et eo quidem loco et prognostica nostra pronuntiabas, et genera herbarum, scammo-  
neam aristolochiamque radicem, quarum causam ignorares, vim et effectum videres.

---

25. Quae est enim ista a diis profecta significatio, et quasi denuntiatio calamitatum? quid autem volunt ea dii immortales primum significantes, quae sine interpretibus non possimus intelli-

gere: deinde ea, quae cauere nequeamus. At hoc ne homines quidem probi faciunt, ut amicis impendentes calamitates praedicant, quas illi effugere nullo modo possint: ut medici, quanquam intelligunt saepe, tamen nunquam aegris dicunt illo morbo eos esse morituros. Omnis enim praedictio mali tum probatur, cum ad praedictionem cautio adiungitur.

---

27. Sanguinem pluisse, senatui nuntiatum est, atratum etiam fluuium fluxisse sanguine; deorum sudasse simulacra: num censes his nuntiis Thalen, aut Anaxagoran, aut quenquam physicum crediturum fuisse? Nec enim sanguis, nec sudor, nisi e corpore est. Sed et decoloratio quaedam ex aliqua contagione terrena maxime potest sanguini similis esse, et humor allapsus extrinsecus, ut in tectoriis videmus austro, sudorem imitari.

---

28. An vero illa nos terrent, si quando aliqua portentosa aut ex pecude aut ex homine nata dicuntur? quorum omnium, ne sim longior, vna ratio est. Quidquid enim oritur, qualecunque est, causam habeat a natura necesse est: ut etiam si praeter consuetudinem exstiterit, praeter naturam tamen non possit existere. Causam igitur inuestigato in re noua atque admirabili, si potes. Si nullam reperies: illud tamen exploratum habeto, nihil fieri potuisse sine causa: eumque errorem, quem tibi rei nouitas attulerit, naturae ratione depellito. Ita te nec terrae fremitus, nec coeli discessus, nec lapideus, aut sanguineus imber, nec traiectio stellae, nec faces visae terre-

bunt. Quarum omnium causas si a Chrysippo quaeram, ipse ille diuinationis auctor nunquam illa dicet facta fortuito, naturalemque rationem omnium reddet. Nihil enim fieri sine causa potest: nec quicquam fit, quod fieri non potest. Nec, si id factum est, quod potuit fieri, portentum debet videri. Nulla igitur portenta sunt. Nam si, quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse, portentum est. Saepius enim mulam peperisse arbitror, quam sapientem fuisse.

---

29. Ego tamen miror, si emissio foeminae anguis mortem afferebat T. Graccho; emissio autem maris anguis erat mortifera Corneliae, cur alterutram emisit. Nihil enim scribit respondisse haruspices, si neuter anguis emissus esset, quid esset futurum. At mors insecuta Gracchum est. Causa quidem, credo, aliqua morbi grauioris, non emissionem serpentis.

---

40. Cum M. Crassus exercitum Brundisii imponeret, quidam in portu caricas Cauno aduectas vendens, Cauneas, clamitabat. Dicamus, si placeat, monitum ab eo Crassum, cauere, ne iret: non fuisse periturum, si omni paruisset. Quae si suscipiamus, pedis offensio nobis, et abruptio corrigiae et sternutamenta erunt obseruanda.

---

44. Quid? cum dicunt id, quod iis dicere necesse est, omnes omnium ortus, quicumque gignantur in omni terra, quae incolatur, eosdem

esse, eademque omnibus, qui eodem statu coeli et stellarum nati sunt, accidere necesse esse: nonne eiusmodi sunt, ut ne coeli quidem naturam interpretes istos coeli nosse appareat? Cum enim illi orbes, qui coelum quasi medium diuidunt, et ad spectum nostrum definiunt, a Graecis *ὀρίζοντες* nominantur, a nobis finientes rectissime nominari possunt, varietatem maximam habeant, alique in aliis locis sint, necesse est, ortus occasusque siderum non fieri eodem tempore apud omnes. Quod si eorum vi coelum modo hoc, modo illo modo temperatur: qui potest eadem vis esse nascentium, cum coeli tanta sit dissimilitudo? In his locis, quae nos incolimus, post solstitium Canicula exoritur, et quidem aliquot diebus: apud Troglodytas, ut scribitur, ante solstitium: ut, si iam concedamus aliquid, vim coelestem ad eos, qui in terra gignuntur, pertinere, confitendum sit illis, eos, qui nascuntur eodem tempore, posse in dissimiles incidere naturas propter coeli dissimilitudinem. Quod minime illis placet. Volunt enim illi, omnes eodem tempore ortos, qui vbique sint nati, eadem conditione nasci.

---

45. Haec igitur cum sit tum serenitas tum perturbatio coeli, estne sanorum hominum, hoc ad nascentium ortus pertinere non dicere: quod non certe pertinet: illud nescio quid tenue, quod sentiri nullo modo, intelligi autem vix potest, quae a luna, ceterisque sideribus coeli temperatio fiat, dicere ad puerorum ortus pertinere? Quid? quod non intelligunt, seminum vim, quae ad gignendum procreandumque plurimum valeat, funditus

tolli, mediocris erroris est? Quis enim non videt, et formas, et mores, et plerosque status ac motus effingere a parentibus liberos? quod non contingeret, si hoc non vis et natura gignentium efficeret, sed temperatio lunae coelique moderatio. Quid? quod vno et eodem temporis puncto nati dissimiles et naturas, et vitas, et casus habent: parumne declarant, nihil ad agendam vitam nascendi tempus pertinere? nisi forte putamus neminem eodem tempore ipso et conceptum, et natum, quo Africanum. Num quis igitur talis fuit?

---

46. Quid? illudne dubium est, quin multi, cum ita nati essent, vt quaedam contra naturam deprauata haberent, restituerentur et corrigerentur ab natura, cum se ipsa reuocasset, aut arte, aut medicina? aut quorum linguae sic inhaerent, vt loqui non possent, eae scalpello resectae liberarentur? Multi etiam naturae vitium meditatione atque exercitatione sustulerunt; vt Demosthenem scribit Phalereus, cum RHO dicere nequiret, exercitatione fecisse, vt planissime diceret. Quod si haec astro ingenerata et tradita essent, nulla res ea mutare posset. Quid? dissimilitudo locorum nonne dissimiles hominum procreationes habet? quas quidem percurrere oratione facile est: quid inter Indos et Persas, Aethiopas et Syros differat, corporibus, animis; vt incredibilis varietas dissimilitudoque sit. Ex quo intelligitur, plus terrarum situs, quam lunae tractus ad nascendum valere.

---

47. Ego autem etiam hoc requiro, omnesne, qui Cannensi pugna ceciderunt, vno astro (orti) fuerint. Exitus quidem omnium vnus et idem fuit. Quid? qui ingenio atque animo singulares, num astro quoque vno? quod enim tempus, quo non innumerabiles nascantur? at certe **similis nemo Homeri**. Et, si ad rem pertinet, quo modo coelo affecto, compositisque sideribus quodque animal oriatur: valeat id necesse est etiam in rebus inanimis. Quo quid dici potest absurdius?

---

48. Restant duo diuinandi genera: quae habere dicimur a natura, non ab arte; vaticinandi et somniandi. De quibus, Quinte, inquam, si placet, disseramus. Mihi vero, inquit, placet. His enim, quae adhuc disputasti, prorsus assentior. — Non ignoro, inquam, Quinte, te semper ita sensisse, vt de ceteris diuinandi generibus dubitares: ista duo, furoris et somnii, quae a libera mente fluere viderentur, probares.

---

51. Sequitur porro, **Nihil deos ignorare, quod omnia sint ab iis constituta**. Hic vero quanta pugna est doctissimorum hominum, negantium esse haec a diis immortalibus constituta? At nostra interest scire, ea quae euentura sint. Magnus Dicaearchi liber est, nescire ea melius esse, quam scire.

---

52. Veniamus nunc ad optimum virum, familiarem nostrum, Cratippum; si sine oculis, in-

quit, non potest exstare officium et munus oculorum; possunt autem aliquando oculi non fungi suo munere: qui vel semel ita est vsus oculis, vt vera cerneret, is habet sensum oculorum vera cernentium.

---

53. Oculi enim vera cernentes, vtuntur natura atque sensu: animi si quando vel vaticinando vel somniando vera viderunt, vsi sunt fortuna atque casu. Nisi forte concessuros tibi existimas eos, qui somnia pro somniis habent, si quando aliquod somnium verum euaserit, non id fortuito accidisse.

---

55. Ille autem Graecus quid mirum, si magnitudine timoris, vt plerumque fit, a constantia, atque a mente, atque a se ipse discessit? qua perturbatione animi, quae, sanus cum esset, timebat ne euenirent, ea demens euentura esse dicebat.

---

58. Similis est error in somniis: quorum quidem defensio repetita quam longe est? Diuinos animos censent esse nostros, eosque esse tractos extrinsecus, animorumque consentientium multitudine completum esse mundum: hac igitur mentis, et ipsius diuinitate et coniunctione cum externis mentibus, cerni quae sint futura. Contrahi autem animum Zeno, et quasi labi putat atque concidere, et ipsum esse dormire. Iam Pythagoras et Plato, locupletissimi auctores, quo in

somnis certiora videamus, praeparatos quodam cultu atque victu proficisci ad dormiendum iubent. Faba quidem Pythagorei utique abstinuere: quasi vero eo cibo mens, non venter infletur. Sed nescio quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum. Vtrum igitur censemus dormientium animos per se ne ipsos in somniando moueri, an, ut Democritus censet, externa et aduenticia visione pulsari? Siue enim sic est, siue illo modo, videri possunt permulta somniantibus falsa pro veris. Nam et nauigantibus moueri videntur ea, quae stant: et quodam obtutu oculorum duo pro vno lucernae lumina. Quid dicam, insanis, quid, ebriis quam multa falsa videantur? Quod si eiusmodi visis credendum non est, cur somniis credatur, nescio. Nam tam licet de his erroribus, si velis, quam de somniis disputare.

---

59. Iam ex insanorum aut ebriorum visis innumerabilia coniectura trahi possunt, quae futura videantur. Quis est enim, qui totum diem iaculans non aliquando collineet? Totas noctes dormimus, neque vlla fere est, qua non somniemus: et miramur, aliquando id, quod somniarimus, euadere? Quid est tam incertum, quam talorum iactus? Tamen nemo est, quin saepe iactans Venerium iaciat aliquando, nonnunquam etiam iterum, ac tertium. Num igitur, ut inepti, Veneris id fieri impulsu malumus, quam casu dicere? Quod si ceteris temporibus falsis visis credendum non est; non video, quid praecipui somnus habeat, in quo valeant falsa pro veris. Quod si ita natura

paratum esset, ut ea dormientes agerent, quae somniarent: alligandi omnes essent, qui cubitum irent. Maiores enim, quam ulli insani, efficerent motus somniantes. Quod si insanorum visis fides non est habenda; quia falsa sunt; cur credatur somniantium visis, quae multo etiam perturbatiora sunt, non intelligo. An, quod insani sua visa coniectori non narrant, narrant qui somniauerunt? — Qui igitur conuenit, aegros a coniectore somniorum potius, quam a medico, petere medicinam? An Aesculapius, an Serapis potest nobis praescribere per somnium curationem valetudinis; Neptunus gubernantibus non potest? Et sine medico medicinam dabit Minerua? Musae scribendi, legendi, ceterarum artium scientiam somniantibus non dabunt? At si curatio daretur valetudinis, haec quoque, quae dixi, darentur. Quae quoniam non dantur, medicina non datur. Qua sublata, tollitur omnis auctoritas somniorum.

---

60. Sed haec quoque in promptu fuerint: nunc interiora videamus. Aut enim diuina vis quaedam, consulens nobis, somniorum significationes facit: aut coniectores ex quadam conuenientia et coniunctione naturae, quam vocant *συμπάθειαν*, quid cuique rei conueniat, ex somniis, et quid quamque rem sequatur, intelligunt: aut eorum neutrum est, sed quaedam observatio constans atque diuturna est, cum quid visum secundum quietem sit, quid euenire et quid sequi soleat. — Quotus igitur est quisque, qui somniis pareat? qui intelligat? qui meminerit? quam multi vero, qui contempnant, eamque superstitionem im-

becilli animi atque anilis putent? Quid est igitur, cur his hominibus consulens deus, somniis moneat eos, qui illa non modo cura, sed ne memoria quidem digna ducant? Nec enim ignorare deus potest, qua mente quisque sit: nec frustra ac sine causa quid facere, dignum deo est: quod abhorret etiam ab hominis constantia. Ita si pleraque somnia aut ignorantur, aut negliguntur, aut nescit hoc deus, aut frustra somniorum significatione utitur. Sed horum neutrum in deum cadit. Nihil igitur a deo somniis significari fatendum est.

---

61. Illud etiam requiro, cur, si deus ista visa nobis providendi causa dat, non vigilantibus potius det, quam dormientibus. Siue enim externus et aduenticius pulsus animos dormientium commouet, siue per se ipsi animi mouentur, siue quae causa alia est, cur secundum quietem aliquid videre, audire, agere videamur, eadem causa vigilantibus esse poterat: idque si nostra causa dii secundum quietem facerent, vigilantibus idem facerent; praesertim cum Chrysippus, Academicos refellens, permulto clariora et certiora esse dicat, quae vigilantibus videantur, quam quae somniantibus. Fuit igitur diuina beneficentia dignius, cum consulerent nobis, clariora visa dare vigilantibus, quam obscuriora per somnium; quod quoniam non fit, somnia diuina putanda non sunt. Iam vero quid opus est circuitione et anfractu, ut sit utendum interpretibus somniorum potius, quam directo? Deus si quidem nobis consulebat, Hoc facito, Hoc ne feceris, diceret, idque visum vigilantibus potius, quam dormienti daret: iam vero quis dicere

audeat, vera omnia esse somnia? Aliquot somnia vera, inquit Ennius, sed omnia non est necesse.

---

62. Naturam autem eam dico, qua nunquam animus insistens, agitatione et motu esse vacuus potest. Is cum languore corporis, nec membris vti, nec sensibus potest, incidit in visa varia et incerta ex reliquiis, vt ait Aristoteles, inhaerentibus earum rerum, quas vigilans gesserit aut cogitarit, quarum perturbatione mirabiles interdum existunt species somniorum.

---

63. Venit enim iam in contentionem, vtrum sit probabilius, deosne immortales, rerum omnium praestantia excellentes, concursare omnium mortalium, qui vbiq; sunt, non modo lectos, verum etiam grabatos, et, cum stertentes aliquos viderint, obiicere his visa quaedam tortuosa et obscura, quae illi exterriti somnio ad coniectorem mane deferant; an natura fieri, vt mobiliter animus agitato, quod vigilans viderit, dormiens videre videatur. Vtrum philosophia dignius, sagarum superstitione ista interpretari, an explicatione naturae? vt, si iam fieri possit coniectura vera somniorum, tamen isti, qui profitentur, eam facere non possint: ex leuissimo enim et indoctissimo genere constant. — Chrysippus quidem diuinationem definit his verbis: vim cognoscentem et videntem et explicantem signa, quae a diis hominibus portendantur: officium autem esse eius, praenosceri, dei erga homines mente qua sint, quidque significant, quemad-

modumque ea procurentur atque expientur. Idemque somniorum coniectionem definit hoc modo: esse vim cernentem et explanantem, quae a diis hominibus significantur in somnis. Quid ergo, ad haec mediocri opus est prudentia, an et ingenio praestanti et eruditione perfecta? Talem autem cognouimus neminem.

---

64. Iam vero quo pertinent obscuritates et aenigmata somniorum? Intelligi enim a nobis dii velle debebant ea, quae nostra causa nos moneant. — Quid me igitur mones? Vt si quis medicus aegroto imperet, utumat

Terrigenam, herbigradam, domi- portam,  
sanguine cassam,

potius, quam hominum more, cochleam, dicere.

---

66. Ad aperta et clara veniamus, quale est etiam de Alexandro: quod a te praeteritum esse miror: qui, cum Ptolemaeus, familiaris eius, in praelio telo venenato ictus esset, eoque vulnere summo cum dolore moreretur; Alexander assidens, somno est consopitus. Tum secundum quietem visus ei dicitur draco is, quem mater Olympias alebat, radiculam ore ferre et simul dicere, quo illa loci nasceretur, (neque is longe aberat ab eo loco) eius autem esse vim tantam, ut Ptolemaeum facile sanaret. Cum Alexander experrectus narrasset amicis somnium, emisisse qui illam radiculam quaerere; qua inuenta, et Ptolemaeus sa-

natus dicitur, et multi milites, qui erant eodem genere teli vulnerati.

---

67. Omnium somniorum, Quinte, vna ratio est; quae, per deos immortales! videamus ne nostra superstitione et deprauatione superetur. — Plena sunt imaginum omnia. — Nulla enim species cogitari potest, nisi pulsu imaginum. — Omnia igitur, quae volumus, nota nobis esse possunt. Nihil est enim, de quo cogitare nequeamus. Nullae ergo imagines obrepunt in animos dormientium extrinsecus, nec omnino fluunt illae: nec cognoui quenquam, qui maiore auctoritate nihil diceret. Animorum est ea vis, eaque natura, vt vigeant vigilantes, nullo aduenticio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cum sustinentur membris, et corpore, et sensibus omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt. Cum autem haec subtracta sunt, desertusque est animus languore corporis, tum agitur ipse per sese. Itaque in eo et formae versantur, et actiones: et multa audiri, multa dici videntur. Haec scilicet in imbecillo remissoque animo, multa omnibus modis confusa et variata versantur, maximeque reliquiae earum rerum mouentur in animis et agitantur, de quibus vigilantes aut cogitauimus, aut egimus.

---

68. An tu censes vllam anum tam deliram futuram fuisse, vt somniis crederet, nisi ista casu nonnunquam, forte temere concurrerent? — Nunc quidem propter intermissionem forensis operae et lucubrationes detraxi, et meridiationes addidi,

quibus vti antea non solebam : nec tam multum dormiens, vlllo somnio sum admonitus, tantis praesertim de rebus : nec mihi magis vsquam videor, quam cum aut in foro magistratus, aut in curia senatum video, somniare.

---

69. Medici ex quibusdam rebus et aduenientes et crescentes morbos intelligunt : nonnullae etiam valetudinis significationes, vt hoc ipsum, pleni enectiue simus, ex quodam genere somniorum intelligi posse dicuntur. — Dicitur quidam, cum in somnis complexu Venereo iungeretur, calculos eiecisse. Video sympathiam. Visum est enim tale obiectum dormienti, vt id, quod euenit, naturae vis, non opinio erroris effecerit.

---

70. Quid? ipsorum interpretum coniecturae, nonne magis ingenia declarant eorum, quam vim consensumque naturae? — Parere quaedam matrona cupiens, dubitans essetne praegnans, visa est in quiete obsignatam habere naturam. Retulit. Negauit eam, quoniam obsignata fuisset, concipere potuisse. At alter, praegnantem esse dixit. Nam inane obsignari nihil solere. Quae est ista ars coniectoris, eludentis ingenio? An ea, quae dixi, et innumerabilia, quae collecta habent Stoici, quidquam significant, nisi acumen hominum, ex similitudine aliqua, coniecturam modo huc, modo illuc ducentium? Medici signa quaedam habent ex venis et ex spiritu aegroti : multisque ex aliis futura praesentiunt. — Haec ratione explicari, et ad naturam facile reuocari possunt : ea vero quae paullo ante dixi, nullo modo.

---

71. At enim observatio diuturna, (haec enim pars vna restat) notandis rebus fecit artem. An tandem somnia observari possunt? Quonam modo? Sunt enim innumerabiles varietates. Nihil tam praepostere, tam incondite, tam monstruose cogitari potest, quod non possimus somniare. Quo modo igitur haec infinita et semper nova aut memoria complecti, aut observando notare possumus? — Cedo tandem, qui sit ordo, aut quae concursatio somniorum? Quo modo autem distingui possunt vera somnia a falsis, cum eadem et aliis aliter euadant, et iisdem non semper eodem modo? — Si igitur neque deus est effector somniorum, neque naturae societas vlla cum somniis, neque observatione inueniri potuit scientia: effectum est, vt nihil prorsus somniis tribuendum sit; praesertim cum illi ipsi, qui ea vident, nihil diuinent; ii, qui interpretantur, coniecturam adhibeant, non naturam: casus autem innumerabilibus paene seculis in omnibus plura mirabilia, quam in somniorum visis effecerit: neque coniectura, quae in varias partes duci potest, nonnunquam etiam in contrarias, quidquam sit incertius.

72. Explodatur haec quoque somniorum divinatio pariter cum ceteris. Nam vt vere loquamur, superstitio fusa per gentes, oppressit omnium fere animos, atque hominum imbecillitatem occupavit. — Perfugium videtur omnium laborum et sollicitudinum esse somnus. At ex eo ipso plurimae curae metusque nascuntur. Qui quidem ipsi per se minus valerent et magis contemnerentur, nisi somniorum patrocinium philosophi susce-

pissent, nec ii quidem contemptissimi, sed in primis acuti, et consequentia et repugnantia videntes: qui prope iam absoluti et perfecti putantur.

Cic. de Fato, 3. Consideramus hic: quorum in aliis, vt in Antipatro poëta, vt in brumali die natis, vt in simul aegrotantibus fratribus, vt in vrina, vt in vnguibus, vt in reliquis eiusmodi, naturae contagio valet: quam ego non tollo: vis est nulla fatalis.

4. Inter locorum naturas quantum intersit, videmus: alios esse salubres, alios pestilentes: in aliis esse pituitosos, et quasi redundantes, in aliis exsiccatos atque aridos: multaque sunt alia, quae inter locum et locum plurimum differunt. Athenis tenue coelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis; itaque pingues Thebani et valentes. Tamen neque illud tenue coelum efficiet, vt aut Zenonem quis, aut Arcesilam, aut Theophrastum audiat; neque crassum, vt Nemea potius, quam Isthmo victoriam petat. Diiunge longius. Quid enim loci natura afferre potest, vt in porticu Pompeii potius, quam in campo ambulemus? tecum, quam cum alio? Idibus potius, quam Kalendis? Vt igitur ad quasdam res natura loci pertinet aliquid, ad quasdam autem nihil: sic affectio astrorum valeat, si vis, ad quasdam res; ad omnes certe non valebit. At enim quoniam in naturis hominum dissimilitudines sunt, vt alios dulcia, alios subamara delectent; alii libidinosi, alii iracundi, aut crudeles, aut superbi sint; alii

talibus vitiis abhorreant: quoniam igitur, inquit, tantum natura a natura distat, quid mirum est, has dissimilitudines ex differentibus causis esse factas?

---

5. Haec disserens, qua de re agatur, et in quo causa consistat, non videt. Non enim si alii ad alia propensiores sint propter causas naturales et antecedentes, idcirco etiam nostrarum voluntatum atque appetitionum sunt causae naturales et antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet. Nunc vero fatemur, acuti, hebetesne; valentes, imbecilline simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut sedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis esse; is non videt, quae quamque rem res consequatur. Ut enim et ingeniosi et tardi ita nascantur antecedentibus causis, itemque valentes et imbecilli: non sequitur tamen, ut etiam sedere, et ambulare, et rem agere aliquam, principalibus causis definitum et constitutum sit. Stilponem, Megareum philosophum, acutum sane hominem et probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares et ebriosum et mulierosum fuisse: neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam et compressam esse doctrina, ut nemo unquam violentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem nonne legimus, quemadmodum notarit Zopyrus, physignomon, qui se profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? stupidum esse Socratem dixit, et bardum, quod iugula

concaua non haberet: obstructas eas partes et obturatas esse dicebat: addidit etiam, mulierosum: in quo Alcibiades cachinum dicitur sustulisse. Sed haec ex naturalibus causis vitia nasci possunt: extirpari autem et funditus tolli, vt is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis auocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina. Quae tolluntur omnia, si vis et natura fati ex diuinationis ratione firmabitur.

---

6. Sunt igitur astrologorum percepta huiusmodi: Si quis, verbi causa, oriente Canicula natus est, is in mari non morietur. Vigila, Chrysippe, ne tuam causam, in qua tibi cum Diodoro, valente dialectico, magna luctatio est, deseras. Si enim verum est, quod ita connectitur, si quis oriente Canicula natus est, in mari non morietur: illud quoque verum est, si Fabius oriente Canicula natus est, Fabius in mari non morietur.

---

7. Etenim si illud vere connectitur, si oriente Canicula natus es, in mari non morieris: primumque, quod in connexo, Natus es oriente Canicula, necessarium est: (omnia enim vera in praeteritis, necessaria sunt, vt Chrysippo placet, dissentienti a magistro Cleanthe, quia sunt immutabilia, nec in falsum e vero praeterita possunt conuertere :) si igitur quod primum in connexo est, necessarium est: fit etiam quod consequitur, necessarium. Quanquam hoc Chrysippo non videtur valere in omnibus. Sed tamen, si naturalis est causa, cur in mari Fabius non moriatur, in mari Fabius mori non potest.

---

8. Quaero enim, si Chaldaei ita loquantur, vt negationes infinitarum coniunctionum potius, quam infinita connexa ponant: cur idem medici — facere non possint? Medicus imprimis, quod erit ei perspectum in arte, non ita proponet: Si cui venae sic mouentur, is habet febrem: sed potius illo modo, Non ei venae sic mouentur, et febrem is non habet.

9. Vt in eo, qui mortifero morbo vrgeatur, verum sit; Hic morietur hoc morbo: at hoc idem si vere dicatur in eo, in quo vis morbi tanta non appareat, nihilo minus futurum sit. Ita fit, vt commutatio ex vero in falsum ne in futuro quidem vlla fieri possit. Nam, Morietur Scipio, talem vim habet, vt, quanquam de futuro dicitur, tamen vt id non possit conuertere in falsum. De homine enim dicitur, cui necesse est mori. Sic si diceretur, Morietur noctu in cubiculo suo Scipio vi oppressus, vere diceretur. Id enim fore diceretur, quod esset futurum: futurum autem fuisse, ex eo, quia factum est, intelligi debet. Nec magis erat verum, Morietur Scipio, quam Morietur illo modo: nec minus necesse mori Scipionem, quam illo modo mori: nec magis immutabile ex vero in falsum, Necatus est Scipio, quam, Necabitur Scipio: nec cum haec ita sint, est causa, cur Epicurus fatum extimescat. — Ita et semper verum fuit, Morietur Epicurus, cum duo et septuaginta annos vixerit, Archonte Pytharato; neque tamen erant causae fatales, cur ita accideret: sed quod ita cecidisset, certe casurum, sicut cecidit, fuit. Nec ii, qui dicunt immutabilia esse, quae futura sint, nec

posse verum futurum conuertere in falsum, fati necessitatem confirmant, sed verborum vim interpretantur. At, qui introducunt causarum seriem sempiternam, ii mentem hominis voluntate libera spoliata, necessitate fati deuinciunt.

---

11. Similiter ad animorum motus voluntarios non est requirenda externa causa. Motus enim voluntarius eam naturam in seipso continet, vt sit in nostra potestate, nobisque pareat: nec id sine causa. Eius enim rei causa ipsa natura est.

---

12. Nec nos impedit illa ignaua ratio, quae dicitur. Appellatur enim quidam a philosophis ἀργὸς λόγος, cui si pareamus, nihil omnino agamus in vita. Sic enim interrogant: Si fatum tibi est, ex hoc morbo conualescere; siue medicum adhibueris, siue non adhibueris, conualesces. Item, si fatum tibi est, ex hoc morbo non conualescere; siue tu medicum adhibueris, siue non adhibueris, non conualesces. Et alterutrum fatum est. Medicum ergo adhibere nihil attinet.

---

13. Si ex aeternitate verum hoc fuit: Ex isto morbo conualesces; siue adhibueris medicum, siue non, conualesces. Itemque, Si ex aeternitate hoc falsum fuit, Ex isto morbo non conualesces; siue adhibueris medicum, siue non adhibueris, non conualesces. — Haec ratio a Chrysippo reprehenditur. Quaedam enim sunt, inquit, in rebus simplicia, quaedam copulata. Simplex est,

Morietur eo die Socrates. Huic, siue quid fecerit, siue non fecerit, finitus est moriendi dies. At si ita fatum sit, Nascetur Oedipus Laio: non poterit dici, siue fuerit Laius cum muliere, siue non fuerit. Copulata enim res est et confatalis. Sic enim appellat: quia ita fatum sit et concubiturum cum vxore Laium, et ex ea Oedipum procreaturum. — Omnes igitur istius generis captiones eodem modo refelluntur: siue tu adhibueris medicum, siue non adhibueris, conualesces: captiosum. Tam enim est fatale, medicum adhibere, quam conualescere. Haec vt dixi, confatalia ille appellat.

15. **Causa** autem ea est, quae id efficit, cuius est causa; vt vulnus, mortis; cruditas, morbi; ignis, ardoris. Itaque non sic causa intelligi debet; vt, quod cuique antecedit, id ei causa sit, sed quod cuique efficienter antecedit.

Cic. de leg. I, 5. Ego vero aetatis potius vacationi confidebam, cum praesertim non recusarem, quo minus more patrio sedens in solio consulentibus responderem, senectutisque non inertis grato atque honesto fungerer munere.

5. Sic nos inter has procerissimas populos, in viridi opacaque ripa inambulantes, tum autem residentes, quaeramus iisdem de rebus aliquid vberius. — Nam sic habetote, nullo in genere disputandi magis honeste patefieri, quid sit homini

tributum natura, quantam vim rerum optimarum mens humana contineat, cuius muneris colendi efficiendique causa nati et in lucem editi simus, quae sit coniunctio hominum, quae naturalis societas inter ipsos. —

7. Animal hoc prouidum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii, quem vocamus **Hominem**, praeclara quadam conditione generatum esse a supremo Deo. Solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis et cogitationis, cum cetera sint omnia expertia. Quid est autem, non dicam in homine, sed in omni coelo atque terra, ratione diuinius? quae cum adoleuit atque perfecta est, nominatur rite **Sapientia**.

8. Nam cum de natura omni quaeritur, disputari solet (et nimirum ita sunt ut disputantur) perpetuis cursibus, conuersionibus coelestibus existisse quandam maturitatem serendi generis humani; quod sparsum in terras, atque satum, diuino auctum sit animorum munere. Cumque alia, quibus cohaerent homines, e mortali genere sumpserint, quae fragilia essent et caduca; animum tamen esse ingeneratum a deo: ex quo vere vel agnatio nobis cum coelestibus, vel genus, vel stirps appellari potest. Itaque ex tot generibus nullum est animal, praeter hominem, quod habeat notitiam aliquam dei: ipsisque in hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quae non, etiamsi ignoret, qualem habere deum deceat, ta-

men habendum sciat. Ex quo efficitur illud, ut is agnoscat deum, qui, unde ortus sit, quasi recorderetur, ac noscat. Iam vero virtus eadem in homine ac deo est, neque vlllo alio ingenio praeterea. Est autem virtus nihil aliud, quam in se perfecta et ad summum perducta natura. Est igitur homini cum deo similitudo. Quod cum ita sit, quae tandem potest esse propior certiorue cognatio? Itaque ad hominum commoditates et usus tantam rerum vbertatem natura largita est, ut ea, quae gignuntur, donata consulto nobis, non fortuito nata videantur: nec solum ea, quae frugibus atque baccis terrae foetu profunduntur, sed etiam pecudes: quod perspicuum sit, partim esse ad vsum hominum, partim ad fructum, partim ad vescendum procreatas. Artes vero innumerabiles repertae sunt, docente natura; quam imitata ratio, res ad vitam necessarias sollerter consecuta est.

---

9. Ipsum autem hominem eadem natura non solum celeritate mentis ornauit, sed etiam sensus, tanquam satellites, attribuit, ac nuntios: et rerum plurimarum obscuras et necessarias intelligentias enudauit, quasi fundamenta quaedam scientiae: figuramque corporisabilem et aptam ingenio humano dedit. Nam cum ceteras animantes abiiecisset ad pastum, solum hominem crexit, ad coelique quasi cognationis domicilique pristini conspectum excitauit: tum speciem ita formauit oris, ut in ea penitus reconditos mores effingeret. Nam et oculi nimis arguti, quemadmodum animo affecti simus, loquuntur: et is, qui appellatur vultus, qui nullo in animante esse, praeter hominem, potest, indicat

mores: cuius vim Graeci norunt, nomen omnino non habent. Omitto opportunitates habilitatesque reliqui corporis, moderationem vocis, orationis vim, quae conciliatrix est humanae maxime societatis.

---

10. Nihil est enim vnum vni tam simile, tam par, quam omnes inter nosmet ipsos sumus. Quod si deprauatio consuetudinum, si opinionum vanitas non imbecillitatem animorum torqueret, et flecteret quocumque coepisset: sui nemo ipse tam similis esset, quam omnes sunt omnium. Itaque quaecumque est hominis definitio, vna in omnes valet. — Etenim ratio, qua vna praestamus belluis, per quam coniectura valemus, argumentamur, refellimus, disserimus, conficimus aliquid, concludimus, certe est communis, doctrina differens, discendi quidem facultate par. Nam et sensibus eadem omnia comprehenduntur: et ea, quae mouent sensus, itidem mouent omnium: quaeque in animis imprimuntur, de quibus ante dixi, inchoatae intelligentiae, similiter in omnibus imprimuntur: interpretisque est mentis oratio, verbis discrepans, sententiis congruens. Nec est quisquam gentis illius, qui ducem naturam nactus ad virtutem peruenire non possit.

---

11. Nec solum in rectis, sed etiam in prauitatibus, insignis est humani generis similitudo. Nam et voluptate capiuntur omnes: quae etsi illecebra turpitudinis, tamen habet quiddam simile naturalis boni. Lenitate est enim et suauitate de-

lectans, sic ab errore mentis, tanquam salutare aliquid, asciscitur: similique inscitia mors fugitur, quasi dissolutio naturae; vita expetitur, quia nos, in quo nati sumus, continet: dolor in maximis malis ducitur, cum sua asperitate, tum quod naturae interitus videtur sequi. Propterque honestatis et gloriae similitudinem, beati, qui honorati sunt, videntur: miseri autem, qui inglorii. Molestiae, laetitiae, cupiditates, timores, similiter omnium mentes peruagantur: nec, si opiniones aliae sunt apud alios, idcirco, qui canem et felem, vt deos, colunt, non eadem superstitione, qua ceterae gentes, conflictantur. Quae autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum et beneficii memorem diligit? quae superbos, quae maleficos, quae crudeles, quae ingratos non aspernatur, non odit? quibus ex rebus cum omne genus hominum sociatum inter se esse intelligatur, illud extremum est, quod recte viuendi ratio meliores efficit.

---

21. Sed certe res ita se habent, vt ex natura viuere, summum bonum sit, id est, vita modica et apta virtute perfrui: aut naturam sequi, et eius quasi lege viuere, id est, nihil, quantum in ipso sit, praetermittere, quo minus ea, quae natura postulet, sonsequatur, quod inter haec velit virtute tanquam lege viuere.

---

22. Nam qui se ipse norit, primum aliquid sentiet se habere diuinum, ingeniumque in se suum, sicut simulacrum aliquod, dedicatum puta-

bit; tantoque munere deorum semper dignum aliquid et faciet et sentiet: et, cum se ipse perspexerit, totumque tentarit, intelliget, quemadmodum a natura subornatus in vitam venerit, quantaque instrumenta habeat ad obtinendam adipiscendamque sapientiam: quoniam principio rerum omnium quasi adumbratas intelligentias animo ac mente conceperit: quibus illustratus, sapientia duce, bonum virum, et ob eam ipsam causam cernat se beatum fore.

---

25. Nam cum animus, cognitis perceptisque virtutibus, a corporis obsequio indulgentiaque discesserit, voluptatemque, sicut labem aliquam decoris oppresserit, omnemque mortis dolorisque timorem effugerit, societatemque caritatis coierit cum suis, omnesque natura coniunctos, suos duxerit, cultumque deorum et puram religionem susceperit, et exacuerit illam, ut oculorum, sic ingenii aciem, ad bona deligenda et reiicienda contraria: quae virtus ex providendo est appellata prudentia: quid eo dici aut excogitari poterit beatius?

---

Cic. de leg. II, 1. Quid plura? hanc vides villam, ut nunc quidem est, lautius aedificatam patris nostri studio: qui cum esset infirma valetudine, hic fere aetatem egit in literis.

---

5. Nam neque medicorum praecepta dici vere possent, si quae inscii imperitique pro salutaribus mortifera conscripserint.

---

13. Cum alteri placeat, disciplina vestra quasi diuinare videatur prorsus posse. Hac tu de re, quaero quid sentias. Egone? diuinationem, quam Graeci *μαντικήν* appellant, esse censeo, et huius hanc ipsam partem, quae est in auibus ceterisque signis disciplinae nostrae; quod cum summos deos esse concedamus, eorumque mente mundum regi, et eorundem benignitatem hominum consulere generi, et posse nobis signa rerum futurarum ostendere, non video cur esse diuinationem negem.

---

14. Nam mihi cum multa eximia diuinaque videntur Athenae tuae peperisse, atque in vita hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti immanique vita exculti ad humanitatem et mitigati sumus: Initiaque vt appellantur, ita re vera principia vitae cognouimus; neque solum viuendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi.

---

15. Assentior enim Platoni, nihil tam facile in animos teneros atque molles influere, quam varios canendi sonos, quorum dici vix potest quanta sit vis in vtramque partem. Namque et incitat languentes et languefacit excitatos, et cum remittit animos, tum contrahit.

---

23. Hominem mortuum, inquit lex in XII. tabulis, in vrbe ne sepelito, neue vrito. — Sed in vrbe sepeliri lex vetat. Sic decretum a

pontificum collegio, non esse ius, in loco publico fieri sepulcrum.

---

27. Sed videamus Platonem, qui iusta funerum reiicit ad interpretes religionum. Quem nos morem tenemus. De sepulcris autem dicit haec: Vetat ex agro culto, eoue, qui coli possit, vllam partem sumi sepulcro: sed, quae natura agri tantummodo efficere possit, vt mortuorum corpora sine detrimento viuorum recipiat, ea potissimum vt compleatur: quae autem terra fruges ferre, et, vt mater, cibos suppeditare possit, eam ne quis nobis minuat, neue viuus, neue mortuus.

---

Cic. de leg. III, 10. Quod enim est tam desperatum collegium, in quo nemo e decem sana mente sit?

---

15. Vt enim cupiditatibus principum et vitiis infici solet tota ciuitas: sic emendari et corrigi continentia.

---

Cic. de off. I, 2. Fortis vero, dolorem summum malum iudicans; aut temperans, voluptatem summum bonum statuens, esse certe nullo modo potest.

---

4. Principio generi animantium omni est a natura tributum, vt se, vitam corpusque tueatur;

declinetque ea, quae nocitura videantur, omniaque, quaecunque ad viuendum sint necessaria, anquirat et paret, vt pastum, vt latibula, vt alia eiusdem generis. **Commune autem animantium omnium** est coniunctionis appetitus, procreandi causa, et cura quaedam eorum, quae procreata sunt. Sed inter hominem et belluam hoc maxime interest, quod haec tantum, quantum sensu mouetur, ad id solum, quod adest, quodque praesens est, se accommodat, paullulum admodum sentiens praeteritum, aut futurum. Homo autem, quod rationis est particeps, per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus, et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adiungit, atque annectit futuras: facile totius vitae cursum videt, ad eamque degendam praeparat res necessarias.

Eademque natura vi rationis hominem conciliat homini et ad orationis et ad vitae societatem: ingeneratque inprimis praecipuum quendam amorem in eos, qui procreati sunt: impellitque, vt hominum coetus et celebrationes et esse, et a se obiri velit: ob easque causas studeat parare ea, quae suppeditent et ad cultum, et ad victum: nec sibi soli, sed coniugi, liberis ceterisque, quos caros habeat tuerique debeat. Quae cura exsuscitat etiam animos, et maiores ad rem gerendam facit. Inprimisque hominis est propria veri inquisitio atque inuestigatio. Itaque cum sumus necessariis negotiis curisque vacui, tum auemus aliquid videre, audire, addiscere: cognitionemque rerum aut occultarum, aut admirabilium ad beate viuendum necessariam ducimus. Ex quo intelligitur, quod

verum, simplex, sincerumque sit, id esse naturae hominis aptissimum. Huic veri videndi cupiditati adiuncta est appetitio quaedam principatus, ut nemini parere animus bene a natura informatus velit, nisi praecipienti, aut docenti, aut utilitatis causa, iuste, et legitime imperanti: ex quo animi magnitudo existit, humanarumque rerum contemptio.

Nec vero illa parua vis naturae est rationisque, quod vnum hoc animal sentit quid sit ordo; quid sit, quod deceat; in factis dictisque qui modus. Itaque eorum ipsorum, quae ad spectu sentiuntur, nullum aliud animal pulchritudinem, venustatem, conuenientiam partium sentit. Quam similitudinem natura ratioque ab oculis ad animum transfrens multo etiam magis pulchritudinem, constantiam, ordinem in consiliis factisque conseruandum putat: cauetque, ne quid indecore effoeminateue faciat: tum in omnibus et opinionibus et factis, ne quid libidinese aut faciat aut cogitet. Quibus ex rebus conflatur et efficitur id, quod quaerimus honestum: quod etiam si nobilitatum non sit, tamen honestum sit: quodque vere dicimus, etiam, si a nullo laudetur, natura esse laudabile.

---

10. Contra officium est, maius non anteponi minori: ut, si constitueris te cuiquam aduocatum in rem praesentem esse venturum, atque interim grauiter aegrotare filius coeperit, non sit contra officium, non facere quod dixeris; magisque ille, cui promissum sit, ab officio discedat, si se destitutum queratur.

---

17. Nam cum sit hoc natura comune animantium, vt habeant lubidinem procreandi; prima societas in ipso coniugio est: proxima in liberis: deinde vna domus, communia omnia.

---

18. Sed vt nec medici — quamuis artis praecepta perceperint, quidquam magna laude dignum sine vsu et exercitatione consequi possunt: sic officii conseruandi praecepta traduntur illa quidem, vt facimus ipsi, sed rei magnitudo vsum quoque exercitationemque desiderat.

---

20. Vacandum autem est omni animi perturbatione, tum cupiditate et metu, tum etiam aegritudine et voluptate animi et iracundia; vt tranquillitas et securitas adsit, quae affert cum constantiam, tum etiam dignitatem.

---

21. Quapropter et iis forsitan concedendum sit, rempublicam non capessentibus, qui excellenti ingenio, doctrinae sese dediderunt: et iis, qui aut valetudinis imbecillitate, aut aliqua grauiore causa impediti, a republica recesserunt, cum eius administrandae potestatem aliis laudemque concederent.

---

23. Exercendum tamen corpus, et ita afficiendum est, vt obedire consilio rationique possit in exsequendis negotiis et in labore tolerando.

---

24. Quapropter in adeundis periculis consuetudo imitanda medicorum est, qui leuiter aegrotantes leniter curant: grauioribus autem morbis periculosas curationes et ancipites adhibere coguntur.

---

26. Nam vt aduersas res, sic secundas immoderate ferre, leuitatis est: praeclaraque est aequabilitas in omni vita, et idem semper vultus, eademque frons, vt de Socrate, item de C. Laelio accepimus.

---

27. Nam et ratione vti, atque oratione prudenter: et agere quod agas, considerate: omnique in re quid sit veri, videre et tueri decet: contraque falli, errare, labi, decipi tam dedecet, quam delirare et mente esse captum. — Vt venustas et pulchritudo corporis secerni non potest a valetudine: sic hoc, de quo loquimur, decorum, totum illud quidem est cum virtute confusum: sed mente et cogitatione distinguitur.

---

28. Vt enim pulchritudo corporis apta compositione membrorum mouet oculos, et delectat hoc ipso, quod inter se omnes partes cum quodam lepore consentiunt; sic hoc decorum, quod elucet in vita, mouet approbationem eorum, quibuscum viuitur, ordine et constantia, et moderatione dictorum omnium atque factorum. — Neque enim solum corporis, qui ad naturam apti sunt, sed multo etiam magis animi motus probandi, qui

item ad naturam accommodati sunt. Duplex est enim vis animorum atque naturae: vna pars in appetitu posita est, quae est *ὄρεξις* graece, quae hominem huc et illuc rapit: altera in ratione, quae docet et explanat, quid faciendum fugiendumque sit. Ita fit, ut ratio praesit, appetitus obtemperet.

---

29. Efficiendum autem est, ut appetitus rationi obediant, eamque neque praecurrant, nec propter pigritiam, aut ignauiam deserant: sintque tranquilli, atque omni perturbatione animi careant. Ex quo elucebit omnis constantia, omnisque moderatio. Nam qui appetitus longius euegantur, et tanquam exultantes siue cupiendo, siue fugiendo, non satis a ratione retinentur, hi sine dubio sinem et modum transeunt. Relinquunt enim et abiiciunt obedientiam, nec rationi parent, cui sunt subiecti lege naturae: a quibus non modo animi perturbantur, sed etiam corpora. Licet ora ipsa cernere iratorum, aut eorum, qui aut libidine aliqua, aut metu commoti sunt, aut voluptate nimia gestiunt: quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur. — Ludo autem et ioco uti illo quidem licet: sed sicut somno et quietibus ceteris, tum cum grauibus seriisque rebus satisfecerimus.

---

30. Sed pertinet ad omnem officii quaestionem, semper in promptu habere, quantum natura hominis pecudibus reliquisque belluis antecedit. Illae nihil sentiunt, nisi voluptatem, ad eamque

feruntur omni impetu: hominis autem mens discedendo alitur et cogitando, semper aliquid aut acquirit, aut agit, videndique et audiendi delectatione ducitur. Quin etiam si quis est paulo ad voluptates propensior, modo ne sit ex pecudum genere, (sunt enim quidam homines non re, sed nomine) sed si quis est paulo erectior, quamuis voluptate capiatur, occultat et dissimulat appetitum voluptatis, propter verecundiam. Ex quo intelligitur, corporis voluptatem non satis esse dignam hominis praestantia, eamque contemni et reiici oportere. Sin sit quisquam, qui aliquid tribuat voluptati, diligenter ei tenendum esse eius fruendae modum. Itaque victus cultusque corporis ad valetudinem referantur, et ad vires, non ad voluptatem. Atque etiam si considerare volumus, quae sit in natura excellentia et dignitas, intelligemus, quam sit turpe, diffluere luxuria, et delicate ac molliter viuere: quamque honestum, parce, continenter, seuerè, sobrie. — Vt enim in corporibus magnae dissimilitudines sunt (alios enim videmus velocitate ad cursum, alios viribus ad luctandum valere: itemque in formis aliis dignitatem inesse, aliis venustatem) sic in animis existunt etiam maiores varietates.

---

31. Atque haec differentia naturarum tantam habet vim, vt nonnunquam mortem sibi ipse consciscere alius debeat, alius in eadem causa non debeat.

---

34. Est igitur adolescentis, maiores natu vereri, exque his deligere optimos et probatissimos,

quorum consilio atque auctoritate nitatur. Ineuntis enim aetatis inscientia, senum constituenda et regenda prudentia est. Maxime autem haec aetas a libidinibus arcenda est, exercendaque in labore patientiaque et animi et corporis: ut eorum et in bellicis et in civilibus officiis vigeat industria. Atque etiam cum relaxare animos et dare se iucunditati volent, caueant intemperantiam, meminerint verecundiae: quod erit facilius, si in eiusmodi quidem rebus maiores natu interesse velint. Senibus autem labores corporis minuendi, exercitationes animi etiam augendae videntur. Danda vero opera, ut et amicos et iuventutem et maxime rempublicam consilio et prudentia quamplurimum adiuvent. Nihil autem magis cauendum est senectuti, quam ne languori se desidiaequae dedat. Luxuria vero cum omni aetati turpis, tum senectuti foedissima est. Sin autem libidinum etiam intemperantia accesserit, duplex malum est, quod et ipsa senectus concipit dedecus, et facit adolescentium impudentiorem intemperantiam.

---

35. Principio, corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse rationem: quae formam nostram reliquamque figuram, in qua esset species honesta, eam posuit in promptu. Quae partes autem corporis ad naturae necessitatem datae, ad aspectum essent deformem habiturae atque turpem, eas contexit atque abdidit. Hanc naturae tam diligentem fabricam imitata est hominum verecundia. Quae enim natura occultavit, eadem omnes, qui sana mente sunt, remouent ab oculis: ipsique necessitati dant operam, ut quam occultis-

sime pareant: quarumque partium corporis vsus sunt necessarii, eas neque partes, neque earum vsus suis nominibus appellant: quodque facere turpe non est, modo occulte; id dicere obscœnum est. Itaque nec aperta actio rerum illarum petulantia vacat, nec orationis obscœnitas. — Nos autem naturam sequamur, et ab omni, quod abhorret ab oculorum auriumque approbatione, fugiamus. Status, incessus, sessio, accubitio, vultus, oculi, manuum motus, teneant illud decorum.

---

36. Formae autem dignitas, coloris bonitate tuenda est: color, exercitationibus corporis. Adhibenda est praeterea munditia non odiosa, neque exquisita nimis; tantum quae fugiat agrestem et inhumanam negligentiam. Eadem ratio est habenda vestitus: in quo (sicut in plerisque rebus) mediocritas optima est. — Sed multo etiam magis elaborandum est, ne animi motus a natura recedant: quod assequemur, si cauebimus, ne in perturbationes atque exanimationes incidamus; et, si attentos animos ad decoris conseruationem tenebimus.

---

38. Sed quomodo in omni vita rectissime praecipitur, vt perturbationes fugiamus, id est, motus animi nimios, rationi non obtemperantes: sic eiusmodi motibus sermo debet vacare, ne aut ira existat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignauia, aut tale aliquid appareat. — Id agendum etiam, vt ne ea facere videamur irati: sed, vt ad vrendum et secandum; sic et ad hoc genus casti-

gandi, raro inuitique veniemus. Nec vnquam, nisi necessario, si nulla reperietur alia medicina, sed tamen ira procul absit, cum qua nihil recte fieri, nihil considerate potest.

---

39. Eademque mediocritas ad omnem vsu-  
cultumque vitae transferenda est.

---

41. Ex oculorum obtutu, ex superciliorum aut remissione, aut contractione, ex moestitia, ex hilaritate, ex risu, ex locutione, ex reticentia, ex contentione vocis, ex submissione, ex ceteris similibus, facile iudicabimus, quid eorum apte fiat, quid ab officio naturaque discrepet.

---

42. Quibus autem artibus aut prudentia maior inest, aut non mediocris vtilitas quaeritur, vt medicina, vt architectura, vt doctrina rerum honestarum, hae sunt iis, quorum ordini conueniunt, honestae.

---

Cic. de off. II, 1. Nec me angoribus dedi-  
di, quibus essem confectus, nisi iis restitsem;  
nec rursus indignis homine docto voluptatibus.

---

5. Neque enim valetudinis curatio, neque nauigatio, neque agricultura, neque frugum fructuumque reliquorum perceptio et conseruatio sine hominum opera vlla esse potuisset.

---

4. Quid enumerem artium multitudinem sine quibus vita omnino nulla esse potuisset? Quis enim aegris subueniret, quae esset oblectatio valentium, qui victus, aut cultus, nisi tam multae nobis artes ministrarent?

---

7. Quid enim censemus superiorem illum Dionysium, quo cruciatu timoris angi solitum? qui cultros metuens tonsorios, candenti carbone sibi adurebat capillum? Quid? Alexandrum Pheraeum, quo animo vixisse arbitramur? qui (vt scriptum legimus) cum vxorem Theben admodum diligeret, tamen ad eam ex epulis in cubiculum veniens, barbarum, et eum quidem, vt scriptum est, compunctum notis Threiciis, destricto gladio iubebat anteire: praemittebatque de stipatoribus suis, qui scrutarentur arculas muliebres, et, ne quod in vestimentis occultaretur telum, exquirerent. O miserum, qui fidelio rem, et barbarum, et stigmatiam putaret, quam coniugem? nec eum fefellit. Ab ea enim est ipse, propter pellicatus suspicionem, interfectus.

---

10. Et dolorum cum admouentur faces, praeter modum plerique exterrentur: vita, mores, diuitiae, paupertas, omnes homines vehementissime permouent. Quae qui in vtramque partem excelso animo magnoque despiciunt, cumque aliqua his ampla et honesta res obiecta est, totos ad se conuertit et rapit, tum quis non admiretur splendorem pulcritudinemque virtutis?

---

11. Nemo enim iustus esse potest, qui mortem, qui dolorem, qui exilium, qui egestatem timet, aut qui ea, quae his sunt contraria, aequitati anteponeat.

---

22. Laudat Africanum Panaetius, quod fuerit abstinens. Quidni laudet? Sed in illo alia maiora. Laus abstinentiae non hominis est solum, sed etiam temporum illorum.

---

24. Tanta in eo peccandi libido fuit, ut hoc ipsum eum delectaret, peccare, etiamsi causa non esset. — In his autem utilitatum praeceptis Antipater Tyrius, Stoicus, qui Athenis nuper est mortuus, duo praeterita censet esse a Panaetio, valetudinis curationem, et pecuniae. Quas res a summo philosopho praeteritas arbitror, quod essent faciles: sunt certe utiles. Sed valetudo sustentatur notitia sui corporis; et observatione, quae res aut prodesse soleant, aut obesse; et continentia in victu omni atque cultu, corporis tuendi causa; et praetermittendis voluptatibus; postremo arte eorum, quorum ad scientiam haec pertinent.

---

25. Nam et corporis commoda cum externis, et externa cum corporis, et ipsa inter se corporis, et externa cum externis comparari solent. Cum externis, corporis, hoc modo comparantur: Valere ut malis, quam diues esse. Cum corporis, externa, hoc modo: Diues esse potius, quam ma-

ximis corporis viribus. Ipsa inter se corporis sic  
vt bona valetudo voluptati anteponatur, vires ce-  
leritati.

---

Cic. de off. III, 3. Etenim quod summum  
bonum a Stoicis dicitur, conuenienter naturae  
viuere: id habet hanc, vt opinor, sententiam,  
cum virtute congruere semper: cetera autem, quae  
secundum naturam essent, ita legere, si ea virtuti  
non repugnarent.

---

5. Vt, si vnumquodque membrum sensum  
hunc haberet, vt posse putaret, se valere, si pro-  
ximi membri valetudinem ad se traduxisset; de-  
bilitari et interire totum corpus necesse est:  
sic, si vnusquisque nostrum rapiat ad se commoda  
aliorum, detrahatque quod cuique possit, emolu-  
menti sui gratia: societas hominum et communitas  
euertatur necesse est.

---

6. Non igitur magis est contra naturam mor-  
bus, aut egestas, aut quid huiusmodi, quam de-  
tractio, aut appetitio alieni.

---

24. Si quis medicamentum cuiquam dederit  
ad aquam intercutem; pepigeritque, ne illo me-  
dicamento vnquam postea vteretur, si eo medica-  
mento sanus factus fuerit, et annis aliquot post in-  
ciderit in eundem morbum: nec ab eo, quicum  
pepigerat, impetret; vt item (iterum) eo liceat vti,

quid faciendum sit. Cum sit is inhumanus, qui non concedat vti, nec ei quidquam fiat iniuriae, vitae et saluti consulendum.

---

27. Harum enim est virtutum proprium, nil extimescere, omnia humana despicerere; nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare.

---

29. An est vllum maius malum turpitudine? Quae si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa deprauatio et foeditas turpificati animi debet videri?

---

33. Nam si non modo vtilitas, sed vita omnis beata, corporis firma constitutione, eiusque constitutionis spe explorata, vt a Metrodoro scriptum est, continetur: — Iam, qui dolorem summum malum dicat, apud eum quem habet locum fortitudo, quae est dolorum laborumque contemptio? Quamuis enim multis in locis dicat Epicurus (sicut hic dicit) satis fortiter de dolore: tamen non id spectandum est, quid dicat, sed quid consentaneum sit ei dicere, qui bona, voluptate terminaverit; mala, dolore: vt, si illum audiam de continentia et temperantia; dicit ille quidem multa multis locis: sed aqua haeret, vt aiunt; nam qui potest temperantiam laudare is, qui ponat summum bonum in voluptate? Est enim temperantia libidinum inimica: libidines autem, consecatrices voluptatis. — Prudentiam introducunt, scientiam suppeditantem voluptates, depellentem dolores.

Fortitudinem quoque aliquo modo expediunt, cum tradunt rationem negligendae mortis, perpetiendique doloris. Etiam temperantiam inducunt, non facillime illi quidem, sed tamen quoquo modo possunt. Dicunt enim, voluptatis magnitudinem doloris detractioe finire.

---

Cic. de senect. 1. Nunc autem mihi visum est de senectute aliquid ad te conscribere. Hoc enim onere, quod mihi tecum commune est, aut iam vrgentis, aut certe aduentantis senectutis, et te, et meipsum leuari volo. Etsi te quidem id modice ac sapienter, (sicut omnia) et ferre, et laturum esse certo scio. Sed mihi, cum de senectute aliquid vellem scribere, tu occurrebas dignus eo munere, quo vterque nostrum communiter vteretur. Mihi quidem ita iucunda huius libri confectio fuit, vt non modo omnes absterserit senectutis molestias, sed effecerit mollem et iucundam senectutem. Nunquam igitur satis laudari digne poterit philosophia, cui qui pareat, tempus aetatis sine molestia possit degere. — Omnem autem sermonem tribuimus — M. Catoni seni, quo maiorem auctoritatem haberet oratio; apud quem, Laelium et Scipionem facimus admirantes, quod is tam facile senectutem ferat, iisque eum respondentem, qui si eruditius videbitur disputare, quam consuevit ipse in suis libris, attribuito graecis litteris, quarum constat eum perstudiosum fuisse in senectute.

---

2. Saepenumero admirari soleo cum hoc C. Laelio, tum ceterarum rerum tuam excellentem,

M. Cato, perfectamque sapientiam, tum vel maxime, quod nunquam senectutem tibi grauem esse senserim: quae plerisque senibus sic odiosa est, ut onus se Aetna grauius dicant sustinere. — Quibus enim nihil opis est in ipsis ad bene beateque vivendum, iis omnis grauis est aetas: qui autem omnia bona a se ipsi petunt, iis nihil potest malum videri quod naturae necessitas afferat. Quo in genere imprimis est senectus, quam ut adipiscantur, omnes optant; eandem accusant adepti. — Obrepere aiunt eam citius quam putassent. Primum, quis coëgit eos falsum putare? Qui enim citius adolescentiae senectus, quam pueritiae adolescentia obrepit? Deinde, qui minus grauis esset iis senectus, si octingentesimum annum agerent, quam octogesimum? Praeterita enim aetas, quamuis longa, cum effluxisset, nulla consolatione permulcere posset stultam senectutem. — In hoc sumus sapientes, quod naturam optimam ducem, tanquam deum, sequimur, eique paremus: a qua non verisimile est; cum ceterae partes aetatis bene descriptae sint, extremum actum, tanquam ab inertipoeëta, esse neglectum. Sed tamen necesse fuit, esse aliquid extremum, et tanquam in arborum baccis, terraeque frugibus maturitate tempestiuam, quasi vietum et caducum: quod ferendum est molliter sapienti. Quid enim est aliud, gigantum modo bellare cum diis, nisi naturae repugnare?

Atqui, Cato, gratissimum nobis, ut etiam pro Scipione pollicear, feceris, si, quoniam speramus, (volumus quidem certe) senes fieri, ante multo a te didicerimus, quibus facillime rationibus ingrauescentem aetatem ferre possimus.

3. Faciam, vt potero, Laeli. Saepe enim interfui querelis meorum aequalium (pares autem cum paribus, veteri prouerbio, facillime congregantur) quae C. Salinator, quae Sp. Albinus, homines consulares, nostri fere aequales, deplorare solebant; tum quod voluptatibus carerent, sine quibus vitam nullam putarent: tum quod spernerentur ab iis, a quibus essent coli soliti. Qui mihi non id videbantur accusare, quod esset accusandum. Nam si id culpa senectutis accideret, eadem mihi vsu euenirent, reliquisque omnibus, maioribus natu; quorum ego multorum cognoui senectutem sine querela: qui se et libidinum vinculis laxatos esse non moleste ferrent, nec a suis despicerentur: sed omnium istiusmodi querelarum in moribus est culpa, non in aetate. Moderati enim, et nec difficiles, nec inhumani senes, tolerabilem agunt senectutem. Importunitas autem et inhumanitas omni aetati molesta est.

Est, vt dicis, Cato. Sed fortasse dixerit quispiam, tibi propter opes et copias et dignitatem tuam, tolerabiliorem senectutem; id autem non posse multis contingere. Est istuc quidem, Laeli, aliquid; sed nequaquam in isto sunt omnia. — Neque enim in summa inopia leuis esse senectus potest, ne sapienti quidem: nec insipienti etiam in summa copia non grauis. Aptissima omnino sunt, Scipio et Laeli, arma senectutis, artes, exercitationesque virtutum, quae in omni aetate cultae, cum multum diuque vixeris, mirificos efferunt fructus, non solum quia nunquam deserunt, ne in extremo quidem tempore aetatis, (quanquam id maximum est,) verum etiam quia conscientia bene

actae vitae, multorumque benefactorum recordatio, iucundissima est.

---

4. Ego Q. Maximum, eum, qui Tarentum recepit, adolescens ita dilexi senem, ut aequalem. Erat enim in illo viro comitate condita grauitas: nec senectus mores mutauerat; quanquam eum colere coepi non admodum grandem natu, sed tamen iam aetate prouectum.

---

5. Quorsum igitur haec tam multa de Maximo? quia profecto videtis, nefas esse dictu, miseram fuisse talem senectutem. Nec tamen omnes possunt esse Scipiones, aut Maximi, ut urbium expugnationes, ut pedestres naualesque pugnas, ut bella a se gesta, ut triumphos recordentur. Est etiam quiete, et pure, et eleganter actae aetatis placida ac lenis senectus; qualem accepimus Platonis, qui vno et octogesimo anno scribens mortuus est; qualem Isocratis, qui eum librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse dicitur, vixitque quinquennium postea: cuius magister Leontinus Gorgias, centum et septem compleuit annos: neque unquam in suo studio atque opere cessauit. Qui, cum ex eo quaereretur, cur tam diu vellet esse in vita? Nihil habeo, inquit, quod incusem senectutem. Praeclarum responsum et docto homine dignum. Sua enim vitia insipientes, et suam culpam in senectutem conferunt: quod non faciebat is, cuius modo mentionem feci, Ennius,

Sicut fortis equus, spatio qui saepe su-  
premo  
Vicit Olympia, nunc senio confectu' qui-  
escit.

Equi fortis et victoris senectuti comparat suam: quem quidem probe meminisse potestis. — Annos LXX. natus (tot enim vixit Ennius) ita ferebat duo, quae maxima putantur onera, paupertatem et senectutem, ut eis paene delectari videretur. Et enim, cum contempler animo, reperio quatuor causas, cur senectus misera videatur: vnam, quod auocet a rebus gerendis: alteram, quod corpus faciat infirmius: tertiam, quod priuet omnibus fere voluptatibus: quartam, quod haud procul absit a morte. Earum, si placet, causarum quanta, quamque sit iusta vnaquaeque, videamus.

---

6. A rebus gerendis senectus abstrahit? Quibus? an iis, quae in iuuentute geruntur et viribus? Nullaene igitur res sunt seniles, quae vel infirmis corporibus, animo tamen administrantur? — Nihil igitur afferunt, qui in re gerenda versari senectutem negant, similesque sunt, ut, si qui gubernatorem in nauigando agere nihil dicant, cum alii malos scandant, alii per foros cursent, alii sentinam exhaustant: ille autem clauum tenens sedeat in puppi quietus, non faciat ea, quae iuuenes, at vero multo maiora et meliora facit. Non viribus, aut velocitatibus, aut celeritate corporum res magnae geruntur: sed consilio, auctoritate, sententia, quibus non modo non orbari, sed etiam augeri senectus solet. — Num igitur, si ad centesimum annum vixisset, senectutis eum suae poeni-

teret? nec enim excursionem, nec saltu, nec eminus hastis, aut comminus gladiis vteretur: sed consilio, ratione, sententia; quae nisi essent in senibus, non summum consilium maiores nostri appellassent **Senatum**. Apud Lacedaemonios quidem ii, qui amplissimum magistratum gerunt, ut sunt, sic etiam nominantur **senes**. Quod si legere, aut audire voletis externa, maximas respublicas ab adolescentibus labefactas, a senibus sustentatas et restitutas reperietis. — Temeritas est videlicet florentis aetatis; prudentia senescentis.

---

7. At memoria minuitur, credo, nisi eam exerceas, aut si sis natura tardior. — Nec vero quenquam senum audiui oblitum, quo loco thesaurum obruisset. Omnia, quae curant, meminere: vadimonia constituta: qui sibi, quibus ipsi debeant. — Manent ingenia senibus, modo permaneat studium et industria. — Nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere: sed iidem elaborant in eis, quae sciunt nihil omnino ad se pertinere.

**Serit arbores, quae alteri seculo prosint, ut ait Statius noster in Synephebis.** Nec vero dubitet agricola, quamvis senex, quaerenti, cui serat, respondere: Diis immortalibus, qui me non accipere modo haec a maioribus voluerunt, sed etiam posteris prodere.

---

8. **Melius Caecilius de sene alteri seculo prospiciente, quam illud, idem:**

Aedepol senectus, si nihil quidquam aliud  
vitii  
 Apportes tecum, cum aduenis, vnum id  
sat est,  
 Quod diu viuendo, multa quae non vult,  
videt.

Et multa fortasse, quae vult: atque in ea quidem,  
 quae non vult, saepe etiam adolescentia incurrit.  
 Illud vero idem Caecilius vitiosius:

Tum equidem in senecta hoc deputo mi-  
serrimum,  
 Sentire ea aetate esse se odiosum alteri.

Iucundum potius, quam odiosum. Vt enim ado-  
 lescentibus, bona indole praeditis, sapientes senes  
 delectantur, leuiorque fit eorum senectus, qui a  
 iuuentute coluntur et diliguntur: sic adolescentes  
 senum praeeptis gaudent, quibus ad virtutum stu-  
 dia ducuntur. Nec minus intelligo me vobis,  
 quam vos mihi esse iucundos. Sed videtis, vt se-  
 nectus non modo languida atque iners non sit, ve-  
 rum etiam sit operosa et semper agens aliquid et  
 moliens; tale scilicet, quale cuiusque studium in  
 superiore vita fuit. Quid, quod etiam addiscunt  
 aliquid? vt Solonem versibus gloriantem videmus,  
 qui se quotidie aliquid addiscentem, senem fieri  
 dicit: vt ego feci, qui graecas literas senex didici.

---

9. Ne nunc quidem vires desidero adolescen-  
 tis, (is enim erat locus alter de vitiis senectutis)  
 non plus, quam adolescens tauri, aut elephanti  
 desiderabam. Quod est, eo decet vti, et quicquid

agas, agere pro viribus. Quae enim vox potest esse contemptior, quam **Milonis Crotoniatae**? qui, cum iam senex esset, athletasque se in curriculo exercentes videret, adspexisse lacertos suos dicitur, illacrymansque dixisse: **At hi quidem iam mortui sunt.** Non vero tam isti, quam tu ipse, nugator; neque enim ex te vnquam es nobilitatus, sed ex lateribus et lacertis tuis. — **Ora-**tor, metuo, ne languescat senectute. Est enim manus eius non ingenii solum, sed laterum etiam et virium. Omnino canorum illud in voce splendet etiam nescio quo pacto in senectute; quod equidem adhuc non amisi; et videtis annos: sed tamen est decorus sermo senis, quietus et remissus; facitque persaepe ipsa sibi audientiam disertis senis compta et mitis oratio. Quod si ipse exsequi nequeas, possis tamen **Scipioni** praecipere et **Laelio**. Quid enim est iucundius senectute, stipata studiis iuventutis? An ne eas quidem vires senectuti relinquemus, vt adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat? quo quidem opere quid potest esse praeclarius? — Nec vlli bonarum artium magistri non beati putandi, quamuis consenuerint vires atque defecerint. Etsi ista ipsa defectio virium, adolescentiae vitiis efficitur saepius, quam senectutis. Libidinosa etenim et intemperans adolescentia effoetum corpus tradit senectuti: **Cyrus** quidem apud **Xenophontem** eo sermone, quem moriens habuit, cum admodum senex esset, negat se vnquam sensisse, senectutem suam imbecilliolem factam, quam adolescentia fuisset. Ego **L. Metellum** memini puer, ita bonis esse viribus, extremo tempore aetatis, vt adolescentiam non requireret. Nihil necesse est mihi

de me ipso dicere: quanquam est id quidem senile, aetatique nostrae conceditur.

---

10. Videtisne, vt apud Homerum saepissime Nestor de virtutibus suis praedicet? Tertiam enim iam aetatem hominum viuebat: nec erat ei verendum, ne vera de se praedicans, nimis videretur aut insolens, aut loquax. Etenim (vt ait Homerus) ex eius lingua melle dulcior fluebat oratio: quam ad suauitatem nullis egebat corporis viribus. — Sed redeo ad me. Quartum annum ago et octogesimum: equidem posse vellem idem gloriari, quod Cyrus: sed tamen hoc queo dicere, non me quidem iis esse viribus, quibus aut miles bello Punico, aut quaestor eodem bello, aut consul in Hispania fuerim, aut apud Thermopylas: sed tamen (vt vos videtis) non plane me eneruauit, nec afflixit senectus: non curia vires meas desiderat, non Rostra, non amici, non clientes, non hospites. Nec enim vnquam sum assensus veteri illi laudatoque prouerbio, quod monet, mature fieri senem, si diu velis esse senex. Ego vero me minus diu senem esse mallet, quam esse senem ante, quam essem. — At minus habeo virium, quam vestrum vteruis. Nec vos quidem T. Pontii centurionis vires habetis. Num idcirco est ille praestantior? Moderatio modo virium adsit, et tantum, quantum potest quisque, nitatur. Nae ille non magno desiderio tenebitur virium. Olympiae per stadium ingressus esse Milo dicitur, cum humeris sustineret bouem viuum. Vtrum igitur has corporis, an Pythagorae tibi malis vires ingenii dari? Denique isto bono vtare, dum adsit: cum absit, ne

requiras. Nisi forte adolescentes pueritiam, paululum aetate progressi adolescentiam debeant requirere. Cursus est certus aetatis, et vna via naturae, eaque simplex: suaque cuique parti aetatis tempestiuitas est data; vt et infirmitas puerorum, et ferocitas iuuenum, et grauitas iam constantis aetatis, et senectutis maturitas naturale quiddam habeat, quod suo tempore percipi debeat. Arbitror te audire, Scipio, hospes tuus auitus Masinissa quae faciat hodie, nonaginta annos natus: cum ingressus iter pedibus sit, in equum omnino non ascendere; cum equo, ex equo non descendere: nullo imbore, nullo frigore adduci, vt capite operto sit: summam in eo esse corporis siccitatem: itaque exequi omnia regis officia et munera. Potest igitur exercitatio et temperantia etiam senectuti conseruare aliquid pristini roboris.

---

11. Non sunt in senectute vires? Ne postulantur quidem vires a senectute. Ergo et legibus et institutis vacat aetas nostra muneribus iis, quae non possunt sine viribus sustineri. Itaque non modo, quod non possumus, sed ne quantum possumus quidem, cogimur. At ita multi sunt imbecilli senes, vt nullum officii, aut omnino vitae manus exsequi possint. At id quidem non proprium senectutis est vitium, sed commune valetudinis. Quam fuit imbecillus P. Africani filius is, qui te adoptauit? quam tenui, aut nulla potius valetudine? — Quid mirum igitur in senibus, si infirmi sunt aliquando, cum ne id quidem adolescentes effugere possint? Resistendum, Laeli et Scipio, senectuti est, eiusque vitia diligentia com-

pensanda sunt. **Pugnandum**, tanquam contra morbum, sic **contra senectutem**. Habenda ratio valetudinis: utendum exercitationibus modicis; tantum cibi et potionis adhibendum, ut reficiantur vires, non opprimantur. Nec vero corpori soli subueniendum est, sed menti atque animo multo magis. Nam haec quoque, nisi tanquam lumini oleum instilles, exstinguntur senectute. Et corpora quidem defatigatione et exercitatione ingrauescunt: animi autem exercitando leuantur. Nam quos ait Caecilius — **comicos stultos senes**: hos significat credulos, obliuiosos, dissolutos: quae vitia sunt non senectutis, sed inertis, ignauae, somniculosae senectutis: ut petulantia, ut libido, magis est adolescentium, quam senum: nec tamen omnium adolescentium, sed non proborum: sic ista **senilis stultitia** (quae deliratio appellari solet) senum leuium est, non omnium.

Quatuor robustos filios, quinque filias, tantam domum, tantas clientelas **Appius** regebat et **senex**, et **coecus**. Intentum enim animum, tanquam arcum, habebat, nec languescens succumbebat senectuti. — Ita enim **senectus** honesta est, si se ipsa defendit, si ius suum retinet, si nemini emancipata est, si vsque ad extremum spiritum dominatur in suos. Ut enim adolescentem, in quo senile aliquid; sic senem, in quo est adolescentis aliquid, probo: quod qui sequitur, corpore senex esse poterit, animo nunquam erit. — **Pythagoreorumque** more exercendae memoriae gratia, quid quoque die dixerim, audierim, egerim, commemoro vesperi. Hae sunt exercitationes ingenii, haec curricula mentis: in his desudans atque elaborans, corporis vires non magnopere desidero:

adsum amicis; venio in senatum frequens, vltroque affero res multum et diu cogitatas; easque tueor animi, non corporis viribus. Quae si exsequi nequirem, tamen me lectulus oblectaret meus, ea ipsa cogitantem, quae iam agere non possem: sed vt possim, facit acta vita. Semper enim in his studiis laboribusque viuenti non intelligitur, quando obrepat senectus. Ita sensim sine sensu aetas senescit: nec subito frangitur: sed diuturnitate extinguitur.

---

12. Sequitur tertia vituperatio senectutis, quod eam carere dicunt voluptatibus. O praeclarum munus aetatis, si quidem id aufert nobis, quod est in adolescentia vitiosissimum! Accipite enim, optimi adolescentes, veterem orationem Archytae Tarentini, magni inprimis et praeclari viri: quae mihi tradita est, cum essem adolescens Tarenti cum Q. Maximo. Nullam capitaliorem pestem, quam corporis voluptatem, hominibus dicebat a natura datam: cuius voluptatis auidae libidines temere et effrenate ad potiundum incitarentur. Hinc patriae prodiones, hinc rerum publicarum euersiones, hinc cum hostibus clandestina colloquia nasci: nullum denique scelus, nullum malum facinus esse, ad quod suscipiendum non libido voluptatis impelleret: stupra vero et adulteria, et omne tale flagitium, nullis aliis illecebris excitari, nisi voluptatis. Cumque homini siue natura, siue quis deus nihil mente praestabilius dedisset; huic diuino muneri ac dono nihil esse tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante temperantiae locum esse; neque

omnino in voluptatis regno virtutem posse consistere. Quod quo magis intelligi posset; fingere animo iubebat, tanta incitatum aliquem voluptate corporis, quanta percipi posset maxima. Nemini censebat fore dubium, quin tam diu, dum ita gauderet, nihil agitare mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi posset. Quocirca nihil esse tam detestabile, tamque pestiferum, quam voluptatem: si quidem ea, cum maior esset atque longior, omne animi lumen exstingueret. — Quorsum haec? ut intelligatis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quae efficeret, ut id non liberet, quod non oporteret. Impedit enim consilium voluptas, rationi inimica: ac mentis (ut dicam) praestringit oculos, nec habet vllum cum virtute commercium.

---

15. Quorsum igitur tam multa de voluptate? quia non modo vituperatio nulla, sed etiam summa laus senectutis est, quod ea voluptates nullas magnopere desiderat. Caret epulis, exstructisque mensis, et frequentibus poculis? caret ergo etiam vinolentia, et cruditate et insomniis. Sed si aliquid dandum est voluptati, quoniam eius blanditiis non facile obsistimus (diuine enim Plato escam maiorum voluptatem appellat, quod ea videlicet homines capiantur, ut hamo pisces) quanquam immoderatis epulis careat senectus, modicis tamen conuiuuiis delectari potest. — Epulabar igitur cum sodalibus omnino modice; sed erat quidam feruor aetatis: qua progrediente, omnia fient in dies mitiora. Neque enim ipsorum conuiuuiorum delectationem voluptatibus corporis magis, quam coetu

amicorum et sermonibus metiebar. Bene enim maiores nostri accubitionem epularem amicorum, quia vitae coniunctionem haberet, conuiuium nominarunt, melius, quam Graeci; qui hoc idem tum computationem, tum concoenationem vocant: ut, quod in eo genere minimum est, id maxime probare videantur.

---

14. Ego vero propter sermonis delectationem tempestiuus quoque conuiuuiis delector, nec cum aequalibus solum (qui pauci admodum restant) sed cum vestra etiam aetate atque vobiscum: habeoque senectuti magnam gratiam, quae mihi sermonis auuiditatem auxit, potionis et cibi sustulit. Quod si quem etiam ista delectant (ne omnino bellum indixisse videar voluptati, cuius est etiam fortasse quidam naturalis modus) non intelligo, ne in istis quidem voluptatibus ipsis, carere sensu senectutem. Me vero et magisteria delectant a maioribus instituta: et is sermo, qui more maiorum a summo adhibetur in poculis: et pocula, sicut in symposio Xenophontis, minuta atque rorantia, et refrigeratio aestate, et vicissim aut sol, aut ignis hibernus. Quae quidem in Sabinis etiam persequi soleo, conuiuiumque vicinorum quotidie compleo: quod ad multam noctem, quam maxime possumus, vario sermone producimus.

At non est voluptatum tanta quasi titillatio in senibus. Credo: sed ne desideratio quidem. Nihil autem molestum, quod non desideres. Bene Sophocles, cum ex eo quidam iam affecto aetate quaereret, vtereturne rebus venereis: Dii meliora, inquit. Libenter vero istinc, tanquam a domino

agresti ac furioso profugi. Cupidis enim rerum talium, odiosum et molestum est fortasse carere. Satiatis vero et expletis iucundius est carere, quam frui. Quanquam non caret is, qui non desiderat. Ergo hoc non desiderare, dico esse iucundius, quam frui.

Quod si istis ipsis voluptatibus bona aetas fruitur libentius; primum paruulis fruitur rebus, ut diximus, deinde iis, quibus senectus, si non abunde potitur, non omnino caret. — Adolescentia, voluptates prope intuens, magis fortasse lactatur: sed delectatur etiam senectus, procul eas spectans, tantum, quantum sat est. — Si vero habet aliquod tanquam pabulum studii atque doctrinae, nihil est otiosa senectute iucundius. — Atqui eos omnes, quos commemoravi, his studiis flagrantes senes vidimus. M. vero Cethegum, quem recte Suadae medullam dixit Ennius, quanto studio exerceri in dicendo videbamus, etiam senem? Quae sunt igitur epularum, aut ludorum, aut scortorum voluptates cum his voluptatibus comparandae? Atque haec quidem studia doctrinae. Quae quidem prudentibus et bene institutis pariter cum aetate crescunt: ut honestum illud Solonis sit, quod ait versiculo quodam, ut ante dixi, senescere se multa in dies addiscentem: qua voluptate animi nulla certe potest esse maior.

---

15. Venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector: quae nec vlla impediuntur senectute, et mihi ad sapientis vitam proxime videntur accedere. — Quid ego vitium satus, ortus, incrementa commemorem? Satiari

delectatione non possum, vt meae senectutis requietem oblectamentumque noscatis.

---

16. Possum persequi multa oblectamenta rerum rusticarum: sed ea ipsa, quae dixi, fuisse sentio longiora. Ignoscetis autem. Nam et studio rerum rusticarum prouectus sum, et senectus est natura loquacior: ne ab omnibus eam vitiis videar vindicare. Ergo in hac vita M.? Curius, cum de Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho triumphasset, consumpsit extremum tempus aetatis. — Poteratne tantus animus non iucundam efficere senectutem? Sed venio ad agricolas, ne a meipso recedam. In agris erant tum senatores, id est, senes. — Num igitur eorum senectus miserabilis fuit, qui se agri cultione oblectabant? Mea quidem sententia haud scio, an vlla beatior esse possit: neque solum officio, quod hominum generi vniuerso cultura agrorum est salutaris, sed et delectatione, quam dixi, et saturitate copiaque omnium rerum, quae ad victum hominum, ad cultum etiam deorum pertinent: vt, quoniam haec quidam desiderant, in gratiam iam cum voluptate redeamus. — Breuiter praecidam. Agro bene culto nil potest esse nec vsu vberius, nec specie ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam inuitat atque allecat senectus. Vbi enim potest illa aetas, aut calescere vel apricatione melius, vel igni; aut vicissim vmbriis aquisue refrigerari salubrius. Sibi igitur habeant arma, sibi equos, sibi hastas, sibi clauam, sibi pilam, sibi nationes et cursus: nobis senibus ex lusionibus multis talos relinquunt et

tesseras: idipsum, vtrum iubebit: quoniam sine his beata esse senectus potest.

---

17. Hac igitur fortuna frui licet senibus: nec aetas impedit, quo minus et ceterarum rerum, et inprimis agri colendi studia teneamus vsque ad vltimum tempus senectutis. M. quidem Valerium Coruum accepimus ad centesimum annum perduxisse, cum esset acta iam aetate in agris, eosque coleret: cuius inter primum et sextum consulatum, sex et quadraginta anni interfuerunt. Itaque quantum spatium aetatis maiores nostri ad senectutis initium esse voluerunt, tantus illi cursus honorum fuit. Atque eius extrema aetas hoc beatior, quam media, quod auctoritatis plus habebat, laboris vero minus. Apex autem senectutis est auctoritas. — Habet senectus, honorata praesertim, tantam auctoritatem, vt ea pluris sit, quam omnes adolescentiae voluptates.

---

18. Sed in omni oratione mementote, eam me laudare senectutem, quae fundamentis adolescentiae constituta sit; ex quo id efficitur, (quod ego magno quondam cum assensu omnium dixi:) miseram esse senectutem, quae se oratione defenderet. Non cani, non rugae repente auctoritatem arripere possunt: sed honeste acta superior aetas fructus capit auctoritatis extremos. Haec enim ipsa sunt honorabilia, quae videntur leuia atque communia: salutari, appeti, decedi, assurgi, deduci, reduci, consuli; quae et apud nos, et in aliis ciuitatibus, vt quaeque optime morata, ita diligen-

tissime observantur. Lysandrum Lacedaemonium, cuius modo mentionem feci, dicere aiunt solitum: Lacedaemone esse honestissimum domicilium senectutis. Nusquam enim tantum tribuitur aetati, nusquam est senectus honoratior: quin etiam memoriae proditum est, cum Athenis, ludis, quidam in theatrum grandis natu venisset, in magno consessu locum ei a suis ciuibus nusquam datum: cum autem ad Lacedaemonios accessisset, qui legati cum essent, in loco certo consederant, consurrexisse omnes, et senem illum sessum recepisse. — At sunt morosi, et anxii, et iracundi, et difficiles senes: si quaerimus, etiam auari. Sed haec morum vitia sunt, non senectutis. Ac morositas tamen, et ea vitia, quae dixi, habent aliquid excusationis, non illius quidem iustae, sed quae probari posse videatur. Contemni se putant, despici, illudi. Praeterea in fragili corpore odiosa omnis offensio est. Quae tamen omnia dulciora sunt et moribus bonis, et artibus. — Sic se res habet. Vt enim non omne vinum, sic non omnis aetas vetustate coacescit. Seueritatem in senectute probo, sed eam (sicut alia) modicam: acerbiter nullo modo. Auaritia vero senilis quid sibi velit, non intelligo. Potest enim quidquam esse absurdus, quam, quo minus viae restat, eo plus viatici quaerere?

---

19. Quarta restat causa, quae maxime angere atque sollicitam habere nostram aetatem videtur, appropinquatio mortis: quae certe a senectute non potest longe abesse. O miserum senem, qui mortem contemnendam esse in tam lou-

ga aetate non viderit! quae aut plane negligenda est, si omnino exstinguit animum; aut etiam optanda, si aliquo eum deducit, vbi sit futurus aeternus. Atqui tertium certe nihil inueniri potest.

Quid igitur timeam, si aut non miser post mortem, aut beatus etiam futurus sum? Quanquam quis est tam stultus, quamuis sit adolescens, cui sit exploratum, se ad vesperum esse victurum? Quin etiam aetas illa multo plures, quam nostra, mortis casus habet. Facilius in morbos incidunt adolescentes; grauius aegrotant, tristius curantur. Itaque pauci veniunt ad senectutem: quod ni ita accideret, melius et prudentius viveretur. Mens enim, et ratio, et consilium, in senibus est. — Sed redeo ad mortem impendentem, quod illud est crimen senectutis, cum illud videatis cum adolescentia esse commune?

Sensi ego cum in optimo filio meo, tum in exspectatis ad amplissimam dignitatem fratribus tuis, Scipio, omni aetati mortem esse communem. At sperat adolescens, diu se victurum; quod sperare idem senex non potest. Insipienter sperat. Quid enim stultius, quam incerta pro certis habere, falsa pro veris? Senex ne quod speret quidem habet. At est eo meliore conditione, quam adolescens: cum id, quod ille sperat, hic iam consecutus est. Ille vult diu vivere: hic diu vixit. Quanquam, o dii boni, quid est in hominis vita diu? Da enim supremum tempus: Exspectemus Tartessorum regis aetatem; fuit enim (vt scriptum video) Arganthonius quidam Gadibus, qui octoginta regnavit annos, centum et viginti vixit. Sed mihi ne diuturnum quidem quidquam videtur, in quo est aliquid extremum.

Cum enim id aduenit; tunc illud, quod praeteriit, effluxit: tantum remanet, quod virtute et recte factis consecutus sis. Horae quidem cedunt, et dies, et menses, et anni: nec praeteritum tempus vnquam reuertitur, nec quid sequatur, sciri potest. Quod cuique temporis ad viuendum datur, eo debet esse contentus. — Breue enim tempus aetatis, satis est longum ad bene honesteque viuendum. Sin processeris longius, non magis dolendum est, quam agricolae dolent, praeterita verni temporis suauitate, aestatem autumnumque venisse. Ver enim, tanquam adolescentiam significat, ostenditque fructus futuros: reliqua tempora demetendis fructibus et percipiendis accommodata sunt. Fructus autem senectutis est (vt saepe dixi) ante partorum bonorum memoria et copia. Omnia vero, quae secundum naturam fiunt, sunt habenda in bonis. Quid est autem tam secundum naturam, quam senibus emori? quod idem contingit adolescentibus, aduersante et repugnante natura. Itaque adolescentes mori sic mihi videntur, vt cum aquae multitudine vis flammae opprimitur: senes autem sicut sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis exstinguitur; et quasi poma, ex arboribus, si cruda sunt, vi auelluntur; si matura et cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas: quae mihi quidem tam iucunda est, vt, quo propius ad mortem accedam, quasi terram videre videar, aliquandoque in portum ex longa nauigatione esse venturus.

---

20. Omnium aetatum certus est terminus: senectutis autem nullus certus est terminus: recte-

que in ea viuitur, quoad munus officii exsequi et tueri possis; et tamen mortem contemnere. Ex quo fit, vt animosior etiam senectus sit, quam adolescentia, et fortior. Hoc illud est, quod Pisistrato tyranno a Solone responsum est: cum illi quaerenti: qua tandem spe fretus sibi tam audaciter obsisteret; respondisse dicitur, Senectute. Sed vivendi finis est optimus, cum integra mente, ceterisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quae coagmentauit, natura dissoluit. Vt nauem, vt aedificium idem destruit facillime, qui construxit: sic hominem eadem optime, quae conglutinauit, natura dissoluit. Iam, omnis conglutinatio recens, aegre; inueterata, facile diuellitur. Ita fit, vt illud breue vitae reliquum nec auide appetendum senibus, nec sine causa deserendum sit: vetatque Pythagoras iniussu imperatoris, id est, dei, de praesidio et statione vitae decedere. Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum et lamentis vacare. Vult, credo, se esse carum suis. Sed haud scio, an melius Ennius: Nemo me lacrymis decoret, neque funera fletu faxit. Non censet lugendam esse mortem, quam immortalitas consequatur. Iam sensus moriendi aliquis esse potest, isque ad exiguum tempus, praesertim seni: post mortem quidem sensus aut optandus, aut nullus est. Sed hoc meditatam ab adolescentia debet esse, mortem vt negligamus: sine qua meditatione, tranquillo esse animo nemo potest. Moriendum enim certe est: et id incertum, an eo ipso die. Mortem igitur omnibus horis impendentem timens, qui poterit animo consistere? — Quod igitur adolescentes, et ii quidem non solum indo-

eti, sed etiam rustici contemnunt, id docti senes extimescent? Omnino (vt mihi quidem videtur) studiorum omnium satietas, vitae facit satietatem. Sunt pueritiae certa studia. Num igitur ea desiderant adolescentes? Sunt et ineuntis adolescentiae. Num ea iam constans requirit aetas, quae media dicitur? Sunt etiam huius aetatis. Ne ea quidem quaeruntur a senectute. Sunt extrema quaedam studia senectutis. Ergo, vt superiorum aetatum studia occidunt, sic occidunt etiam senectutis. Quod cum euenit, satietas vitae tempus maturum mortis affert.

---

21. Equidem non video, cur, quid ipse sentiam de morte, non audeam vobis dicere: quod eo melius mihi cernere videor, quo ab ea propius absum. — Nam, dum sumus in his inclusi compagibus corporis, munere quodam necessitatis, et graui opere perfungimur. Est enim animus coelestis ex altissimo domicilio depressus et quasi demersus in terram, locum diuinae naturae aeternitatisque contrarium. — Audiebam Pythagoram, Pythagoreosque, incolas paene nostros, qui essent italici philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex vniuersa mente diuina delibatos animos haberemus. Demonstrabantur mihi praeterea, quae Socrates supremo vitae die de immortalitate animorum disseruisset, is, qui esset omnium sapientissimus oraculo Apollinis iudicatus. Quid multa? sic mihi persuasi, sic sentio, cum tanta celeritas animorum sit, tanta memoria praeteritorum, futurorumque prudentia (prouidentia) tot artes, tantae scientiae, tot in-

venta, non posse eam naturam, quae res eas continet, esse mortalem: cumque semper agitetur animus, nec principium motus habeat, quia se ipse moueat; ne finem quidem habiturum esse motus, quia nunquam se ipse sit relicturus, et, cum simplex animi natura esset, neque haberet in se quidquam admistum, dispar sui atque dissimile, non posse eum diuidi: quod si non possit, non posse interire: magnoque esse argumento, homines scire pleraque ante, quam nati sint, quod iam pueri, cum artes difficiles discant, ita celeriter res innumerabiles arripiant, ut eas non tum primum accipere videantur, sed reminisci et recordari. Haec Platonis fere. Apud Xenophontem autem moriens Cyrus maior haec dicit.

---

22. Nolite arbitrari, o mihi carissimi filii, me, cum a vobis discessero, nusquam, aut nullum fore. Nec enim, dum eram vobiscum, animum meum videbatis: sed cum esse in hoc corpore, ex iis rebus, quas gerebam, intelligebatis. Eundem igitur esse creditote, etiam si nullum videbitis. Nec vero clarorum virorum post mortem honores permanerent, si nihil eorum ipsorum animi efficerent, quo diutius memoriam sui teneremus. Mihi quidem nunquam persuaderi potuit, animos, dum in corporibus essent mortalibus, viuere; cum exissent ex iis, emori: nec vero tum animum esse insipientem, cum ex insipiente corpore euasisset: sed cum omni admixtione corporis liberatus, purus et integer esse coepisset, tum esse sapientem. Atque etiam, cum hominis natura morte dissoluitur, ceterarum rerum perspicuum est, quo quae-

que discedant. Abeunt enim illuc omnia, vnde orta sunt: animus autem solus, nec cum adest, nec cum discedit, apparet. Iam vero videtis, nihil esse morti tam simile, quam somnum. Atque dormientium animi maxime declarant divinitatem suam. Multa enim cum remissi et liberi sunt, futura prospiciunt. Ex quo intelligitur, quales futuri sint, cum se plane corporis vinculis relaxauerint.

---

25. An censes (vt de me ipso aliquid more senum glorier) me tantos labores diurnos nocturnosque domi militiaeque suscepturum fuisse, si iisdem finibus gloriam meam, quibus vitam essem terminaturus? Nonne melius multo fuisset, otiosam aetatem, et quietam, sine vlllo labore et contentione traducere? Sed nescio, quomodo animus erigens se, posteritatem semper ita prospiciebat, quasi, cum excessisset e vita, tum denique victurus esset. Quod quidem ni ita se haberet, vt animi immortales essent, haud optimi cuiusque animus maxime ad immortalem gloriam niteretur.

Quid, quod sapientissimus quisque acquissimo animo moritur, stultissimus iniquissimo? Nonne vobis videtur animus is, qui plus cernat, et longius, videre, se ad meliora proficisci: ille autem, cuius obtusior sit acies, non videre? Equidem efferor studio patres vestros, quos colui et dilexi, videndi; neque vero eos solum conuenire aueo, quos ipse cognoui; sed illos etiam, de quibus audiui, et legi, et ipse conscripsi. Quo quidem me proficiscentem haud sane quis facile retraxerit, neque tanquam Peliam recoxerit. Quod si quis

deus mihi largiatur, vt ex hac aetate repuerascam et in cunis vagiam, valde recusem: nec vero velim, quasi decurso spatio, ad carceres a cae reuocari. Quid enim habet vita commodi? quid non potius laboris? sed habeat sane. Habet certe tamen, aut satietatem, aut modum. Non lubet enim mihi deplorare vitam, quod multi, et ii docti, saepe fecerunt. Neque me vixisse poenitet: quoniam ita vixi, vt non frustra me natum existimem: et ex vita ita discedo, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo. Commorandi enim natura deversorium nobis, non habitandi dedit.

O praeclarum diem, cum ad illud diuinum animorum concilium coetumque proficiscar, cumque ex hac turba et colluione discedam! Proficiscar enim non ad eos solum viros, de quibus ante dixi; sed etiam ad Catonem meum, quo nemo vir melior natus est, nemo pietate praestantior; cuius a me corpus crematum est; quod contra decuit ab illo meum. Animus vero non me deserens sed respectans, in ea profecto loca discessit, quo mihi ipsi cernebat esse veniendum. Quem ego meum casum fortiter ferre visus sum: non quod aequo animo ferrem, sed me ipse consolabar, existimans, non longinquum inter nos digressum et discessum fore.

His mihi rebus, Scipio (id enim te cum Laelio admirari solere dixisti) leuis est senectus, nec solum non molesta, sed etiam iucunda. Quod si in hoc erro, quod animos hominum immortales esse credam, lubenter erro: nec mihi hunc errorem, quo delector, dum viuo, extorqueri volo. Sin mortuus (vt quidam minuti<sup>9</sup> philosophi censent) nihil sentiam: non vereor, ne hunc errorem me-

vm mortui philosophi irrideant. Quod si non sumus immortales futuri, tamen exstingui homini suo tempore optabile est. Nam habet natura, vt aliarum omnium rerum, sic viuendi modum. Senectus autem, peractio aetatis est, tanquam fabulae; cuius defatigationem fugere debemus, praesertim adiuncta satietate. Habui haec, de senectute quae dicerem: ad quam vtinam perueniatis! vt ea, quae ex me audistis, re experti probare possitis.

---

Cic. Lael. 1. Sed, vt in Catone Maiore, qui est scriptus ad te de senectute, Catonem induxi senem disputantem, quia nulla videbatur aptior persona, quae de illa aetate loqueretur, quam eius, qui et diutissime senex fuisset, et in ipsa senectute prae ceteris floruisset: sic, cum accepissemus a patribus maxime memorabilem C. Laelii et P. Scipionis familiaritatem fuisse, idonea mihi Laelii persona visa est, quae de amicitia ea ipsa dissereret, quae disputata ab eo meminisset Scaevola. — Sed vt tum ad senem senex de senectute, sic hoc libro ad amicum amicissimus de amicitia scripsi. Tum est Cato locutus, quo erat nemo fere senior temporibus illis, nemo prudentior: nunc Laelius et sapiens (sic enim est habitus) et amicitiae gloria excellens, de amicitia loquitur.

---

3. Moueor enim tali amico orbatus, qualis, vt arbitror, nemo vnquam erit: et, vt confirmare possum, nemo certe fuit. Sed non egeo medicina: me ipse consolor, et maxime illo solatio,

quod eo errore careo, quo amicorum decessu plerique angi solent. Nihil enim mali accidisse Scipioni puto. Mihi accidit, si quid accidit. Suis autem incommodis grauius angi, non amicum, sed seipsum amanti est.

Senectus enim, quamuis non sit grauis, ut memini Catonem anno ante, quam mortuus est, mecum et cum Scipione disserere, tamen aufert eam viriditatem, in qua etiam tunc erat Scipio.

Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna, vel gloria, ut nihil posset accedere. Moriendi autem sensum celeritas abstulit. Quo de genere mortis difficile dictu est: quid homines suspicentur, videtis. Hoc tamen vere licet dicere, P. Scipioni, ex multis diebus, quos in vita celeberrimos laetissimosque viderit, illum diem clarissimum fuisse, cum, senatu dimisso, domum reductus ad vesperum est, a patribus conscriptis, a populi Romani sociis, et Latinis, pridie quam excessit e vita; ut ex tam alto dignitatis gradu ad superos videatur deos potius, quam ad inferos peruenisse. Neque enim assentior iis, qui haec nuper disserere coeperunt, cum corporibus simul animos interire, atque omnia morte deleri.

---

4. Plus apud me antiquorum auctoritas valet, vel nostrorum maiorum, qui mortuis tam religiosa iura tribuerunt: quod non fecissent profecto, si nihil ad eos pertinere arbitrarentur: — vel eius, qui Apollinis oraculo sapientissimus est iudicatus: qui non tum hoc, tum illud, ut in plerisque, sed idem dicebat semper, animos hominum esse diuinos: iisque, cum e corpore excessissent,

reditum in coelum patere, optimoque et iustissimo cuique expeditissimum. — Id si ita est, vt optimi cuiusque animus in morte facillime euolet, tanquam e custodia vinculisque corporis: cui censemur cursum ad deos faciliorem fuisse, quam Scipioni? Quocirca moerere hoc eius euentum, vereor, ne inuidi magis, quam amici sit. Sin autem illa veriora, vt idem interitus sit animorum et corporum, nec vllus sensus maneat; vt nihil boni est in morte, sic certe nihil mali. Sensu enim amisso, fit idem, quasi natus non esset omnino.

---

5. Hos viros bonos, vt habiti sunt, sic etiam appellandos putemus; quia sequantur (quantum homines possunt) naturam, optimam bene vivendi ducem.

---

6. Diuitias alii praepouunt, bonam alii valetudinem, alii potentiam, alii honores, multi etiam voluptates. Belluarum hoc quidem extremum est: illa autem superiora, caduca et incerta, posita non tam in nostris consiliis, quam in fortunae temeritate. — Denique ceterae res, quae expetuntur, opportunae sunt singulae rebus fere singulis: diuitiae, vt vtare: opes, vt colare: honores, vt laudare: voluptates, vt gaudeas: valetudo, vt dolore careas et muneribus fungare corporis.

---

8. Quapropter a natura mihi videtur potius, quam ab indigentia, orta amicitia, et applicatione magis animi cum quodam sensu amandi, quam

cogitatione, quantum illa res utilitatis esset habitura. Quod quidem quale sit, etiam in bestiis quibusdam animaduerti potest: quae ex se natos ita amant ad quoddam tempus, et ab iis ita amantur, ut facile earum sensus appareat. Quod in homine multo est evidentius. Primum ex ea caritate, quae est inter natos et parentes: quae dirimi, nisi detestabili scelere, non potest. Deinde cum similis sensus exstitit amoris, si aliquem nacti sumus, cuius cum moribus et natura congruamus, quod in eo quasi lumen aliquod probitatis et virtutis perspicere videamur.

---

21. Quod si hoc apparet in bestiis, volucribus, nantibus, agrestibus, cicuribus, feris, primum ut se ipsae diligant: (id enim pariter cum omni animante nascitur) deinde ut requirant atque appetant, ad quas se applicent, eiusdem generis animantes: idque faciunt cum desiderio, et cum quadam similitudine amoris humani: quanto id magis in hominis sit natura, qui et se ipse diligit, et alterum anquirat, cuius animum ita cum suo commisceat, ut efficiat paene vnum ex duobus?

---

27. Sed quoniam res humanae fragiles caducaeque sunt, semper aliqui anquirendi sunt, quos diligamus, et a quibus diligamur. Caritate enim benevolentiaque sublata, omnis est e vita sublata iucunditas.

---

Cic. de petit. consul. 11. Curaque, ut aditus ad te diurni nocturnique pateant, neque foribus

solum aedium tuarum, sed etiam vultu ac fronte, quae est animi ianua. Quae si significant voluntatem abditam esse ac retrusam, parui refert patere ostium. — Quare hoc quidem facile praeceptum est, vt, quod acturus sis, id significes te studiose ac libenter esse facturum.

---

Cic. Fragm. T. I. Redimunt se ea parte corporis; propter quam maxime expetuntur.

Quae te belluam ex vtero, non hominem fudit.

---

Cic. Fragm. T. 3. Maritiae coniugium sic comparatum est natura, vt non solum iucundissima, verum etiam vtilissima vitae societas iniretur, et ne genus humanum temporis longinquitate occideret. Propter hoc mas cum foemina est coniunctus: deinde vt ex hac eadem societate mortalibus adiutoria senectutis, nec minus propugnacula praeparentur: tum etiam, cum victus et cultus humanus non, vti feris, in propatulo, ac siluestribus locis, sed domi sub tecto accurandus esset, necessarium fuit, alterutrum foris sub dio esse, qui labore et industria compararet: intus, qui tectis reconderet atque custodiret: si quidem vel rusticari, vel nauigare, vel etiam alio genere negotiari necesse erat, vt aliquas facultates acquireremus. — Quare cum et operam, et diligentiam ea, quae proposuimus, desiderarent, nec exigua cura foris acquirerentur, quae domi custodiri oporteret: iure, vt dixi, a natura comparata est opera mulieris ad domesticam diligentiam, viri autem ad

exercitationem forensem et extraneam. Itaque viro calores et frigora perpetienda, tum etiam itinera et labores pacis ac belli, id est, rusticationis et militarium stipendiorum, distribuit: mulieri deinceps, quod omnibus his rebus fecerat inhabilem, domestica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc sexum custodiae et diligentiae assignauerat, idcirco timidiores reddidit, quam virilem. Nam metus plurimum confert ad diligentiam custodiendi. Quod autem necesse erat foris et in aperto vietum quaerentibus nonnunquam iniuriam propulsare, idcirco virum, quam mulierem, fecit audaciorum. Quia vero partis opibus aequae fuit opus memoria et diligentia: non minorem foeminae, quam viro, earum rerum tribuit possessionem. Tum etiam, quod simplex natura non omnes res commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit: quoniam quod alteri deest, praesto plerumque est alteri.

Quid? tunc cum es iratus, permittis illi iracundiae dominatum animi tui? Ergo non probares consilio pulso libidines, quae sunt innumerae, iracundias, quae terrent omnia. Ego vero nihil isto animo, nihil ita animato homine miserius ducerem.

Denique ipsa natura non inuitaret solum, sed etiam cogeret.

Est igitur quiddam turbulentum in hominibus singulis, quod vel exultat voluptate, vel molestia frangitur.

Cupido autem et expetenti, et libidinoso, et volutabundo in voluptatibus.

Quantaque anxietudo prona ad luctum, et moerens, semperque ipsa se sollicitans.

Esse autem angores, esse miseria afflictas, atque abiectas timiditate et ignauia.

Homo non ut a matre, sed ut a nouerca natura editus est in vitam corpore nudo, et fragili, et infirmo: animo autem anxio ad molestias, humili ad timores, molli ad labores, prono ad libidines: in quo tamen iacet tanquam obrutus quidam diuinus ignis ingenii et mentis.

Itaque nullus interitus est reipublicae naturalis, ut hominis, in quo mors non modo necessaria est, verum etiam optanda persaepe.

Ut enim gubernatori cursus secundus, medico salus, imperatori victoria: sic huic moderatori reipublicae beata ciuium vita proposita est.

Quae virtus fortitudo vocatur, in qua est magnitudo animi, mortis dolorisque magna contemptio.

Quod molestias senectutis suae vestris familiis impertire posset.

---

Somn. Scip. 1. Deinde, ut cubitum discessimus, me et de via, et qui ad multam noctem vigilassem, arctior, quam solebat, somnus complexus est.

---

2. Hic cum exclamasset Laelius, ingemissentque ceteri vehementius: leniter arridens Scipio, quaeso, inquit, ne me e somno excitetis.

---

3. Hic ego etsi eram perterritus, non tam metu mortis, quam insidiarum a meis, quaesiui

tamen, viueretne ipse et Paullus pater, et alii, quos nos extinctos arbitraremur. Imo vero, inquit, ii viuunt, qui ex corporum vinculis, tanquam e carcere, euolauerunt: vestra vero, quae dicitur vita, mors est.

Nisi Deus is, cuius hoc templum est omne, quod conspicias, istis te corporis custodiis liberauerit, huc tibi aditus patere non potest. Homines enim sunt hac lege generati, qui tuerentur illum globum, quem in hoc templo medium vides, quae terra dicitur: hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quae sidera et stellas vocatis: quae globosae et rotundae, diuinis animatae mentibus, circulos suos orbisque conficiunt celeritate mirabili. Quare et tibi, Publi, et piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, nec iniussu eius, a quo ille est vobis datus, ex hominum vita migrandum est, ne munus humanum assignatum a Deo defugisse videamini.

---

8. Tu vero enitere, et sic habeto, non esse te mortalem, sed corpus hoc. Nec enim tu is es, quem forma ista declarat: sed mens cuiusque, is est quisque; non ea figura, quae digito demonstrari potest. Deum te igitur scito esse: siquidem Deus est, qui viget, qui sentit, qui meminit, qui prouidet, qui tam regit, et moderatur, et mouet id corpus, cui praepositus est, quam hunc mundum ille princeps Deus: et vt mundum ex quadam parte mortalem ipse Deus aeternus, sic fragile corpus animus sempiternus mouet. Nam quod semper mouetur, aeternum est; quod autem motum affert alicui, quodque ipsum agitur aliunde; quando

finem habet motus, viuendi finem habeat necesse est. Solum igitur, quod sese mouet, quia nunquam deseritur a se; nunquam ne moueri quidem desinit: quin etiam ceteris, quae mouentur, hic fons, hoc principium est mouendi. Principio autem nulla est origo. Nam ex principio oriuntur omnia: ipsum autem nulla ex re alia nasci potest: nec enim id esset principium, quod gigneretur aliunde: quod si nunquam oritur, ne occidit quidem vnquam. Nam principium extinctum, nec ipsum ab alio renascetur, nec ex se aliud creabit: siquidem necesse est a principio oriri omnia. Ita fit, vt motus principium ex eo sit, quod ipsum a se mouetur: id autem nec nasci potest; nec mori.

---

9. Cum pateat igitur, aeternum id esse, quod a se ipso moueatur, quis est, qui hanc naturam animis esse tributam neget? Inanimum est enim omne, quod pulsu agitatur externo: quod autem animal est, id motu cietur interiore et suo. Nam haec est natura propria animae atque vis. Quae si est vna ex omnibus, quae sese moueat: neque nata est certe, et aeterna est.

Namque eorum animi, qui se corporis voluptatibus dediderunt, earumque se quasi ministros praebuerunt, impulsuque libidinum voluptatibus obedientium, deorum et hominum iura violaerunt; corporibus elapsi circum terram ipsam voluntantur; nec hunc in locum, nisi multis exagitati seculis, reuertuntur. Ille discessit: ego somno solutus sum.

---

**Cic. Hortens.** Ut ii, qui combibi purpuram volunt, sufficiunt prius lanam medicamentis quibusdam, sic literis talibusque doctrinis ante excoli animos, et ad sapientiam concipiendam imbui et praeparari decet.

Quaero enim, non quibus intendam rebus animum, sed quibus relaxem et remittam.

Vidi in dolore podagrae vel omnium maximum Stoicorum Possidonium, nihilo ipsum, quam Nicomachum Tyrium, hospitem meum, fortio-  
torem.

Si nobis, cum ex hac vita migrauerimus, in beatorum insulis, immortale aeuum, vt fabulae ferunt, degere liceret, quid opus esset — temperantia, quae regeret eas, quae nullae essent, libidines.

Vt ait Ennius: refugiat timido sanguen, atque albescat metu.

Ad iuuenilem libidinem, copia voluptatum gliscit illa, vt ignis oleo.

Oratae, homini ditissimo, amoenissimo, delicatissimo, neque ad voluptatem quidquam defuit, neque ad gratiam, neque ad bonam integramque valitudinem. Nam et praediis quaestuosissimis, amicis iucundissimis, quantum libuit, et abundauit, et illis omnibus aptissime ad salutem corporis vsus est: eiusque (vt breuiter totum explicem) omne institutum voluntatemque omnem successio prospera consecuta est.

Vixit ad summam senectutem valitudine optima.

Voluptates autem nulla ad res necessarias inuitamenta afferunt senibus.

An vero voluptates corporis expetendae, quae vere et grauiter a Platone dictae sunt illecebrae atque escae malorum? Quae enim confectio est valetudinis, quae deformatio coloris et corporis, quod turpe damnum, quod dedecus, quod non euocetur atque eliciatur voluptate?

Alius adultis, alius senibus: alius aegris, alius sanis: alius siccis, alius vinolentis.

Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem, quam qui est in vita, aut certe non deteriore est allatura statum. Nam sine corpore, animo vigente, diuina est vita: sensu carenti nihil profecto est mali.

---

Cic. Timaeus 4. Corporeum autem et adspectabile, itemque tractabile omne necesse est esse, quod natum est. Nihil porro, igni vacuum, videri potest: nec vero tangi, quod careat solido: solidum autem nihil, quod terrae sit expers. — Omnia autem duo ad cohaerendum tertium aliquid requirunt, et quasi nodum vinculumque desiderant. Sed vinculorum id est aptissimum atque pulcerrimum, quod ex se, atque de his, quae adstringit, quam maxime vnum efficit. Id optime assequitur quae graece ἀναλογία, latine (audendum est enim, quoniam haec primum a nobis nouantur) comparatio proportioe dici potest.

---

5. Postremo ne quis morbus eum possit, aut senectus affligere. Omnis enim coagmentatio corporis, vel calore, vel frigore, vel aliqua impulsione vehementi labefactatur et frangitur, et ad

morbos senectutemque compellitur. Hanc igitur habuit rationem effector mundi, molitorque Deus, vt vnum opus totum atque perfectum ex omnibus totis atque perfectis absolueretur; quod omni morbo senioe careret.

---

7. Deus autem et ortu et virtute antiquiorem genuit animum, eumque vt dominum atque imperantem, obedienti praefecit corpori: idque molitus tali quodam est modo. Ex materia quae indiuidua est, et quae semper vnus modi, sui-que similis, et ex ea, quae corporibus diuidua gignitur, tertium materiae genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset eiusdem naturae; et quod alterius: idque interiecit inter indiuiduum, atque id, quod diuiduum esset in corpore. Ea cum tria sumpsisset, vnam in speciem temperauit: naturamque illam, quam alterius diximus, vel cum eadem coniunxit, fugientem, et eius copulationis alienam, permiscens cum materia, cum ex tribus effecisset vnum, id ipsum in ea, quae decuit, membra partitus est. Iam partes singulas ex eodem, et ex altero, et ex materia temperauit.

---

12. Sed cum duplex esset natura generis humani, sic se res habebant, vt praestantius genus esset eorum, qui essent futuri viri. Cum autem animis corpora cum necessitate inseuisset, cumque ad corpora necessitate tum accessio fieret, tum abscessio; necesse erat, sensum existere vnum, communemque omnium vehementiore motu excitato coniunctoque naturae: deinde voluptate et molestia mixtum amorem: post, iram, et metum, et reliquos

motus animi, comites superiorum, et his etiam contrarios dissidentes: quos qui ratione rexerit, iuste vixerit; qui autem his se dediderit, iniuste. Atque ille, qui recte et honeste curriculum viuendi a natura datum confecerit, ad illud astrum, quo, cum aptus fuerit, reuertetur. Qui autem immoderate et intemperate vixerit, eum secundus ortus in figuram muliebrem transferet; et si ne tum quidem finem vitiorum faciet, grauius etiam iactabitur, et in suis moribus simillimas figuras pecudum et ferarum transferetur: neque malorum terminum prius adspiciet, quam illam sequi coeperit conuersionem, quam habebat in se ipse, eiusdem, et vnius, simul innatam et insitam. Quod tum eueniet, cum illa, quae ex igne, aëre, aqua atque terra, turbulenta et rationis expertia insederint, denique ratione depulerit, et ad primam atque optimam affectionem animi peruenerint.

---

14. Ac de oculorum quidem causis, ut haberent eam vim, quam nunc habent, satis ferme esse dictum puto. Maxima autem eorum vtilitas donata humano generi deorum munere deinceps explicetur. Rerum enim optimarum cognitiones nobis oculi attulerunt. Nam haec, quae est habita de Vniuersitate oratio a nobis, haud vnquam esset inuenta, si neque sidera, neque sol, neque coelum sub oculorum adspectum cadere potuissent. Nunc vero dies noctesque oculis cognitae, tum mensium annorumque conuersiones ad numerum machinatae sunt, et spatium temporis demensae sunt, et ad quaestionem totius naturae impulerunt. Quibus ex rebus philosophiam adepti sumus: quo bono nul-

lum optabilius, nullum praestantius, neque datum est mortalium generi deorum concessu atque munere, neque dabitur.

---

**Cic. fragm. libror. incert.** Hippocrates, nobilissimus medicus, scriptum reliquit, quosdam fratres, cum simul aegrotare coepissent, et eorum morbus eodem tempore ingrauesceret, eodem levaretur, geminos esse suspicatum.

Omnia pectora sic attingit, ut cogat in gemitum.

Etenim si nemo est, qui non mori malit, quam conuerti in aliquam figuram bestiae, quamvis mentem hominis habiturus, quanto est miserius, in hominis figura animo esse efferato? mihi quidem tanto videtur, quanto est praestabilior animus corpore.

Foeminas omnes visu nocere, quae duces pupillas habent.

Meliora unguenta sunt, quae terram, quam quae crocum sapiunt.

Cicero in admirandis posuit, Reatinis tantum paludibus unguulas iumentorum indurari.

Quaedam terrae imbribus sicciores sunt, veluti in Narniensi agro, quod admirandis suis inseruit M. Cicero; siccitate lutum fieri prodens; imbre puluerem.

---

**Cic. consol.** Quanquam recentibus morbis medicinam adhibere vetant sapientes, nihilque aduersi hominibus accidere solet in vita, quod aut improvisum, aut inexpectatum videatur: con-

mur tamen, si qua ratione possumus, mederi nobismetipsis, et domesticae subuenire calamitati. Si enim quoties vsu venit, consulimus ceteris, cur non aliquando nobis ipsis? et, si mala, quae nec vitari, nec auerti humanis viribus possunt, pertulimus toleranter, cur non ea, si possumus, ratione leuiora faciamus? praesertim cum ad aegritudines et molestias depellendas eo acrius incumbere homines debeant, quo melius est, sine cura viuere, quam curis et angoribus oppressum ac circumuentum, humanam conditionem, satis per se miseram, aliis etiam incommodis efficere miseriores. Quid porro praesiantius, quid utilius est, quam cum corpore valeas, curare, vt etiam animo valere possis? siquidem corpus animi gubernaculo, animus autem ministerio corporis indiget. At neque animus aeger bene gubernabit, nec affectum corpus animi recte parebit imperio.

Casus enim ereptae nobis filiae, quam in oculis ferebamus, eximiis et virtutis et prudentiae laudibus praestantem, ita nos vel perculit, vel allixit, vt ab iis opem ad leniendum et mitigandum dolorem petere coacti simus, quorum maxime doctrina atque auctoritate antea mouebamur. Itaque multa, quae ab illis vel acute cogitata, vel eleganter enuntiata sunt, ad dolorem nostrum abstergendum colligemus, vt, si minus ceteros in tanto moerore delectare poterimus, quod alias et dicendo, et scribendo efficere conati sumus, et fortasse interdum praestitimus, saltem nobis ipsis medeamur. Sed nos etiam in hoc fortiores erimus, quam ceteri, quibus difficile non fuit, cum doloris expertes ipsi essent, alios consolari, et a moerore abducere: nos autem dolore afflicti, consolationem a nobis peten-

tes, nosmetipsos in dolore vincemus, ac naturae quandam quasi vim afferemus. Quae utinam tanti sit, ut ceteros quoque in pari fortuna doceat adversos casus patienter ferre: qui quo saepius contingunt, eo propiores hominibus putandi sunt, quasque in ipsa humana natura innati atque insiti, ideoque leuius ferendi. Qui enim hominem se esse agnoscit, hominisque nomen sibi vindicat, cur ea, quae hominis maxime propria sunt, recusare ac reiicere audeat? — Sed ego Crantorem sequor: cuius legi breuem illum quidem, sed vere aureum, et, ut Panaetio placuit, ad verbum ediscendum de luctu librum, quo acute vniuersam doloris medicinam complexus est. Sed humanae naturae incommoda ita diligenter et accurate expressit, ut quasi luendorum scelerum causa nasci homines, et in hanc lucem ingredi, possis agnoscere. Fac enim nasci hominem, et in lucem edi, continuo senties, non rerum humanarum dominum et gubernatorem exortum, sed verius miseriarum seruum atque incommodorum. Nam **infantiam** et pueritiam vagitus, lacrimae, imbecillitas, nullus nec rationis nec corporis vsus, dolores molestiaeque quamplurimae amplectuntur. **Adolescentiam** ardor quidam excipit aetatis, nec prudentiae, nec iudicii compos: rerum vtilium ac laudabilium contemptio: voluptatis, et saepe turpitudinis appetitio: veri boni ignoratio: in pares ferocia, in superiores superbia, in infimos arrogantia. Ex his contentiones, rixae, contumeliae, assiduus denique molestiarum concursus existit: ex rebus honestis contemptis infelicitas et infamia: ex turpibus curiose arreptis et conquisitis, luctus, morbi, perpetuum denique sui ipsius odium, ex cognita rerum

turpium mercede conflatum. Adde insanas pecuniarum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopiae, non liberorum, non vxoris, non posterorum, non familiae. Quae si quis aetatis potius vitia, quam naturae miserias, velit appellare: quamquam nominis quaestionem inducat, non tamen ipsas ab homine miserias atque incommoda remouebit. Nec vero audiendus erit, qui haec ab humanae naturae miseriis separanda putet, quod non in natura insita sint, sed vnus, vel aliquorum hominum errores videantur: totius autem naturae illa esse affirmet, quae a nullo prorsus homine seiungi possint. Quasi vero humanum non sit irasci, quod multi non irascantur, aut non humanum loqui, qui, et societatem coire, quod multi reperiuntur, qui nihil difficilius faciant, quam cum hominibus congregari, aut sermonem cum aliquo conferre. Vere autem humanae miseriae sunt, quod et si non omnes in vno, certe omnes in omnibus, et aliqua in multis, et multae saepe in vno agnoscuntur. Iam constantis aetatis quot, quantaque miseriae sint, non difficile est intelligere, at difficillimum enumerare. Haec enim ex omnibus hominis aetatibus in perturbationes animi, in pericula capitis, famae, fortunarum vna maxime incurrit. Sicut enim ceterarum omnium aetatum, ad res negotiaque tum priuata, tum publica peragenda aptissima est maximeque idonea: ita etiam vna, prae ceteris omnibus, difficultatum miseriarumque omnium, quae ex publica priuataque administratione oriuntur, particeps et socia est. Haec priuata amicorum negotia procurat, haec publica sustinet munera: haec gloriam et commodum ex rebus feliciter euenientibus, haec aerumnas et

molestias ex aduersis experitur. Huic bonorum ciuium propugnatio, huic malorum accusatio proposita est: huic inuidia et aemulatio a bonis imminet, a malis pericula et insidiae intenduntur: aetas nunquam sibi ipsi non infesta, nunquam pacata, semper laboriosa, semper anxia et sollicita. Quae si non aliquos interdum vel utilitatis, vel voluptatis fructus ex assiduo labore perciperet, se ipsam profecto regere ac tueri non posset. Sed miseriarum numerus multo maior est: magnitudo autem tanta, ut neminem a publicis procurationibus non auertere ac deterrere possit. — Nunc, quae extrema de aetatibus superest, quid ego de senectutis incommodis ac miseriis loquar, quas plurimas esse et grauissimas, et nomen ipsum, languoris calamitatisque plenissimum, indicat, et adpectus ipse senum hominum patefacit. Quid est enim aliud, senem videre trementem, incuruum, canum, imbecillum, infirmum, quam cernere morientem vivum, aut viuentem mortuum? Ac, si nonnullis visum est, magnam esse senilis aetatis consolationem, prudentiam, usu rerum quaesitam, quae illius aetatis propria est: eosdem illos fateri oportet, ex eo ipso fonte manare etiam ad senes non minimum doloris atque molestiae. — De aetatibus satis mihi videor dixisse. — Quin imo, ut otium humana natura non fert, ipse sibi molestiam ac sollicitudinem exhibebit. — Nec vero alia est foeminarum conditio. Aut enim iisdem, aut parum certe diuersis et molestiis, et angoribus vexantur. Nam et iisdem morbis, quibus viri, et iisdem animi perturbationibus mentisque erroribus obiciuntur. Eoque miserior illorum status est, quo mollior natura, et ad propulsanda incommoda, calamitatesque

perferendas infirmior. Easdem, quas viri, ex parentum, fratrum, sororum, affinium interitu molestias et dolores hauriunt: maritos saepe fatuos, parum de re domestica sollicitos, pecuniam profundentes nanciscuntur; ex quo paupertas et luctus. Quibus malis eo premuntur grauius, quod non, vt homines, indagare possunt, qua maxime ratione medeantur incommodis, rebusque suis consulant. — Permulta praeterea in hoc genere sunt, quae reticere praestat, quam edere. Sed magna certe, vel hoc vno nomine, foeminarum miseria est, quod, quamdiu viuunt, parere semper coguntur. Aut enim inuptae parentibus et affinibus: aut nuptae, maritis parent et seruiunt. Sic, quo minus liberae, eo magis miserae, nec vnquam liberae, nisi e vita profectae. Ergo mortuae beatae censendae erunt. — Cui VXOR contingit, is praeter communes omnium calamitates praecipuo etiam miseriae genere premitur, quod non solum suis, sed etiam domesticis vxoris et familiae molestiis curisque vexatur. Neque enim ab ea, qui cum arctissimo matrimonii vinculo conglutinatus est, aut mente aut cogitatione seiunctus esse potest. Itaque tot vexatus calamitatibus, tantisque miseriis circumclusus hominis animus, quid egregium, aut eximium suspicere, aut cogitare potest? mirum, ni sese abiiciat, ac veluti desperatione percussus humi iaceat. Redeo igitur ad illud, quod initio dixi, neminem esse, qui spiritum ducat, non miserum, neminem vere felicem; parumque sapiunt ii, qui hominem luendorum scelerum causa natum, felicem, aut beatum audent nominare. Nostra enim, quae dicitur vita, mors est; nec vnquam viuit animus, nisi compage solutus corporis,

liber aeternitate potiatur. Itaque mortem in beneficii loco tributam a diis immortalibus iis, quos maxime dilexerunt, traditum est. — Itaque excutiat iam et euellatur funditus falsa illa multorum opinio, malam esse mortem: quandoquidem, vel deorum iudicio, non modo mala non est, sed omnium rerum optima, et omnium munerum, quae humano generi dari possunt, praestantissima. Praeclare: nam et miseriarum omnium, quas viuentes pertulimus, finis est in morte, et vitatio futurarum, in quas progredientes in vita incurrunt. — Ex quo vere colligi potest, sapienter fecisse Thraeces, qui, si Herodoto credimus, nascentibus liberis lugere, morientibus lactari solebant. Exitum videlicet vitae, ut miseriarum finem, et quietis portum, probabant: vitae initium, ut ingressum ad molestias et dolores, inuiti videbant. Si ergo nascimur miseri, morimur beati: quis in hanc lucem edi velit, ut miseriis opprimatur? quis non potius mori, ut beatam vitam acquirat? Et, si hoc nobismetipsis, ut optimum, vellemus: cur liberis et affinis diuersum? An melius nobis, quam iis, quos summe diligimus, esse velimus, aut potius beate nobis, misere ipsis, et infeliciter? Hoc certe nullo modo. Quamobrem amanda mors semper omnibus, carissimis etiam optanda. Ac, si quibus mori praestat, quam viuere, iis praecipue, quos et acta cum virtute vita claros effecit, et mors, satis diuturna vita perfunctos, molestia afficere non potest. Nasci vero non intelligo, quibus expediat. Nam in aerumnas miseriasque ingredientibus quid gratum, quid hilare adspicimus? quare potius non offendimur? quod primus ille nascentium infantium vagitus et eiulatus satis declarat. — Ex quo intelligi

licet, non nasci longe optimum esse, nec in hos scopulos incidere vitae; proximum autem, si natus sis, quam primum mori, et tanquam ex incendio effugere fortunae. — Quamobrem, si dolorum finem mors affert, si securioris et melioris initium vitae: si futura mala auertit: si medetur praesentibus: si nos ex plurimis vel morborum, vel molestiarum, vel acerbis periculis educit, cur eam tantopere accusare, aut dolorem ex ea deriuare velimus, ex qua potius consolationem ac laetitiam haurire fas esset? Nisi si, quod mortem subsequitur, nos fortasse sollicitos habet. De quo libet pauca dicere, ne hic vnus ad molestiam doloremque alendum angulus relinquatur. Qui profecto insipientibus obiiciendus non est, nec in tanto argumentorum aceruo, quibus mortem ipsam nobis obstringere conamur, committendum, vt hoc vno nomine minus nobis debere videatur. Et quanquam haec futuri post mortem temporis cura hominis propria non sit, sed diis immortalibus potius relinquenda, quorum nos vel liberalitati, vel sapientiae permittere fas piisque esset: qui enim nascentium curam suscipiunt, qui viuentes protegunt, alunt, tuentur, fouent; cur morientes deserant? Tamen aliquid etiam modeste de iis exquirere, non est inutile. Necesse est autem, sit alterum de duobus, vt aut sensus penitus omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. Quod si morte sensus exstinguitur, obitusque noster ei somno similis est, qui nonnunquam etiam, sine visis somniorum, placatissimam quietem affert, quid lucri est emori? aut quod omnino tempus reperiri potest, quod ei tempori anteponatur, cui similis futura est perpetuitas omnis consequentis

aetatis? Sin migrationem malimus esse mortem in eas oras, quas e vita profecti incolunt, quid optabilius, quam ad eos proficisci, quos mortuos vivens dilexeris, et cum eis perpetua vita perfrui, qui vt nos in laude viueremus, et libenter moreremur, suis et praeceptis, et exemplis tantopere laborarunt? Mihi certe nihil videtur euenire posse gratius, quam, si mors aditum ad alia loca patefaciat, ad eos venire, et cum iis esse, quos et maxime dilexi, et nunquam non diligere ac laudare possum. Ad meos autem et affines, et amicos vt peruenero, quantopere laetabor? quae iucundior collocutio, qui suauior vel congressus, vel complexus? O vitam vere vifalem, vt ait Ennius, omnibus bonis ac gaudiis circumfluentem: sed beatam etiam mortem, quae ad beatissimam vitam aditum aperiat. Me quidem, etsi dolore vehementer perculsum et afflictum, his tamen monitis et praeceptis non mediocriter alleuari sentio: itaque neminem puto fore, quem non rationes, a nobis tam studiose e sapientum libris collectae, iuuent ac delectent; eoque magis, quo leuiores erunt aliorum dolores, quam hic, quo nos tantopere vexati sumus. — Hoc nos in moerore nostro: quod certe fortis est aegroti, non solum accipere, sed etiam exquirere medicinam. At, si quis erit, quem dolor a ratione auerterit, cui non satis firma videantur ea, quae iam dicta sunt: is se hominem esse meminerit: nihil autem humanius esse morte, vt, si mors ab ipso diuelli atque auferri posset, diis propior habendus esset, quam hominibus, nec omni ex parte hominis nomen ipsi congrueret, quia communi et praecipua hominis conditione non vteretur. Praeterea lacrimis nihil profici, quae

si quid adiumenti afferre possent, non solum effundendae, sed studiose conquirendae viderentur. Denique, non solum iniuste, sed etiam turpissime agere qui immodice doleat. Turpitude enim peior est dolore: siquidem dolor homini a natura insitus est, nihilque habet infamiae, turpitude autem idcirco vituperanda, quod aliquid semper indecorum continet, culpa contractum. At omnis immodicus dolor turpis est et a viro alienus: quandoquidem, ut immodice praeterque rationem doleas, sponte efficis; ex quo culpa exoritur, quae homini maxime fugienda vitandaque est, ne cogitationibus mollissimis, quales interdum perditae amantes suspicere solent, nimium perturbemur et effoeminemur. Quin potius nos ad Homerica praecepta referamus:

Corde age sis firmo, nec te submitte  
dolori:

Namque aliquid grauius, peiusque aliquan-  
do tulisti.

Nemo videlicet suorum funera experitur, cui non aduersa multa antea contigerint: ita variis omni ex parte incommodis humana natura concluditur. Cur igitur grauiora, vel certe aequae grauias fortiter passus, cum maxime occalluisse et ad dolorem nouum obduruisse deberet, despondeat animum, seque moerori tradat? quod etiam iniustum esse, paullo ante dicebamus. Natura enim vsuram nobis vitae dedit, tanquam pecuniae, nulla praefinita die. Quodsi, cum libet, sua repetit, ea conditione commodata, ut restituenda sint, cur accusatur? Aut, cur non potius naturae gratias agis, quod, cum citius potuisset, tardius repetierit,

quam, quod aliquando repetierit, iniusta querela insequeris? Certum est enim non habitandi locum, sed commorandi diuersorium, nobis esse concessum: e quo cum migramus, alacres, tanquam ex hospitio miseriarum atque incommodorum plenissimo, egredi debemus, ac laetissimo animo ad futuram vitam tanquam ad patriam, euolare. — Profecto enim, si quid est, quod morientes perturbet, aut morientium affines habeat sollicitos, id totum aut ex falsa quadam opinione oritur, quod vitae huius vsum nimis vtilem ac iucundum arbitremur, aut ex nimio in nosmetipsos amore caritateque prouenit. Sed opinionem illam, quam rationes adeo firmæ conuellunt, libenter deponere debemus: ab hoc vero amore nimio tanto libentius abhorrere, quanto indecentius est, vitae munere perfunctos velle etiam in vita, diis inuitis, commorari, communemque omnium, qui ante nos e vita discesserunt, conditionem recusare: demum, tanta esse mollitie, tantaque impudentia, vt ne in morte quidem confirmemur ac resipiscamus. Quod si nostrorum mortem dolemus, cogitemus aliquando, moriendum ipsis fuisse: mortem autem incertam esse, nec in hominis arbitrio positam, sed e deorum voluntate pendere: quos vero lugemus, eos quoque suorum mortem vidisse, patienterque tulisse: ideoque suo exemplo, quid nos facere velint, praecipere: denique, id quod ad consolandum maximum ac firmissimum est, non eos nobis penitus ereptos esse, nec prorsus amissos, sed ad praefinitum tempus a nostris oculis, nostraque consuetudine remotos. Itaque, cum ad eum vitae terminum, quem natura praescripserit, nos quoque peruenimus, statim eorum consuetudinem regusta-

bimus, et ad suauissimam vel consuetudinem, vel conuictum redibimus. Mortem suis acerbam amarque in moriendo esse, nonnulli existimant, atque ideo fortasse perturbantur, quod me quidem, sublatis grauioribus dolendi causis, quas iam superiori disputatione reiecimus, minime angit. Ipse enim discessus animi a corpore vel cum nullo, vel certe cum modico dolore fit, et interdum sine sensu: nonnunquam etiam, si recte sapimus, cum voluptate. Sed quidquid sit, totum hoc ita leue est, qualia sunt ea, quae puncto temporis fiunt. Nec, si mors paullo longior alicui contingat, desperandum est, de deorum naturaeque benignitate, quin eo quoque tempore properantem e vita discedere foueant atque alleuent. Cuius rei in morientibus saepissime signa minime dubia cernuntur: cum velut e somno exciti, quo tempore extremum spiritum edituri sunt, ita gaudentes et alacres adspiciunt, vt libentissime iudices e vita proficisci. Quamobrem ne haec quidem vllam aequam doloris afferre causam possunt; qui certe comprimendus ac minuendus est, quod, etiam si nolis, tempore tamen ipso extenuatur et euanescit: non, quod minuendi doloris vis in ipsa die posita sit, sed quod vsus ipse, cogitatioque diuturni temporis doceat, nihil esse in morte mali, ideoque leuiter et patienter ferendam. Sed turpe stultumque est homini, tanta tamque varia rerum cognitione instructo, non a seipso potius mature, quam sero ab vsu et cogitatione, doloris remedia exspectare: quae tam firma sunt, vt neminem fore putem, quem non vehementer non iuuent solum, sed etiam permoueant. — Sed nos Philosophia aduersus omnes vel temporum, vel fortunae, vel naturae insidias mu-

niuit: quae ita fortis est, vt nullius iniuriae impetum extimescat: ita lenis et suavis, vt omnes acerbitates facile mitiget ac molliat; ita demum utilis et fructuosa, vt totam se ad humanas utilitates liberalissime porrigat atque explicet. Nec vero secus debet. Quae enim humanarum miseriarum cumulum optime norit et acutissime perspiciat, si eas patiatur manare longius, neque homini moerore confecto, consilio praesidioque suo praesto sit: quid illo miserius? quid vita nostra laboriosius, aut taetrius? aut quid prodesset, adspectum a natura ad supera erectum accepisse, vt coelum contemplari, vt deorum maiestatem cogitare, aut a diis immortalibus mentem et rationem, vt utilia cognoscere, honesta a turpibus secernere, aequa amplecti, ab iniquis abstinere possemus, voce denique ipsa et oratione frui, quae nullis animantibus concessa est, quaque ceteris omnibus, quae sub coelo sunt, viuentium naturis antecellimus? Inania haec videri possent, si tam multis ex aduerso miseris oppressa hominis natura neque se ad coelestia erigere, nec tantis bonis, quibus maiora nulla esse potuerunt, vti posset. Sed profecto, vt contra serpentium virus pharmacorum genera multa, — sic contra doloris morsum philosophia nobis data est, deorum immortalium concessu atque munere. Quam vt nemo satis pro dignitate laudare queat, sic quamplurimi mentis tranquillitatem, animi moderationem, in voluptates imperium, in acerba omnia summam quandam vim ac fortitudinem illi vni acceptam referant necesse est. Neque nos aut in exsilio patientes, aut in honorum cursu temperantes fuissemus, aut nunc in tanto moerore sapienter et fortiter versaremur, nisi tuo, philoso-

phia, optima rerum humanarum moderatrix, beneficio. Tu vero felix et beata, Tullia mea, si quis tibi in morte sensus est, quae tot tantisque miseriis, quibus proposita fuisses in vita, vna morte perfuncta es: a praesentibus malis expedita, ab impendentibus erepta, et in tuto ac tranquillo quietis portu collocata, merito tibi mortem iucundam fuisse putem, cum vel ea bona, quibus viuenti frui licuit, animo reputas, vel mala, quae moriens vitasti, mente ac cogitatione complecteris. Ego autem, cum te felicem iudicem, ac, si dicere liceat, paene oculis cernam, cur tua morte exrucier? potius laetabor, ac tibi, tanquam de re optatissima, gratulabor. — Nam, si serio disputare volumus, cur dolores resque aduersas refugiamus, quae fortitudinem in nobis gignunt et efficiunt? quae si nulla essent, nulla profecto fortitudo agnosceretur. Cur mortem horreamus, quae assidua sui memoria, nos vt meliores simus, admonet? nec patitur, ad ea nos animum adiungere, quae aliquam nomini nostro vel intemperantiae, vel iniustitiae notam possint inurere. — Sapienter philosophorum princeps et magister Plato: quae sensus appetit, aut timet, nihil aliud esse, quam somnia. Itaque penitus contemnenda esse. Mala vero vt vitentur, ad aeterna properandum: quo nisi confugas, vitari nunquam posse. At ad aeterna ne properari quidem potest, nisi morte ianitore ac duce. Quorsum haec? vt intelligamus, non modo a dolore vacuam, quietam, opportunam, bonam denique esse mortem, sed etiam summorum atque immortalium bonorum liberalem ac beneficam ministram. Itaque Cato sic e vita discessit, vt laetaretur, causam se nactum esse moriendi. Iam nemini dubium

esse potest, quin vir prudentissimus, si sua morte laetabatur, mortem etiam optimam esse agnosceret. — At tam multa sunt, tamque misera, quae viuentes perferunt, vt nemo sit, quin mori saepissime cupiat: cum incidentes calamitates et morbi vitam adeo perturbent sollicitamque habeant, vt longissima videatur. Itaque mortem perfugium esse aerumnosae vitae, dubitare nemo potest. — Amphiaräum fabulae narrant, Ioui atque Apollini fuisse carissimum, neque tamen illum senium attigisse. Ex quo quid aliud conici potest, quam mortis celeritatem diuinum munus et lucrum esse maximum? Itaque scitum est illud comicum:

Nam quae tuetur atque diligit Deus,  
Iuuenis supremum mortis intrat limitem.

Neminem enim, quem dilexerint dii, patiuntur esse miserum. Quare vitam eis, miseriarum plenam, adimant necesse est. — Scipio Africanus apud nostros optimam causam amplexus, paucorum immoderatae libidini repugnans, mane mortuus in lecto est inuentus. Nec abfuit suspicio, quin ab vxore, quae Gracchorum soror fuit, interfectores essent immissi. — Praeclare vetus poëta:

Aeterno mixtam luctu mortalibus vitam  
Olim constituit diuum pater, atque hominum Rex.

Itaque quam diu hac luce vtimur, viuere quidem videmur, sed verius assidue morimur, aut saltem vitam verbo retinemus, re ipsa amisimus. Equidem non video, quid in hominis vita valde optandum, aut felix esse possit. Multos potius, ne in maiora, quam quae humana consuetudo quotidie

fert, mala inciderent, mortem sibi dedita opera consciuisse scio. Quod tamen non idcirco dictum velim, quia probandum putem: sed vt ex eo appareat, humana vita quam multis vndique prematur difficultatibus. Cleomenes, Lacedaemoniorum rex, eiusque filius, morte vltro appetita, praeterea Theagenes Numantinus, qui, ne in hostium manus veniret, primum suis, deinde sibi ipsi mortem attulit, quantopere vita fugienda sit, satis videntur aperte declarasse. Ac nisi turpe videatur, homines a mulierculis, multo certe imbecillioribus, fortitudinis exempla petere, repetamus ex historiis Asdrubalis vxorem illam, quae, Carthagine in hostium potestatem redacta, se ipsam cum tribus filiis in conflagrantis patriae incendium immisit. Sed praeter haec, quae iam testata sunt et illustria, fateamur sane ingenue, tantam esse humanae naturae miseriam, vt neque genus ipsum hominum, nec e toto genere singuli miseriarum expertes esse possint. Quod eo magis mirandum est, quod non iis solum malis, quibus hominis natura assidue affligitur, mala nostra praescripta sunt: sed ipsi nos, quantum in nobis est, miseriores quotidie reddere conamur. Nullum enim aliud in toto terrarum orbe genus animantium reperias, praeter vnum hominem, quod in proprium genus, atque in se ipsum saeuitiam exerceat suam; meritoque Dicaearchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum et eruditum conscripsit, nihil habere dubitationis putauit, quin multo plures extincti sint homines ipsa hominum saeuitia et acerbitate, quam omni reliquo genere calamitatis. — Mors autem, progressis in vita longius si immineat, nihil est, cur magnopere commouea-

mur: quae praesertim aut meliorem, quam quo viuentes fruimur, aut certe non deteriorem vitae statum sit allatura. Quis enim negabit, si animus omnino intereat, extincto sensu nihil esse mali, proptereaque nullam iustam doloris causam existere: at, si vigeat, corpore solutus ac liber, quid iam illa vita beatius, quid diuinius? ex quo maxima et verissima laetitia ac voluptatis exoritur occasio. Itaque nihil iam restat, quo minus, optimam esse mortem, vere affirmare possimus, tantumque abesse, ut, cum adest, dolenda sit, ut nunquam fugienda, saepe etiam optanda videatur; atque eo magis, quo diutius in vita homo permanerit. Nam, cum iis bonis, quae afferre vita potest, satiari coeperit, tum ab humanis molestiis secedens, in beatissimam vitam commigrabit. Non enim is ego sum, qui animum simul cum homine interire putem, tantumque mentis lumen, e diuina natura delibatum, posse exstingui, sed potius, certo tempore emenso, ad immortalitatem redire. Quid autem hominem magis deceat, quam tam multis, tanque firmis rationibus nixum, virilem animum retinere, foemineam mollitiem exuere? Qui vero mortuos nimis lugent, nec humanam conditionem magno elatoque animo despiciere possunt; in eos illud probri plenum vere dicetur:

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem:

Illaque virgo viri.

Multae enim repertae foeminae sunt, quae in domestico luctu singularem animi praesentiam ac magnitudinem praestiterunt. Sed virilis fortitudo ut libidini, sic dolori, non aliter, quam seruo

domina, imperare debet, eamque coërcere ac frangere, tanquam vitiosam et imbecillam animi partem. Quam si emergere patiatur, seque paullo altius efferre, non modo rationi praecurreret, sed etiam victrix in animo exsultabit. Quo nihil homini turpius, aut perniciosius ne excogitari quidem possit. Gorgias orator, iam aetate confectus, ac morti proximus, rogatus, num libenter moreretur: maxime vero, inquit; Nam tanquam ex putri miseraque domo laetus egredior. O virum egregium dignumque, cuius vigeat in omnium ore ac mente sententia! Quid enim potuit praeclarius dicere? cum mala, quae viventem pati necesse est, cogitaret, miseriarum finem, quas moriens relinquebat, adesse laetaretur? Sic par est loqui hominem, qui non libidine vexetur, non voluptatis illecebris irretiatur, nulli denique pareat cupiditati: quae summa est ratio et sapientia; humanae necessitati imperare, non dolori cedere, non desiderio angī, nihil denique humanum extimescere. Angamur liberorum, aut affinium interitu? quid ita? ut stultos imitemur, qui, quae mutari non possunt, quaeque vel nolentes opprimunt, perferre nequeunt: saniores, quorum tam multa exstant ad aeternitatem illustria siue exempla, siue testimonia, negligamus? quid est aliud, coecorum more ambulare, et, cum in celebritate versari, ac solis lumine uti possis, solitudinem tamen ac tenebras quaerere? — Mortem igitur in malis nullo modo esse ponendam, sed in praecipuis bonis numerandam, dubitaturum puto neminem. Si enim a miseriis abstrahit, si in meliorem vitam inducit, si neque misera ipsa est, nec ullius particeps miseriae, cur mala censeatur? sin hoc largitur, ut sempiternis

bonis potiamur, vitamque, quam mortalem habuimus, aeternam adipiscamur, quid morte beatius esse possit? Itaque sapientissimos homines accepimus non modo suorum morte non percussos, neque dolore vlllo affectos, sed etiam saepissime laetatos esse. **Anaxagorae**, inter familiares suos de natura rerum disserenti, filii mortem nuntiatam tradunt: nihilque aliud ab eo responsum, nisi, se illum genuisse mortalem. — An ego illum iudicare liberum possim, cui dolor imperat? quem repentinus casus perturbat, impellit, euertit? qui nihil prae doloris magnitudine cogitare, nihil meditari queat? qui nihil in se ipso; in temporibus atque in fortuna, quae stabilitatis nihil habet, sua ponat omnia? Ego vero istam non modo seruitutem sed paene captiuitatem, et quidem miserrimam, censuerim. Quid enim interest inter eum, qui victus ab hostibus, et carceribus conclusus, obsideatur, et eum, qui dolore captus, suo prorsus careat arbitrio? At ille quidem etsi corpore seruiat, animo tamen liber est, nec dubitat aliquando fore, vt libertatem assequatur: qui vero dolori paret, nec valet corpore, et animo quam maxime laborat. Non enim amicis frui, non reipublicae prodesse, non priuatas res curare, non publicis consulere potest. Ita in otio, et quidem molestissimo, nec cuiquam paret, et tamen sibi non imperat: qui cum assiduis et maximis prematur angustiis, alterum esse necesse est, vt quamdiu in dolore versatur, semper miser sit: alterum fieri nullo modo potest, vt, nisi dolere desinat, a miseriis eximatur.

Non enim, sensu omni doloris caruisse summos viros, credendum est. Qualis enim nihil

sentientis animi, sensuque prorsus carentis esse fortitudo potuisset? Sed dolorem sentientes, ad eum opprimendum ac vincendum summam animi contentionem adhibebant, tantumque nitebantur, ut e pugna discederent superiores. Verum enim illud est, nullam animo maiorem pestem, vna remissione, posse contingere. Qui si intentus est, seque ad resistendum parat, omnia sustinet pondera, omnia vel firmissima tormenta facile discutit ac depellit: ac remissione eneruatus et effoeminatus, ita deprimitur et vrgetur, ut se ad aequitatem nequeat extollere. Nec vero quisquam doloris impetum excipere ac fortiter perpeti posset, nisi se prius ad obsistendum comparasset: aut fortitudinem acquirere, nisi prius doloribus multis acerrime ac fortissime restitisset. Ex quo consuetudo fit, quae callum obducit animo, nosque contra omnes vel naturae, vel fortunae impetus armat. — **Consuetudinis** tantae sunt vires, ut non modo perturbationes animi sedare, sed etiam naturae vim afferre, eamque saepissime immutare ac penitus aliam possit efficere. Cuius auxilio non modo doloris aculei, sed etiam fortunae fulmina depelli ac contemni facile poterunt. Meditemur igitur, et omnino statuamus, nihil prorsus humanum esse dolendum: non mortem, quam iam optimam esse cognouimus: — non cetera generis eiusdem, quae vulgi opinione grauissimis in malis numerantur; nullum enim tam graue malum apparebit, quin ex eo bonum aliquod multo maius, multoque optabilius magno deorum beneficio aliquando colligatur. — Sed fit nescio quomodo, ut ex aliorum casibus ad mala nostra sananda medicinam colligamus. Nobis quidem ita videtur: et, cum nostro vulneri

medeamur, mirari non debebunt qui haec in manus sument, si quid fortassè paullo expressum vberius inuenerint. Illud certe propositum habemus, vt omnibus nobiscum prodesse, omniumque dolori, quam accuratissime fieri possit, consolationem afferre possimus. Quamobrem his enumerandis nostram valde imminui atque alleuari molestiam experimur: ceteris idem optamus, ac, si dicere liceat, etiam speramus. Nam in tanta vel argumentorum, vel exemplorum copia, quibus se legentes paene obrui sentient, cequis se iamobilem, aut in dolore inexorabilem praebet?

Nec vero ignoro, nonnulla interdum accidere, quibus ita perturbetur et opprimatur animus, vt a medicina refugiat, idque si vllò in casu contingit, certe, cum dolore affligimur, maxime solet euenire. Quod ex eo fit, quod crepti vel amici, vel affinis, vel filii cogitatio adeo nobis grata est, quod illum paene ante oculos constituere videatur, vt, etiam si dolorem refricet, et lacrymas eliciat, tamen eam deponere nolimus. Ac, si ad consolandum remedia suppetant, tamen nihil minus, quam consolantium verba, audiamus. Falluntur sane grauitur qui ita agunt: sed hunc errorem, quo magnopere delectantur, sibi extorqueri nolunt. Quare suum vnicuique studium, suaque omnibus delectatio relinquatur. Non enim vereor, quin, si minus in ipso doloris aestu remediis vtendum homines ceuseant, certe, cum modice dolor resederit, ac se paululum quasi remittere coeperit, ad extinguendas doloris reliquias monita praeceptaque nostra adhibeantur. — Ita fit, vt cum repente dolor inuasit, tum iis vtamur, quae, nisi ante percepta et cognita sint, impetu ipso doloris incurrente,

plane depelli atque excludi solent. Sensimus hoc in nobis ipsis: nec parum nobis obfuit, hanc universam aduersus dolorem commentationem non multo ante animo ac mente percurrisse. Quamuis enim permultos philosophorum libros vel de luctu, vel de morte satis accurate legissemus, vt Theophrasti, Xenocratis, aliorum, quos commemorare nihil attinet: tamen hoc non ideo feceramus, quod euenturum putaremus, vt iis ipsis in nostro moerore vteremur. — Casu autem repentino oppressi, non prius ad libros confugere potuimus, quin ante acerbitalis vi prosterneremur. Quanquam postea tempore ipso factum est, vt dolor nec, vt antea, acrior, et mens ipsa paullo esset sedatior, et ad medicinam accipiendam magis idonea. — Pudet in virorum grauissimis casibus repetendis longiori vti oratione, cum virorum maxime peculiaris virtus sit, et in viris efflorescat ac vigeat maxime. Quamobrem de foeminis potius dicendum est, vt, cum eas fortissimas fuisse cognitum sit, tum pudeat viros, a mulierculis virtutis exempla petere, et ab iis ea virtute, quae ipsorum propria esse debeat, videri aliquanto superatos. Nam, si verum est, quod a Theophrasto alicubi proditum memoriae mandauimus, orbem terrarum theatrum quoddam esse magnum, diuina mente repletum: et coelestis indicandae sapientiae gratia tam multis vndique collucentibus ornamentis illustratum ac depictum: in eo autem medio collocatos esse homines a deo, vt cum fortuna, dolore, morbis, egestate, casibusque permultis assidue luctentur: deum vero ipsum, quantum quisque pugnando valeat, quamque viriliter fortitudine diuinitus accepta utatur, desuper aspectare: hoc, inquam, si verum

est, dubitari profecto non potest, quin, — dii immortales, si quos ex hominibus nimis anxie de vita sollicitos, eiusque exitum detrectantes aspiciant, iis aliquo modo succenseant: eos vero et caros habeant et muneribus prosequantur, qui si e vita reuocentur ipsi, vel suos reuocari videant, alacres laetique deo pareant, nihilque propterea mali sibi accidisse iudicent. Quod si foeminas praestitisse intelligimus: cur iis imbecilliores atque infirmiores videri velint viri? — Quae virtutis non vulgaria in foeminis exempla mirari aliquis possit, qui **sexus imbecillitatem ac mollitiem cogitet.** At vero, qui fortissimis genitas parentibus, et fortibus etiam anis maioribusque prognatas recordatus fuerit, nihilo ab eis minorem vel prudentiam, vel animi magnitudinem requirat.

Quorum in vestigia pedem ponere oportet, qui laudabiliter viuere, quique honestis in actionibus exerceri volunt, nec vlllo mentis errore ad nimium dolorem atque insaniam traduci. Nomina-  
vimus externos magnos clarosque viros: collegimus de nostris plurimos, quibus **mortis sensus non modo ingratus, sed etiam optatus et iucundus accidit.** Addatur, si placet, etiam **Theramenes**, qui veneno epoto, maxima aequitate animi, ludens in morte, quod erat in poculo reliquum, **Critiae** propinauit. Ergo ille in sua morte vir clarus et sapiens ludebat: nos in filiorum, aut affinium morte lugebimus? et veterum dicta quotidie legentes atque addiscentes praecelara ducemus, exempla repudiabimus? aut eam vitam, quae mortem hanc consecutura est, immortalem, beatam, a miseriis omnibus vacuam, negligemus? Quamuis enim nudum corpus et exanime discedens relinquat ani-

mus, nec amplius liceat homini, qui e vita discedat, suis opibus, bonis, diuitiis perfrui:

Astante, vt ille ait, ope Barbarica,  
Tectis caelatis, laqueatis,

Tamen multo maioribus et bonis, et opibus, quae nulla vetustas absumet, nulla vis eripiet, piorum mentes assidue potiuntur. Sed — veniamus ad id, quod vnusquisque sensu percipit, quantumque ex morte consequamur emolumentum ac commodi, re ipsa factisque probemus. — Si quisquam est, qui secundos in omni vita rerum exitus adipisci et consequi possit, nihilque timeat aduersi, hunc nemo infitari poterit, iure dicturum, si vitam sibi morte multis partibus meliorem affirmet. Atqui nemo est, qui non modo miseras atque aerumnas ab humana vita segregare, sed ne semihoram quidem felicem sibi ac beatam polliceri possit.

Ex quibus omnibus, multisque aliis perspicuum est, peruertere homines ea, quae sunt humanae fundamenta felicitatis, cum vtilitatem a morte seiungunt, aut cum miseriam cum morte connectunt. — Quis neget iis ipsis, qui haec intueri cogantur, mortem esse non modo detrectandam, sed etiam optandam? qui autem ne in horum temporum flammam incidant, mortis beneficio consecuti sint, eos vero beatissimos iure omnes existimabunt.

Itaque hoc stabilito et fixo, mortem saepissime beatam homini contingere, non solum, quod nos in beatam vitam iuducat, sed etiam, quod multarum magnarumque miseriarum sensu liberet, et a futuris vel calamitatibus, vel doloribus abstrahat, quid iam relinquetur, cur non morte lactari, ac

clarorum hominum virtutem, qui nullius interitu perturbati sunt, imitari debeamus? — Et vero nihil fuit, quamobrem elato excelsoque animo homines vitam non despicerent, ut sempiternam gloriam consequi possent. Nam cum nullo, vel certe minimo doloris sensu, quem morientes perferunt, infinitam laudem commutabant. Hunc enim locum de exiguo, vel nullo potius dolore mortis, quem supra perstrinximus, paullo vberius percurramus. Neque enim absurde dixisse mihi videtur is, qui morientium mortuorumque hominum statum et conditionem duabus potissimum ex rebus percipi atque intelligi posse affirmavit: quarum vnam somnum statuit, alteram vero tempus illud, quod nostrum cuiusque ortum antecessit. Et sane ita est, ut ex omnibus opinionibus, quarum errore duci vulgus solet, cum de morte loquitur, nulla plane ad veritatem videatur esse propensior. Ita enim multi viuunt, ut praesentibus bonis fruuntur: nec sane cogitent, quid paucis post annis vel ipsis, vel ceteris boni, aut mali possit euenire. Itaque saepe non opinatis morbis, perturbationibus, angoribus vexantur; mortis vero, de qua potissimum cogitare debuerant, ita non reminiscuntur, ut ad se minimum illam pertinere, nec sua quidquam interesse existiment: qui, ut Panaetius Africanum dicere solitum tradit, ferocios equos domitoribus tradendos esse, ut paulatim parere, seque mitiores ac molliores praebere incipiant; sic ipsi in gyrum fortitudinis ac patientiae reducendi sunt, ne, si mors imprudens oppresserit, perterreantur planeque concidant. Sed nescio quo modo voluptate luxuque delinita hominum consuetudo de recta maiorum vita deflexit, eoque sensim delata

est, vt nihil minus, quam verum, agnoscat, nec, cum aliquid agitur, rectum id, necne sit, magno-  
pere cogitet. Qua nulla maior pestis ac pernicies  
humanis rebus, valde iam labefactatis, potuit affer-  
ri. Atqui, si in vlllo homine, certe in his ipsis  
vulgare dictum et verum, et acute cogitatum esse  
deprehenditur. Quid enim isti aliud agunt, nisi  
totos dies per inertiam perdunt, atque ita viuunt,  
vt stertere potius quam vlllo pacto viuere videan-  
tur? Dormiens autem vt nihil sentit, nihil agit,  
nihil curat: sic mortuus quid agere, quid curare,  
aut sentire possit, haud sane intelligas. — Mortem  
igitur, siquidem somno similis est, singulis nocti-  
bus induimus, et, cum in somno sensus sit plane  
nullus, nullum etiam in morte futurum esse sen-  
sum, verissime statuere debemus. Quod vt sensu  
ipso plane percipitur, sic ne de altero quidem du-  
bitari vlllo pacto potest, quin quales ante, quam  
oriremur, fuimus, tales etiam mortui futuri simus.  
Mors enim quemadmodum ad eum, qui nondum  
ortus est, nihil pertinuit, sic ne ad eum quidem,  
qui mortuus est, vlla ratione pertinebit. Ad mo-  
rientem vero vel nihil, vel parum certe pertinet.  
Siquidem tam angusto spatio, tamque breui curri-  
culo coërcetur, vt nec si velit quidem, vires suas  
nimium porrigere, aut explicare possit. Quae est  
igitur eorum oratio, qui tantum in morte dolorem  
se timere atque expauescere dictitant? quanquam  
non sane video, quomodo aliter facere possint.  
Qui enim mortem nunquam experti sint, quam se-  
mel homo subiturus est, quo modo, bona malane  
sit, vere sentire ac diiudicare possunt? Morientes  
aiunt cruciari, angi, distorqueri; quod in nonnul-  
lis fortasse animaduerti atque obseruari potuit. In

quo tum isti aliquid dixisse videri possent, si hoc ex ipso mortis sensu penderet. Nam, si mors ipsa dolore suo corpus vsque eo cruciaret atque angeret, vt haec doloris edere indicia cogeretur: negari profecto non posset, quin dolorem non leuissimum mors ipsa esset allatura. Cum vero huiusmodi cruciatus paucissimos angat, et eos maxime, qui intemperanter, flagitiose, nefarie vixerint, nunc dubitari non potest, quin tales homines non mors, sed admissorum scelerum conscientia vexet habeatque sollicitos. Qui enim se morituros nunquam crediderint, ac ne cogitarint quidem, cum ad ipsam mortem peruenerint, anguntur, non dolore moriendi, sed quod e vita inuiti discedunt. In qua cum omnia secunda feliciaque experirentur, ne secus mortuis accidat, valde vereri ac dubitare coguntur. At bonis, qui mortem semper, tanquam praesentis tempestatis portum, in ore ac sermone habuerint, quique ex huius vitae procellis, mortis beneficio, aliquando egredi, saepissime concupiuerint, nihil libentius ac iucundius mentione ac nomine mortis accidit. Atque in iis etiam praestans planeque admirandum deorum munus agnoscitur. Bonos enim, et quidem plurimos, non modo cum exiguo dolore, vt optare homines vulgo solent, sed omnis plane doloris expertes ex hac vita egressos, sine vlla dubitatione reperias. — Quid hos in ipso mortis articulo doloris expertos existimes, qui paullo ante laeti viuebant, et in eo, quo moriebantur, puncto temporis, nihil lugubre testati sint, nihil flebile dixerint? Morte, inquires, oppressi sunt. At sapientissimi et optimi viri, quibus mortem, tanquam beatae vitae initium, dii immortales largiri voluerunt. Quam eo fortasse iucundio-

ipsis fore videbant, quo minus eo tempore tantum boni expectauerant, ac ne sperare quidem poterant. Nam cum mors e diuina voluntate tota pendeat, haud sane in hominis potestate esse possit, quo potissimum die, quaque conditione mori velit. Nec verum est quod dicitur a quibusdam, mortis eundem omnibus hominibus diem ac terminum diuinitus esse constitutum: vt autem vel citius, vel serius moriamur, singulorum hominum vel intemperantia, vel negligentia contingere. Nam, vt illud verissimum est, praefinitum esse vitae terminum a Deo, quem praeterire, aut ex quo egredi nemini liceat: sic illud affirmare nemo possit, eundem omnibus, eademque hora vitae finem impendere. — Cur enim prudentia vteretur homo, cur abstinentia, cur temperantia, si eodem, quo reliqui omnes, temporis spatio vitam esset terminaturus? Vt diutius, inquis, vitam producere liceret. At, si vitae terminus fatalis est, nec immutari quidem posse necesse est. Sin voluntarius, et in hominis arbitrio positus, nihil est, cur, eundem omnibus a Deo constitutum esse, quisquam affirmet. Sed de his statuatur vnusquisque vt libet. Quid autem verius sit, Deus ipse viderit: hominem quidem scire arbitror neminem. Stet modo nobis illud, doloris esse nihil in morte. — Itaque hoc diuinitus hominibus datum est, vt quoties molesti aliquid experiantur, tum mortem exoptent, ac votis etiam conceptis saepe implorent. Quid ita? quia bonam vtilemque esse mortem, coguntur agnoscere: malam autem, aut acerbam esse nunquam posse, homini a natura insitum est. Itaque

dolore percussi mortem imploramus, eamque vnam, vt miseriarum malorumque terminum, exoptamus. — Quanto autem gaudio exsultare credendus est illorum animus, qui corporis admistione solutus, in coelestes ignes, sempiternasque domos, vnde exierat, reuertit? Profecto enim ex diuina mente delibatos habemus animos, qui hac mole inclusi tanquam terrae grauitate, sic ipsi nimio pondere corporis opprimuntur. Vbi autem soluti corporibus ad proprias sedes euolauerunt, tum vere viuunt, nec libidini, voluptati, dolori seruiunt: sed sui compotes, nulla re anguntur, nihil requirunt, omnibus imperant. Recte igitur dictum est, corpus terram esse, mentem autem ignem de coelo sumtum. — Corpus enim e terra concretum, tam diu terrestrium rerum amore ducitur, quoad in terram ipsam, vnde ortum duxit, reuertatur. Animus vero, qui e coelo sumtus est, sempiternum quiddam et coeleste appetit, nec iisdem, quibus corpus, finibus cogitationes coërcet suas. Itaque nunquam quiescere, nec vere viuere putandus est, quamdiu corpore conclusus, inuitus propemodum mortali labe terrenisque vinculis cohibetur. At illa quanti sunt, grauissimis vitae laboribus liberari, in mediis doloribus et aerumnis obdormiscere, et quasi emissos e molestissima vitae custodia, in iucundissimam suauissimamque domum remigrare? — Qua nos recordatione potissimum refici ac recreari decet, qui carissimam filiam, optimeque de nobis meritam ita vixisse scimus, vt ad optimos mores, summanque prudentiam nihil posset accedere: et ita mortuam, vt in dolore, quem

ex partu contraxerat, summam animi magnitudinem, summamque constantiam praestiterit. Cuius mentio nobis, dolore iam, si non penitus extincto, certe magnopere leuato, non solum acerba, sed etiam iucunda accidit. Qui enim aliter debet? cum nec ipsi quidquam accideret mali, nec ego vlla re, quae tantopere cum natura congruat, et cum omnibus hominibus communicet, angi aut perturbari debeam. — Itaque quibus maxime rebus egere saepe homines solemus, fortitudo et prudentia, haec ita in muliere abundabant, vt sui moeroris medicinam non peteret foris, sed in se ipsam spectans, ex sua semper virtute penderet. Quanto autem grauiores ac difficiliore animi morbi sunt, quam corporis, eo magis mirandum est, talem existuisse illam, cuius fortitudini corporis mala parent, prudentiae vero omnes animi morbi facile cederent. — At, cum illam corporis vinculis solutam, omnibus exsutam miseriis, et immortalitatis compotem factam, animo reputamus, non modo in dolore conquiescimus, sed etiam praecipue laetamur. — Cum praesertim, duabus ex rebus, quae praecipuae in animo sunt, illius aeterna natura facile intelligi ac deprehendi possit. Haec autem sunt, motus, qui in eo praecipuus est, principium ac perpetuitas. Cum enim ex seipso moueatur, nec aliunde, vt cetera, principium motus mutetur, summa autem in eo, quamdiu in corpore est, perpetuitas motus appareat, quippe quae etiam in dormientibus agnoscat et vigeat: idcirco dubitari nullo modo potest, quin diuinus sit et sempiternus futurus. Et sane ita esse ratio vincit, et rerum

probat exitus. Dei enim imago quaedam animus est, ex ipso Deo delibata ac profecta. Quodsi Deus immortalitate fruitur, cur eam partem, quam ex seipso sumpsit, mortalem esse velit? Quin hoc ipso singularem et eximiam diuinam esse vim indicandum putauit, quod non solum ipse immortalis sit, sed etiam, quos velit, suae naturae compotes et plane immortales efficiat. Corpus autem voluit esse mortale. Nec immerito; cum e terra, cuius mutationi subiecta natura est, initium duxerit, et in eam ipsam, vitae cursu confecto, abire debeat. Sed animus, profectus a Deo, coelum ipsum appetit: nam in eum locum, vnde discessit, semper optat redire. Terra autem, si cui appetenda, corpori soli est. At vero animis aeterna coeli sedes quaerenda, eaque propria illorum patria: siquidem animorum nulla in terris origo inueniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur. Nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil inest, quod vim memoriae, mentis, cogitationis habeat: quod et praeterita teneat, et futura praeuideat, et complecti possit praesentia. Quae sola diuina sunt, nec inuenietur vnquam, vnde ad hominem venire possint, nisi a Deo. Singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, seiuncta ab his vsitatis notisque naturis. Ita quidquid est illud, quod sapit, quod vult, quod viget, coeleste et diuinum est, ob eamque rem aeternum sit necesse est. Nec vero Deus ipse, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta

quaedam et libera, segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiens et mouens, ipsaque praedita motu sempiterno. Itaque eandem aeternitatem animis quoque nostris, ex se ipsa ortis, impartiuif. Quorum ex cogitationibus atque operibus nihil aliud, nisi diuinos esse illos et sempiternos, colligere possumus. — An censemus, si vna cum corporibus animi interirent, aut sapientissimos homines tam aequo animo mori posse, aut tam iniquo, planeque inuito stultos et fatuos? Socratem ferunt, morti proximum, de piorum immortalitate, beataque vita, quae mortem consequitur, disputauisse, itaque laeto ac libenti animo letale illud poculum hausisse, quasi non ad mortem, sed ad regnum atque imperium vocaretur. At vero, quorum animus in terra defixus haeret: qui nihil, nisi mortale terrenumque cogitant, eos plane repugnantes atque inuitos e vita discedere videmus. Nec immerito: cum animorum aeternitatem propius iam intuentes, crucientur mirum in modum, quasi flagitiose actam vitam poena etiam sit immortalis consecutura. Atque illud etiam (ostultum hominem, dixerit aliquis, et naturae suae penitus ignarum!) nemini obscurum esse potest, ex ipsis etiam sacris caeremoniisque maiorum aeternam hominis vitam facile cognosci atque intelligi posse. Neque enim illi aut mortuos tanto honore coluissent, aut tam multas, tamque varias sepulchrorum caeremonias posteris tradidissent, nisi cognitum perspectumque habuissent, vigere animum in morte, nec, quanquam corpus occidat, hominem ipsum penitus euanescere. Itaque sta-

tuisse videntur; mortem ipsam non esse humanae vitae confectricem, nec ex ea sequi interitum: sed potius ad aliam multo felicioram vitam iis, qui recte vixissent, ducem optimam solere existere. Quicumque enim conuenienter naturae vixerint, nec illam secuti sint malae consuetudinis corruptelam, quae diuinitus datos igniculos extinguit, vitiaque gignit et confirmat omnia, eos et viuentes gloria, et e vita excedentes praemiis prosequi oportet. Id enim non solum rationi consentaneum, sed etiam verissimum atque aequissimum est. — Nec enim aliud esse mors, quam migratio ad coelestes superasque sedes, existimanda est. Nec id solum ratione quadam aequitati veritatique consentanea, sed etiam sapientissimorum hominum maxime firmo stabilique consensu. — Sed aduersi tamen aliquid subeundum preferendumque relinquetur: demum oppetenda mors erit, quae eo leuior esse debet, quod omnibus communis est, nec cuiquam singularis, aut praecipua. — Quodsi beata vita quaerenda nobis est, nec quidquam fugiendum magis, quam ne miseriarum grauitate premamur: quid illo homine stultius, aut stolidius reperiri potest, qui ceterorum morte ita angitur, vt beatae vitae oblitus, miseram atque infelicem consecetur? Profecto enim ita seres habet, vt, nisi mortis dolorisque timore liberatus sit, etiam si multas cognitatasque virtutes habeat, rectumque et aequum omni plane utilitati anteponat, beatus tamen esse nemo possit. Quid enim aliud dolor est, nisi cruciatus animi, isque perpetuus? Quid aliud timor, nisi assiduus

inuisarum ac molestarum rerum metus? At quo modo felix, aut beatus esse poterit, qui assiduo eruciato metuque vrgebitur? Quin eo miserior atque infelicior existimari debet, quod non solum sibi ipsi molestiam miseriamque comparabit, sed in ceterorum etiam sermonem ac vituperationem incurret. Nihil enim nimio dolore deformius, nihil a viro alienius. Et, si corporis prauitatibus vituperatio proposita est, vitiis ipsis, quibus laborat animus, nihil turpitudinis, nihil inuretur infamiae? Illa vero et grauiora sunt, et maiori animaduersione vindicanda, quo nobiliorem, quam corpus est, sedem, nempe animum ipsum, occupauerunt. Quodsi turpis dolor nimius, et vituperatione dignus, certe illud consequetur, vt, qui nimio dolori se ipsum tradat, ne laude quidem vlla dignus censeatur.

Nec vero credi velim, me, quia dolori nimio repugnem, idcirco dolorem omni ex parte improbare, omnesque illius ex animo fibras euellendas existimare. Est enim, quatenus homo, doleat, et (quod prudenter a Crantore dictum est) siue seceetur pars aliqua corporis, siue auellatur, sensus tamen adesse debet. Istuc enim nihil dolere, fieri non potest, quin, quemadmodum feritatem corporis quandam, sic animi stuporem maximum indicet. Sed nimirum illud est, quod improbamus, dolori nos ipsos ita tradere, vt in aliam fortasse grauiorem ex alia parte vituperationem incidamus. Nam quemadmodum, qui nihil prorsus doleat, desciscere videatur ab hominis natura, quae morte percussa, dolorem ac luctum aliquo modo indicare cogitur:

ita, qui dolori nimis indulgeat, humanae naturae penitus obliuisci, communemque omnium conditionem recusare iudicabitur. Quibus rebus intelligitur, grauius peccare homines, cum vel ea, quae omnibus perferenda subeundaque sunt, detrectare audent, vel, quid ipsos in vita deceat, quaeque sequi, aut refugere debeant, non cernunt satis. Quod proprium prudentiae munus est: quam humanarum actionum moderatricem a diis immortalibus esse constitutam, inficiari nemo potest. Atque huic tam praeclaro diuinoque muneri plane obsistit, qui nimio dolore ducitur. Non modo enim se ipsum sine vlllo fructu lacrymis ac tristitia tradit, sed etiam omni plane consilio ac iudicio vacat. Vbi enim ratio, si se dolore auferri sinat? Vbi constantia, si sibi ipse repugnet, et in moerore iaceat? Vbi denique humanitas, si se hominem esse oblitus, nihil sibi cum morte commune esse contendat? Iam vero illud stultissimum, existimare, quae ceteri homines lubenti animo subeant, iis se non esse obstrictum. Quid enim? An ignorare quisquam potest, quanta inter homines cognatio sit, quantaque similitudo? — Sed faciam impudenter, si medicinam deserens animorum, quam ex omnibus maxime vtilem esse intelligo, ad meam vnus delectationem sermonem omnem mentemque convertam. Dolorem igitur nimis acrem ac diuturnum fugiendum diximus; et quidem probabiliter: cum ex eo mala multa maximeque graua soleant exoriri: contra vero nihil boni. — Sed, quoniam haec ita se habent, contendo, vincendum esse animum, dolorique acriter obsistendum. Siue enim

nosmetipsos, siue vulgi opinionem cogitemus, id nobis sine vlla dubitatione faciendum est. At, si ad mortuos ipsos animum traducamus, qui possumus existimare, gratum illis fore, quod nimio dolore cruciemur, praesertim cum ex eo nihil ad illos utilitatis, sed permultum ad nos dedecoris atque incommodi permanet. — Quid enim turpius libidine? quid taetrius auaritia? quid detestabilius crudelitate? quae quamuis in hominibus aliquando existant, tamen ab hominis natura tam aliena sunt, quam humanum illud erit, si omnia nobis bona, omniaque commoda expetamus. — Sed, quod tantam virtutis esse vim velimus, vt vel natura ipsa eius vnus ope immutetur, hoc illud est, de quo quaerere doctiores viri non immerito soleant. Quibus ita responsum est, non immutari virtutem naturam: nec enim id, sine prioris naturae corruptione, posse euenire: sed, eadem in illis manente natura, euolare animum ad deos, et in eorum adscribi concilium, cum immortalis sit, et immortalitatis diuinae particeps; corpus autem suapte natura mortale, manere in terra, quodque terrenum est, nullo pacto suam exsuere posse naturam, vt alienam induat. Quamuis enim haec ipsa quaestio perobscura videri soleat, nec omnino procliues, aut faciles habeat explicatus: tamen, nisi auctoritatibus contra rationem pugnetur, non incommode, opinor, a nobis exposita censi potest. — Itaque nihil habui, quod dicerem, nisi, cedo, et manum tollo, cum, tam graui accepto vulnere, plane dolore percussus atque afflictus essem. Nunc autem et praeceptis sapientiae ad-

versus omnem fortunae vim confirmatus, et te  
 consecrata, in coelumque recepta, tanta affectus  
 voluptate ac laetitia, quantam animo capere maxi-  
 mam possum, exsultare plane videor, victorque de  
 fortuna, ac de omni prorsus dolore triumpho. Tu  
 ergo, quando me insigni et excellenti tuarum laude  
 memoriaque virtutum, tam praeclare iuivisti, nunc  
 ab hominibus seiuncta, non me deserens, sed ali-  
 quando respectans, perduc eo, ubi tua tandem  
 colloctione conspectuque fruar: vt et parenti tui  
 amantissimo, quam potissimum optare debes, gra-  
 tiam referas, et ego multo mihi gratiorem, multo-  
 que iucundiozem congressum nostrum futurum  
 intelligam, quam insuavis et acerbus digressus  
 fuit.

# I N D E X

rerum et verborum memorabilium.

---

## A.

- Abdomini suo natus, *in L. Pis.* 17. p. 60.  
Abducere animum a corpore, *Tusc. I,* 31. p. 205.  
Abducit nos ab sollicitudine philosophia, *ad Cass. XII,*  
23. p. 93.  
Abduco parumper animum a molestiis et querelis, *Att.*  
*VIII,* 4. p. 122.  
Abesse propius a morte, *Cat.* 21. p. 373.  
Abhorret sic a ducenda vxore, vt libero lectulo neget  
esse quidquam incundius, *Att. XIII,* 13. p. 136.  
Abire e vita, *Tusc. I,* 30. p. 204.  
Abstinentiae laus, *Off. II,* 22. p. 349.  
Abstinere se cibo, *Att. vit. XXII,* p. 145.  
Acciderit si quid tale, vt a Deo denuntiatum videatur,  
*Tusc. I,* 49. p. 215.  
Acuti, *Tusc. III,* 14. p. 246.  
Ad afflictum ita esse, vt nemo vnquam, *ad Att. III,* 12.  
13. p. III. 112.  
Adolescentia, *Consol.* p. 392. libidinosa et intemperans,  
*Cat.* 9. p. 359.  
Adolescentiae cupiditates, *pro M. Coel.* 12. p. 57.  
Adolescentis quid sit, *Off. I,* 34. p. 344.  
Aegrimoniae nouae locus est, *Att. XII,* 38. p. 134.  
Aegritudine maius malum nullum homini est, *Tusc.*  
*III,* 38. p. 257.  
Aegritudine me leuauit longior tua epistola, *Att. VIII.*  
7. p. 123.  
Aegritudini ne me totum dedam, *Att. VIII,* 4. p. 121.  
Aegritudinis et reliquorum animi morborum vna sanatio  
est, *Tusc. III,* 38. p. 257.

- Aegritudo, *Tusc. III*, 7. 10. 11. 13. p. 232. 234. 235.  
me non solum somno priuauit, verum ne vigilare quidem sine summo dolore passa est, *Att. VIII*, 10. p. 123.
- Aegros a coniectore somniorum potius quam a medico petere medicinam, qui conueniat, *Diuinat. II*, 59. p. 319.
- Aegrotant grauius ii, etc. *ad Cass. XII*, 30. p. 94.
- Aegrotare quotannis periculose, *Att. VIII*, 2. p. 120.
- Aegrotare viriliter, *Tusc. II*, 27. p. 228.
- Aegrotatio, *Tusc. III*, 10. p. 234. *III*, 10. 12. 13. p. 242. 244. animi *Tusc. III*, 11. p. 243.
- Aegroti fortis quid sit, *Consol.* p. 398.
- Aegrotum dum anima est, spes esse dicitur, *ad Att. VIII*, 10 p. 123.
- Aegyptiorum mos, *Tusc. V*, 27. p. 265.
- Aequabilitas in omni vita, *Off. I*, 26. p. 342.
- Aequilibratas, *N. D. I*, 39. p. 277.
- Aër, *N. D. II*, 33. 39. p. 285. 286.
- Aesculapii cultus, *in Verr. III*, 43. 57. p. 35.
- Aestimanda quae sint, quae non, *Fin. III*, 14. 15. p. 175.
- Aetas constans, *Consol.* p. 393.
- Aetatem agere in literis, *Leg. II*, 1. p. 336.
- Aetati omni mortem esse communem, *Cat.* 19. p. 370.
- Aetatis quid sit, *de orat. II*, 21. p. 9.
- Aetatis atque roboris satis habere, *pro S. Rosc. Amer.* 51. p. 27.
- Aetatum iam confirmatarum natura, *Fin. V*, 22. p. 196.
- Affectio, *de inuent. rhet. I*, 25. p. 3.
- Agri colendi studia, *Cat.* 17. p. 368.
- Agricola senex quaerenti cui serat, quid responderit, *Cat.* 7. p. 357.
- Agricoliarum voluptates, *Cat.* 15. 16. p. 366. 367.
- Ἀκρίδων esse scribis, *Att. XIII*, 19. p. 135.
- Alere morbum desinere, *Att. vit. XXI*. p. 145.
- Alexander Pheraeus a coniuge propter pellicatus suspicionem interfectus, *Off. II*, 7. p. 348.
- Aliptae, *ad Lentul. I*, 9. p. 73.
- Alligandi cur omnes essent cubitum ituri, *Diuin. II*, 59. p. 319.
- Altitudo magnarum artium nos delectat, *Orat.* 43. p. 21.
- Amentia, *in Verr. V*, 53. p. 38. *Tusc. III*, 5. p. 231.
- Amores meretricii, *pro M. Coel.* 20. p. 58.

- Amphiaraus Ioui atque Apollini carissimus, *Consol.* p. 404.
- Amplitudo animi et quasi quaedam exaggeratio quam altissima animi maxime eminent contemnendis et despicendis doloribus, *Tusc. II*, 26. p. 227.
- Anaxagoras, *Lucull.* 31. p. 151. *Tusc. I*, 43. p. 213. *Consol.* p. 408.
- Anaximander physicus monuit Lacedaemonios, *Diuin.* I, 50. p. 305.
- Angoribus confici, *Off. II*, 1. p. 347.
- Anima spiritu in pulmones ducta calescit, *N. D. II*, 55. p. 291.
- Animal, *Fin. II*, 10. 11. p. 161. sensum habet sui, *Fin. III*, 5. p. 173. *Somn. Scip.* 9. p. 385.
- Animam agere, *Coel. ad Cic. VIII*, 13. p. 84.
- Animantium omnium commune, *Off. I*, 4. 17. p. 339. 341.
- Animantium quanta varietas, quanta vis, *N. D. II*, 47. 48. 50. p. 286. 287.
- Animi quid sit, *de inu. rhet. II*, 59. p. 6. *Fin. II*, 34. p. 171.
- Animi omnis summa est in homine, *Fin. V*, 14. p. 190.
- Animi, magni refert, quali in corpore locati sint, *Tusc. I*, 33. p. 206.
- Animi ianua, *Petit. consul.* 11. p. 381.
- Animi leniendi et sanandi causa facere, *Att. XII*, 20. p. 131.
- Animi immortales, *Cat.* 23. p. 376.
- Animi medicina, *Tusc. III*, 1. 3. p. 228. 229.
- Animi morbi, *Fin. I*, 18. p. 159. *III*, 10. p. 174. perniciosiores pluresque sunt quam corporis, *Tusc. III*, 3. p. 229. *Fin. III*, 7. p. 173. *III*, 10. p. 179.
- Animi partes, *Fin. V*, 13. p. 193.
- Animi plures sunt virtutes, *Fin. V*, 13. p. 188.
- Animi vigilantes, *Diuin. I*, 49. p. 305.
- Animi voluptates et dolores, *Fin. I*, 17. p. 157.
- Animi voluptatibus dediti, *Somn. Scip.* 9. p. 385.
- Animo fractum esse et debilitatum, *Att. XII*, 38. p. 134.
- Animo infirmo esse, *Att. III*, 10. p. 111.
- Animo te angi audio, *ad Tiron. XVI*, 14. p. 106.
- Animorum aeternitas, *Tusc. I*, 33. p. 206. vis et natura, *Diuin. II*, 67. p. 323.
- Animorum atque naturae vis duplex, *Off. I*, 28. p. 343.
- Animus quid sit, *Lucull.* 39. p. 152. *Timaeus* 7. p. 388.

- Consol.* p. 418. et quo perveniat, *Tusc. I*, 11. p. 201.  
*Lael.* 4. p. 379. *Timaeus* 12. p. 389. *Consol.* p. 406.  
 Animus omnium solus iudex, *Tusc. I*, 20. p. 203.  
 Animus tum maxime viget, cum plurimum abest a corpore, *Diuin. I*, 32. p. 303.  
 Animus coelestis, *Cat.* 21. p. 373.  
 Animus conturbatus, *Tusc. III*, 7. p. 233. *III*, 18. p. 248.  
 Animus hominis quando naturaliter diuinet, *Diuin. I*, 50. 51. 53. p. 305. 306.  
 Animus humanus, *Tusc. V*, 13. p. 260.  
 Animus magnus et fortis, *Fin. III*, 8. p. 174.  
 Animus ministerio corporis indiget, *Consol.* p. 391.  
 Animus praestabilior corpore, *Fragm. libr. inc.* p. 390.  
 Animus retinendus est in custodia corporis, *Somn. Scip.* 3. p. 384.  
 Antipatri Cyrenaici sententia, *Tusc. V*, 38. p. 269.  
 Anxietas, *Tusc. III*, 12. p. 244.  
 Anxietudo, *Fragm. T.* 3. p. 382.  
 Appetens omnia rabide miserrimus, *Tusc. V*, 6. p. 259.  
 Appetitus. *Off. I*, 28. p. 343. animali omni a natura datus, *Fin. V*, 9. 16. p. 183. 192.  
 Appetitus animi reguntur ratione, *N. D. II*, 12. p. 281. *Off. I*, 29. p. 343.  
 Appius et senex et coecus, *Cat.* 11. p. 362.  
 Appropinquatio mortis a senectute non potest longe abesse, *Cat.* 19. p. 369.  
 Apronius, *in Ferr. III*, 12. 25. p. 32. 33.  
 Archytae Tarentini oratio, *Cat.* 12. p. 363.  
 Ardere videntur artus omnes, *Fin. II*, 28. p. 167.  
 Arganthonius centum et viginti vixit annos, *Cat.* 19. p. 370.  
 Aristolochia, *Diuin. I*, 10. p. 300. *II*, 20. p. 311.  
 Aristotelis descriptio visionis Eudemi, *Diuin. I*, 25. p. 301.  
 Aristotelis opinio de somniis, *Diuin. II*, 62. p. 321.  
 Ἀφροσθηματα, *Tusc. III*, 10. p. 242.  
 Arte quadam praeditus ad libidines adolescentulorum excitandas accommodata, *pro A. Cluent.* 13. p. 43.  
 Arteria aspera, *N. D. II*, 54. p. 290.  
 Artes quae coniectura continentur et sunt opinabiles, *Diuin. I*, 14. p. 300.  
 Asclepiades, *de orat. I*, 14. p. 6.  
 Assiduitas medici me id suspicari vetat, *Att. XII*, 33. p. 133.

- Asoti, *Fin. II*, 8. p. 160.  
 Astrologorum percepta, *Fat. 6*. p. 328.  
 Attici, *Fat. 4*. p. 326.  
 Avaritia senilis, *Cat. 18*. p. 369.  
 Auditus, *N. D. II*, 57. p. 293.  
 Aures, *N. D. II*, 56. 57. p. 292. quid iudicent, *Brut.*  
 8. p. 14.  
 Auricula infima mollior, *ad Qu. Fr. II*, 15. p. 141.

## B.

- Baiæ salubres repente factæ, *ad Varr. VIII*, 12. p.  
 85.  
 Barba Aesculapii Epidauri aurea demta, *N. D. III*,  
 34. p. 298.  
 Beati descriptio a Metrodoro, *Fin. II*, 28. p. 166.  
 Beati quinam, *Tusc. V*, 6. 15. 16. p. 258. 262.  
 Belle se habere, *Att. XII*, 37. p. 133. *ad Qu. Fr. III*,  
 8. p. 142.  
 Benignitas quanta naturæ, quod tam multa ad vescu-  
 dum gignit, *N. D. II*, 53. p. 288.  
 Bestiæ, *Fin. II*, 11. p. 161. *Tusc. V*, 13. 27. p. 260.  
 265.  
 Bestiis quibusdam inest aliquid simile virtutis, *Fin. V*,  
 14. p. 190.  
 Bilis, *N. D. II*, 55. p. 291.  
 Bona quæ dicantur, *Tusc. V*, 16. p. 262.

## C.

- Caccilius de sene alteri seculo prospicientè, *Cat. 8*. p.  
 357.  
 Caedem et furtum fecit Strato ille medicus, *pro A. Clu-*  
*ent. 64*. p. 47.  
 Caedis periculum perspicuum, *pro A. Caecin. 11*. p. 39.  
 Calanus Indus sua voluntate viuis combustus, *Tusc. II*,  
 22. p. 224.  
 Caloris vis, *N. D. II*, 9. 10. 11. p. 279. 280. *III*, 14.  
 p. 297.  
 Campani, *de leg. agr. XVIII*, 35. p. 49.  
 Canendi soni varii, *Leg. II*, 15. p. 337.  
 Cunicula oriente natus, *Fat. 6*. 7. p. 328.

- Caniculae ortum Cei observant coniecturamque capiunt, *Diuin. I*, 57. p. 309.
- Cantharidis vis, *Tusc. V*, 40. p. 271.
- Caprae in Creta ferae, *N. D. II*, 50. p. 287.
- Cardiaci, *Diuin. I*, 38. p. 304.
- Carere quid significet, *Tusc. I*, 36. p. 207.
- Caritas inter natos et parentes, *Lael. 8*. p. 380.
- Carnificina, *pro P. Sext.* 65. p. 56.
- Carthaginienses, *de leg. agr. XVIII*, 35. p. 49.
- Cato, quartum annum agens et octogesimum, de se ipso gloriatus, *Cat. 10*. p. 360. quomodo e vita discesserit, *Consol.* p. 403.
- Caue haec ne te perturbent et impediunt valetudinem, *ad Tiron. XVI*, 12. p. 105.
- Cauere omnia, nec metuere quidquam, *ad Brut. XI*, 21. p. 91.
- Causa quae dicatur, *Fat. 15*. p. 331.
- Causa aegritudinis reperta, *Tusc. III*, 10. p. 234.
- Causa morbi inuenta, *Tusc. III*, 10. p. 234.
- Causa obscura, *Topic. 17*. p. 22.
- Causarum cognitio, *Topic. 18*. p. 22.
- Causarum omnium colligationem nemo, nisi Deus, perspicit, *Diuin. I*, 56. p. 308.
- Celeripes ille attulit vberimas tuas literas, quae mihi quiddam quasi animulae restillarunt, *Att. VIII*, 7. p. 122. 123.
- Celeritas, *Tusc. III*, 13. p. 245.
- Ceruae, *N. D. II*, 50. p. 287.
- Chaldaeorum scientia prognostica, *Diuin. I*, 1. p. 299.
- Chirurgiae taedet, *Att. III*, 3. p. 115.
- Cibi reliquiae, *N. D. II*, 55. p. 291.
- Cibo, quo vtare, interesse aliquid ad mentis aciem, *N. D. II*, 16. p. 282.
- Cicatrix, *de inu. rhet. I*, 30. p. 4.
- Cimbri et Celtiberi lamentantur in morbo, *Tusc. II*, 27. p. 228.
- Circaeum poculum, *in Qu. Caecil. diu.* 17. p. 28.
- Clamor ille Philoctetaeus, *Tusc. II*, 23. p. 225.
- Coagmentatio corporis, *Timae.* 5. p. 387.
- Coagmentatio non dissolubilis quae sit, *N. D. I*, 8. p. 272.
- Cochleae circumscriptio, *Diuin. II*, 64. p. 322.
- Coeli dissimilitudo, *Diuin. II*, 44. p. 314.
- Coeli huius grauitatem corpore vix sustineo, *Att. XI*, 22. p. 128.

- Cognitionem esse aliquam in natura rerum, *Diuin. II*,  
14. p. 310.
- Collegium tam desperatum, *Leg. III*, 10. p. 338.
- Colligere se ipsum quid sit, *Tusc. III*, 36. p. 256.
- Commendam habere alicuius salutem, *ad consul. XV*,  
4. p. 99.
- Commodo valetudinis tuae fiat, *ad Terent. XIII*, 5. p.  
97. *ad Tiron. XVI*, 1. p. 100.
- Commorari diutius in hoc loco non possum prae fletu  
et dolore, *Att. XI*, 7. p. 126.
- Commotiones animorum a recta ratione auersae sunt vi-  
tiosae, *Tusc. III*, 28. p. 252.
- Commotiunculis *εμπέδοξο*, *Att. XII*, 11. p. 130.
- Commotus perleuiter, *ad Qu. Fr. II*, 6. p. 140.
- Commoueri vsque eo, vt insanire omnibus ac furere vi-  
dearis, *in Verr. III*, 18. p. 35.
- Complexu venereo quidam cum in somno iungeretur  
calculos eiecisse dicitur, *Diuin. II*, 69. p. 324.
- Concalluit locus ille, *Att. III*, 16. p. 116.
- Concubuit cum viro, *de inu. rhet. I*, 29. 40. p. 4.
- Conditionis humanae meditatio, *Tusc. III*, 16. p. 236.
- Conducet maxime valetudini, *ad Tiron. XVI*, 1. p. 100.
- Confatalia, *Fat.* 13. p. 331.
- Confecta et corpore et animo, *ad Terent. XIII*, 4. p.  
96.
- Conferre se ad medicum, *Att. XV*, 1. p. 137.
- Conficit me sollicitudo, ex qua etiam summa infirmitas  
corporis, *Att. XI*, 4. p. 126.
- Confirma te, *ad Tiron. XVI*, 1. 3. 4. 5. 7. 13. p. 100.  
101. 105.
- Coniectura assequi, *in Verr. V*, 25. 26. p. 37.
- Coniectura duci, *Brut.* 14. p. 15.
- Coniectura hominum, *N. D. II*, 4. p. 277. probabilis,  
*Diuin. II*, 6. p. 310.
- Coniectura non difficilis, *ad Cass. XII*, 22. p. 93.
- Coniecturae interpretum somniorum, *Diuin. II*, 70. p.  
324.
- Coniecturam affert hominibus tacita corporis figura, *pro*  
*Qu. Rosc.* 7. p. 28.
- Coniecturam facere, *in Verr. III*, 15. p. 34. ex aetate,  
*pro C. Rabir.* 11. p. 49. ex vultu, *pro Muren.* 21. p.  
51.
- Coniugium maritale quomodo natura comparatum sit,  
*Fragm. T.* 3. p. 381.
- Consciscere sibi mortem, *Tusc. I*, 34. p. 207.

- Consolatio maxima in desiderio et luctu, *Tusc. I*, 46. p. 213. 214.
- Consolatio misera, sed tamen necessaria, *ad Torqu. VI*, 2. p. 79. *Tusc. III*, 32. p. 239.
- Consolatio vna ad haec omnia, *Att. XV*, 1. p. 137.
- Consolor ipse me per literas, *Att. XII*, 14. p. 130.
- Constantia in natura et in arte, *Topic.* 16. p. 22.
- Constitutio firma corporis, *Off. III*, 33. p. 351.
- Consuescamus mori, *Tusc. I*, 31. p. 205.
- Consuetudinem emendare, *Brut.* 75. p. 18.
- Consuetudinis magna vis est, *Tusc. II*, 17. p. 221.
- Consuetudinis malae corruptela diuinitus datos igniculos exstinguit, *Consol.* p. 422.
- Consuetudinis vires, *Consol.* p. 409.
- Consuetudo diurna callum obduxit stomacho, *ad Varr. VIII*, 2. p. 85.
- Consuetudo ferendi doloris est non contemnenda magistra, *Tusc. II*, 21. p. 224.
- Consuetudo peccandi, *in Verr. III*, 76. p. 34.
- Consulendum vitae et saluti, *Off. III*, 24. p. 351. *pro M. Marcel.* 10. p. 65. *ad consul. XV*, 1. p. 99.
- Consulere incolumitati, *ad Torqu. VI*, 22. p. 81.
- Consumtum esse inedia, *ad Tiron. XVI*, 10. p. 104.
- Contagio naturae, *Fat.* 3. p. 326.
- Continentia, *Leg. III*, 13. p. 388 *de inu. rhet. II*, 54. p. 5.
- Contractiunculae quaedam animi, *Tusc. III*, 34. p. 240.
- Conturbat me valde inualitudo tua, *Att. VII*, 2. p. 118.
- Conturbatus, quod cum febre Romam venisses, *Att. VII*, 2. p. 118.
- Conualescere tardius, *ad Cass. XII*, 22. p. 93. *ad Terent. XIV*, 21. p. 99.
- Conuenire non in omnes omnia, *pro S. Rosc. Amer.* 42. p. 26.
- Conuersa est vis morbi in quartanam, *ad Tiron. XVI*, 11. p. 104.
- Conuiuia, *ad Varr. VIII*, 24. p. 89.
- Conuiuuiis tempestiuus delectari, *Cat.* 14. p. 365.
- Conuiuiorum Graecorum lex, *Tusc. V*, 41. p. 271.
- Conuiuuium bene nominarunt maiores nostri et melius quam Graeci, *Cat.* 13. p. 365.
- Cor animantis euulsam, *N. D. II*, 9. p. 278.
- Cor, *N. D. II*, 55. p. 291.
- Cornelius medicus, *in Verr. III*, 21. p. 32. *ibid.* 28. p. 33.
- Corpora nostra non nouimus, *Lacull.* 39. p. 151.

- Corpora nostra sine mente, *pro A. Cluent.* 53. p. 45.  
 Corpore infirmo esse, *Brut.* 67. p. 17.  
 Corporeum quid sit, *Timaeus* 4. p. 387.  
 Corpori seruire, *ad Tiron.* XVI, 4. p. 101.  
 Corpori tempus datur, *ad Varr.* VIII, 20. p. 87.  
 Corporis quid sit, *de inu. rhet.* II, 59. p. 6.  
 Corporis curandi tuendique causa quaesita est ars eius  
 atque vtilitas, *Tusc.* III, 1. p. 228.  
 Corporis motus et status, *Fin.* V, 17. p. 19.  
 Corporis nostri magnam natura ipsa videtur habuisse ra-  
 tionem, *Off.* I, 35. p. 345.  
 Corporis summa gracilitas et infirmitas, *Brut.* 91. p. 19.  
 Corporis victus cultusque ad valetudinem referantur et  
 ad vires, non ad voluptatem, *Off.* I, 30. p. 344.  
 Corporis vitium, *Fin.* V, 17. p. 192.  
 Corpus animi gubernaculo indiget, *Consol.* p. 391.  
 Corpus bene constitutum, *Tusc.* II, 6. p. 217.  
 Corpus exercendum, *Off.* I, 23. p. 341.  
 Corpus mortale, *de inu. rhet.* II, 57. p. 5.  
 Corpus totum debilitari et interire quando necesse sit,  
*Off.* III, 5. p. 350.  
 Corrigiae abruptio, *Diuin.* II, 40. p. 313.  
 Crapulam Aproniani conuiuii nondum exhalauit, *in*  
*Verr.* III, 11. p. 32.  
 Crassus, M. semel risit in omni vita, *Tusc.* III, 15. p.  
 236. surdaster, *Tusc.* V, 40. p. 270.  
 Crepitus Stoici aiunt aequae liberos, ac ructus esse, *ad*  
*Varr.* VIII, 22. p. 88.  
 Cretum leges, *Tusc.* II, 14. p. 219.  
 Critias, *Consol.* p. 412.  
 Critolai libra, *Tusc.* V, 17. p. 262.  
 Cruciamenta morborum, *Philip.* XI, 4. p. 72.  
 Culpa in medicorum vitiis, *N. D.* III, 31. p. 298.  
 Culpa si qua commissa est, *ad Tiron.* XVI, 10. p. 104.  
 Cupiditates insatiabiles, *Fin.* I, 13. p. 156. II, 20. p.  
 164. *Leg.* III, 13. p. 339.  
 Cupiditatum expertes, *Tusc.* I, 19. p. 202.  
 Cupido, *Fragm. T.* 3. p. 382.  
 Curare diligenter, *ad Tiron.* XVI, 20. p. 107. *ibid.* 22.  
 p. 107. *Att.* XII, 17. p. 131.  
 Curare se, *ad Tiron.* XVI, 6. 7. p. 102. *ibid.* 15. p. 106.  
 Curatio alia ad alium motum adhibenda, *Tusc.* III, 31.  
 p. 254.  
 Custos ceterarum ingenii partium, *Brut.* 61. p. 17.

Cyri morientis sermo apud Xenophontem, *Cat. 9. 22. p.*  
359. 374.

## D.

- Daemonion Socratis, *Diuin. I, 54. p. 306.*  
 Darius nunquam sitiens biberat, *Tusc. V, 34. p. 266.*  
 Debilis parte animi aliqua, *Brut. 61. p. 17.*  
 Decorum, *Off. I, 27. p. 342.*  
 Dedecet quid, *Off. I, 27. p. 342.*  
 Defectionem animi metuere, *Att. III, 18. p. 113.*  
 Deferuescere, *Tusc. IIII, 36. p. 256.*  
 Deformitas corporis, *Off. III, 29. p. 351.*  
 Deliri senes, *de orat. II, 18. p. 8.*  
 Dementia, *de har. resp. 18. p. 54.*  
 Democriti opinio de somniantibus, *Diuin. II, 58. p.*  
318.  
 Democritus luminibus amissis, *Tusc. V, 39. p. 269.*  
 Denegare ipsi naturae ac necessitati omnia iucunda, *in*  
*Verr. V, 14. p. 37.*  
 Dentes, *N. D. II, 54. p. 289.*  
 Dentis euulsionem qui primus inuenerit, *N. D. III,*  
22. p. 297.  
 Denuntiatio calamitatum a diis profecta, *Diuin. II,*  
25. p. 311.  
 Desiderare se ipsum, *Att. III, 15. p. 113.*  
 Desperationis plenissima omnia, *Att. II, 18. p. 109.*  
 Desperatis etiam Hippocrates vetat adhibere medicinam,  
*Att. XVI, 15. p. 138.*  
 Deum homunculis similem fingere desipientis esset, *N.*  
*D. I, 44. p. 277.*  
 Deus, *N. D. II, 6. 17. 23. 27. p. 278. 282. 284.*  
 Deus mihi aliquis medicinam fecisse videtur, *ad Terent,*  
*XIII, 7. p. 97.*  
 Diaeta curari, *Att. IIII, 3. p. 115.*  
 Diaphoresin gaudeo profuisse, *ad Tiron. XVI, 18. p.*  
107.  
 Dicaearchi liber magnus est; nescire ea, quae euentu-  
ra sint, melius esse, quam scire, *Diuin. II, 51. p.*  
316.  
 Dicaearchus de hominis interitu, *Consol. p. 405.*  
 Dictamnus, *N. D. II, 50. p. 287.*  
 Dictionis Atticae quasi sanitatem perdere, *Brut. 13. p.*  
15.

- Dies natalis, *Fin. II*, 31. p. 170.  
 Dies stultis quoque mederi solet, *ad Mar. VII*, 28. p. 84.  
 Diligens nimium in custodia salutis, *Att. IIII*, 1. p. 115.  
 Diligentiam omnem ad se conseruandum adhibere, *ad consul. XV*, 2. p. 99.  
 Diogenes proici se iussit inhumatum, *Tusc. I*, 43. p. 213.  
 Dionysius, Syracusanorum tyrannus, *Tusc. V*, 20. 21. p. 263. cultros metuens tonsorios, *Off. II*, 7. p. 348.  
 Discessit a constantia, atque a mente, atque a se ipse, timoris magnitudine, *Diuin. II*, 55. p. 317.  
 Discessus animi a corpore, *Tusc. I*, 34. p. 206.  
 Dissimilitudines in naturis hominum, *Fat. 4*. p. 326. *Off. I*, 30. 31. p. 344.  
 Dissimulare se tam grauiter dolere, *Att. XII*, 20. p. 131.  
 Dissolucere facilius est, quam connectere, *orat.* 71. p. 22.  
 Diuina insunt in hominum animis, *Tusc. I*, 24. 27. p. 203. 204.  
 Diuinandi duo genera, *Diuin. I*, 6. p. 299. a natura: vaticinandi et somniandi, s. furoris et somnii, *Diuin. II*, 48. p. 316.  
 Diuinare morientes, exemplo confirmat Posidonius, *Diuin. I*, 30. p. 303.  
 Diuinata mirabiliter a Socrate ab Antipatro collecta, *Diuin. I*, 54. p. 306.  
 Diuinatio, *Diuin. II*, 5. p. 309. *Leg. II*, 13. p. 337. artificiosa, *Diuin. I*, 56. p. 308. naturalis, *Diuin. I*, 49. 56. p. 305. 308.  
 Diuinationis definitio Chrysippi, *Diuin. II*, 63. p. 321. offic. et munus, *ibid. I*, 32. 38. 41. p. 304.  
 Doctoris intelligentis quid sit, *Brut.* 56. p. 16.  
 Doleo, te non valere, *ad Tiron. XVI*, 11. p. 104.  
 Dolere me ita scias, vt non iaceam, *Att. XII*, 23. p. 132.  
 Dolor, *Fin. I*, 9. ss. p. 153. ss. *Tusc. II*, 15. p. 219. *V*, 27. p. 264. immodicus omnis turpis est et a viro alienus, *Consol.* p. 399. summus, *Tusc. II*, 19. p. 221. debilitat includitque vocem, *pro Rabir. posth.* 17. p. 64. ex partu contractus, *Consol.* p. 418. 419.  
 Dolor artuum, *Brut.* 60. p. 16.

- Dolor eo grauior est quo culpa maior, *Att. XI*, 11. p. 127.
- Dolor meus non modo non minuitur, *Att. XI*, 6. p. 126.
- Dolor nullus est, etc. *Sulp. ad Cic. IIII*, 5. p. 75.
- Dolor omnes partes mentis ademit, *Att. III*, 7. p. 111.
- Dolor rursus emergit, *Att. VIII*, 6. p. 122.
- Dolore captus suo prorsus caret arbitrio, *Consol.* p. 408.
- Dolore non angor, sed ardeo, *Att. VIII*, 6. p. 122.
- Dolorem commemorando augeo, *Att. XI*, 8. p. 127.
- Dolorem hunc mihi eripe, aut minue saltem, aut consolatione, aut consilio, aut quacunque re potes, *Att. VIII*, 6. p. 122.
- Dolorem leuare *ad Metel. V*, 16. p. 77. *ad Torqu. VI*, 13. p. 80.
- Dolorem meum quae leuare possit, consolatio certe nulla est, *Att. XI*, 25. p. 129.
- Dolorem suum impertire, *Att. II*, 23. p. 110.
- Dolorem suum scindere, *Att. III*, 15. p. 112.
- Dolorem tantum sustinere posse, *ad Qu. Fr. I*, 3. p. 140.
- Dolores articulorum magnos habere, *Att. I*, 5. p. 108.
- Dolores intolerabiles, *ad Qu. Fr. I*, 4. p. 140. *Tusc. V*, 1. p. 258.
- Dolores pedum, *Brut.* 34. p. 16. *ad Torqu. VI*, 19. p. 81.
- Dolori haec tibi esse scio, *Att. XI*, 10. p. 127.
- Dolori fortiter resistere, *ad Metel. V*, 17. p. 78.
- Dolori tanto resistere non possum, *Att. XI*, 15. p. 128.
- Doloribus totius corporis oppressus, *ad Varr. VIII*, 14. p. 86. *Att. XIV*, 17. p. 136.
- Doloribus vrgentibus asperis et odiosis, *Tusc. II*, 27. p. 228.
- Doloris exiguam obliuionem petere, *ad Metel. V*, 15. p. 76.
- Doloris medicinam petere, *acad. quaest. I*, 3. p. 145. *Tusc. II*, 19. p. 221. 222.
- Doloris relaxatio — mitigatio, *Fin. II*, 29. p. 168.
- Doloris mei volo aliquod emere latibulum et perfugium, *Att. XII*, 13. p. 130.
- Doloris remedia, *Consol.* p. 401.
- Dolorum faces, *Off. II*, 10. p. 348.
- Dolui valde de Atticae febricula, *Att. XII*, 1. p. 129.
- Domicilia vitae, *N. D. I*, 35. p. 276.

- Domus omnium vna, *Diuin. I*, 57. p. 309.  
 Dormientes, *Topic.* 20. p. 23.  
 Dormientibus nobis quae accidant, *Diuin. I*, 51. 57. p.  
 306. 308.  
 Dormientis corpus, *Diuin. I*, 30. p. 302.  
 Dormientium animi, *Cat.* 22. p. 375.  
 Dormire quid sit, secundum Zenonem, *Diuin. II*, 58. p.  
 317.  
 Druidae in Gallia, *Diuin. I*, 41. p. 304.  
 Dubia de salute sententia, *ad Torqu. VI*, 4. p. 79.  
 Dysenteriam pertimescere, *ad Mar. VII*, 26. p. 83.  
 Dysuria valde molesta, *Att. X*, 10. p. 124.

## E.

- Ebriositas, *Tusc. III*, 12. p. 244.  
 Edacitatis morbus, *ad Mar. VII*, 26. p. 83. *ad Qu.*  
*Fr. III*, 9. p. 142.  
 Effigies quaedam spirantis mortui, *ad Qu. Fr. I*, 3. p.  
 139.  
 Eicere χολήν ἄκρατον, *ad Terent. XIII*, 7. p. 97.  
 Είμαρμένη, *Diuin. I*, 55. p. 307.  
 Emori discere, *Tusc. I*, 31. p. 205.  
 Endymion nondum experrectus, *Tusc. I*, 38. p. 208.  
 Endymionis somnus, *Fin. V*, 20. p. 195.  
 Eneruatus vsque eo, etc. *Att. II*, 14. p. 109.  
 Eniti vt saluus sit, *ad Qu. Fr. III*, 3. p. 142.  
 Ennius duo, quae maxima putantur onera ferebat, *Cat.*  
 5. p. 356.  
 Ἐντελέχεια, *Tusc. I*, 10. p. 200.  
 Epaminondas moriens, *Fin. II*, 30. p. 169.  
 Epicurus moriens, *Fin. II*, 30. p. 168.  
 Epicharmi sententia, *Tusc. I*, 8. p. 199.  
 Errores nauigantium, insanorum et ebriorum, *Diuin.*  
*II*, 58. 59. p. 318.  
 Esse oportet, vt viuas, non vivere vt edas, *ad Heren.*  
*III*, 28. p. 2.  
 Etesiae venti. *N. D. II*, 53. p. 288.  
 Eudemi grauiter aegri visio de conualescentia, *Diuin. I*,  
 25. p. 301.  
 Euentum quemuis fortius feram quam hunc dolorem,  
*Att. VIII*, 6. p. 122.  
 Εὐκόλως ferre, *Att. XIII*, 21. p. 135.  
 Euripideum carmen, *Tusc. III*, 25. p. 237.

- Exanimat me Tulliae meae morbus et imbecillitas corporis, *Att. XI*, 6. p. 126.  
 Excidit vultus, oratio, mens denique, *in Verr. I*, 54. p. 30.  
 Excitare quem ab inferis, *in Verr. V*, 49. p. 38.  
 Exeruciat me valetudo, *ad Terent. XIII*, 19. p. 98.  
 Exercitationibus modicis utendum, *Cat. 11*. p. 362.  
 Exercitatum inter et inexercitatum quid intersit, *Tusc. II*, 16. p. 220.  
 Expertis plerumque creditur, *Topic. 19*. p. 22.

## F.

- Faba ne vescerentur Pythagoricis interdictum, *Diuin. I*, 30. p. 302. *II*, 58. p. 318.  
 Facilitas, *Tusc. III*, 12. p. 244.  
 Falli posse homines, *Diuin. I*, 55. p. 307.  
 Fames cibi condimentum, *Fin. II*, 28. p. 166.  
 Fastidium cibi, *de inu. rhet. I*, 17. p. 3. stomachi et oculorum, *ad Cur. II*, 16. p. 73.  
 Fati necessitas, *Fat. 8. 9. 12*. p. 329. 330.  
 Fatum quid sit, *Diuin. I*, 55. p. 307.  
 Febri plane carere et belle habere te, *ad Tiron. XVI*, 15. p. 106.  
 Febricula incipiente scripseras, *Att. VII*, 8. p. 120.  
 Febriculam tum te habentem scripsisse, *Att. VI*, 9. p. 118.  
 Februm tertianarum et quartanarum reuersione et motu quid potest esse constantius, *N. D. III*, 10. p. 296.  
 Ferre haec *εὐστομάχως*, *Att. VIII*, 5. p. 122.  
 Firmiorem etiam te fore spero, diligentia adhibita, *ad Tiron. XVI*, 11. p. 104. *ibid.* 20. p. 107.  
 Fistula putris per lumbos erupit, *Att. vit. XXI*. p. 144.  
 Flagitiosi, *Tusc. III*, 32. p. 254.  
 Fletu prohibeor plura scribere, *Att. XI*, 9. p. 127.  
 Fletu reprimor, ne scribam haec, *Att. XI*, 15. p. 128.  
 Foeminae visu nocentes, *Fragm. libr. inc.* p. 390.  
 Foeminarum conditio, *Consol.* p. 394.  
 Foeminas fortissimas, *Consol.* p. 411.  
 Formae dignitas, *ad Herenn. III*, 27. p. 2. quomodo tuenda, *Off. I*, 36. p. 346.  
 Formae duae praestantes, *N. D. II*, 18. p. 283.  
 Fortes fortuna adiuvat, sed multo magis ratio, *Tusc. II*, 4. p. 216.

- Forticulum se in torminibus et in stranguria sua praebere, *Tusc. II*, 19. p. 222.
- Fortis qui esse non possit, *Off. I*, 2. p. 338.
- Fortitudinis munera duo maxima, *Tusc. II*, 18. p. 221. praecepta quaedam ac paene leges, *Fin. II*, 29. p. 167. ratio quae sit, *Fin. I*, 15. p. 157. *Tusc. V*, 14. p. 261. *Off. III*, 33. p. 352. *Fragm. T. 3*. p. 383.
- Fortitudo robusta et stabilis, *Tusc. IIII*, 23. p. 250. virilis, *Consol.* p. 406.
- Fouere dolores suos, *Att. XII*, 18. p. 131.
- Fragilitas naturae communis, *pro M. Marcel.* 7. p. 65.
- Frontis contractio, *pro P. Sext.* 8. p. 55.
- Fructus senectutis, *Cat.* 19. p. 371.
- Fundamenta iacere salutis, *ad Planc.* X, 29. p. 91.
- Funus, *pro P. Quint.* 15. p. 25.
- Furens et violentus, *Philipp. II*, 28. p. 68.
- Furere verborum cursu quodam incitato, *Brut.* 66. p. 17.
- Furiae assiduae domesticae, *pro S. Rosc. Amer.* 24. p. 26. *in L. Pis.* 20. s. p. 60.
- Furiosa mulier, non morbo, sed scelere, *pro A. Cluent.* 65. p. 47.
- Furiosi, *Lucull.* 28. p. 151.
- Furor, *de har. resp.* 18. p. 54. *Tusc. III*, 5. p. 231. amoris, *Tusc. IIII*, 35. p. 255.

## G.

- Gaudere corpus quam diu soleat, *Tusc. V*, 33. p. 266.
- Gemitus in dolore, *Tusc. II*, 24. p. 226.
- Genae, *N. D. II*, 57. p. 293.
- Genera herbarum et radicum a medicis animaduersa, *Diuin. I*, 7. p. 300.
- Generis humani natura duplex, *Timaeus* 12. p. 388.
- Gens in India, *Tusc. V*, 27. p. 264.
- Gestus, *orat.* 18. p. 20.
- ἰνῶδι σεαυτὸν cur dictum sit, *ad Qu. Fr. III*, 6. p. 142.
- Gorgiae, oratoris, sententia, *Consol.* p. 407.
- Graeci homines morbos toleranter atque humane ferunt, *Tusc. II*, 27. p. 228.
- Grauedinosi, *Tusc. IIII*, 12. p. 244.
- Grauedo, *Att. XVI*, 11. 14. p. 138.

Grauidam mulierem veneno interfecit, *pro A. Cluentia*  
 11. p. 42.  
 Gustatus, *N. D. II*, 56. 57. p. 292. 294.

## H.

Habitus, *de inu. rhet. I*, 25. p. 3. *II*, 9. p. 5. corporis opimi, *Brut.* 16. p. 15.  
 Hebetes, *Tusc. III*, 14. p. 246.  
 Hegesias Cyrenaicus, *Tusc. I*, 34. p. 207.  
 Heracleotes Dionysius ex renibus laborans, *Tusc. II*, 25. p. 226.  
 Hercules eiulans, *Tusc. II*, 7. 8. p. 217. ss.  
 Hilarula est, *Att. XVI*, 11. p. 138.  
 Hippocrates ille Cous cum esset, *de orat. III*, 33. p. 11. nobilissimus medicus geminos esse fratres quosdam cur suspicatus, *Fragm. libr. inc.* p. 390.  
 Hippolyti odium mulierum, *Tusc. III*, 11. p. 243.  
 Homeri nemo similis, *Divin. II*, 47. p. 316.  
 Homerica praecepta, *Consol.* p. 399.  
 Homerus coccus, *Tusc. V*, 39. p. 270.  
 Homine melius quid esse potest in rerum natura, *N. D. II*, 6. p. 278.  
 Hominem eadem optime, quae conglutinavit, naturam dissolvit, *Cat.* 20. p. 372.  
 Hominem inter et belluam quid maxime intersit, *Off. I*, 4. p. 339.  
 Homines artium spectati et probati, *de orat. I*, 27. p. 7.  
 Homines cur in medio terrarum orbe a Deo collocati sint, *Consol.* p. 411.  
 Homines deorum similes, *N. D. I*, 32. p. 274.  
 Homines mortales, *de inu. rhet. II*, 57. p. 6. qua lege generati sint, *Somn. Scip.* 3. p. 384. quasi spectatores *N. D. II*, 56. p. 292.  
 Homini homine nihil pulchrius, *N. D. I*, 27. p. 273.  
 Homini optimum quod sit, *Tusc. I*, 47. 48. p. 214. quid sit tributum natura, *Leg. I*, 5. 7. 8. 9. p. 332. s.  
 Hominis constructio, *Lucull.* 27. p. 149.  
 Hominis figura non modo ad vsum, verum etiam ad venustatem apta, *N. D. I*, 18. p. 272.  
 Hominis inprimis propria est veri inquisitio atque investigatio, *Off. I*, 4. p. 339.  
 Hominis natura quae sit, *Fin. V*, 12. p. 187. quantum pecudibus reliquisque belluis antecedit, *Off. I*, 30. p. 343.

- Hominis quae maxime propria sunt, cur recusare ea ac reicere audeat, *Consol.* p. 392.
- Homo luendorum scelerum causa natus, *Consol.* p. 395. non vt a matre, sed vt a nouerca natura editus est in vitam, *Fragm. T. 3.* p. 383.
- Homo, quasi mortalis Deus, *Fin. II*, 13. s. p. 162. *V*, 13. p. 189. quaedam perfecti particula, *N. D. II*, 14. p. 281.
- Homullus epicureus, in *L. Pis.* 25. p. 61.
- Homunculi nos indignamur, etc. *Sulp. ad Cic. IIII*, 5. p. 74.
- Honestae quae sint artes, *Off. I*, 42. p. 347.
- Honos vt medico haberetur, *ad Tiron. XVI*, 9. p. 104.
- Horizontis s. finientis, varietas maxima, *Diuin. II*, 44. p. 314.
- Humana omnia tolerabilia ducenda, *Att. XII*, 11. p. 130.
- Humanitatis magna vis, *pro S. Rosc. Amer.* 22. p. 25.
- Humationis ratio, *Tusc. I*, 43, 45. p. 213.

## I.

- Iacere in moerore, *Att. X*, 4. p. 124.
- Iactari aestu febrique, in *Catil. I*, 13. p. 50.
- Iactura in vnus mulierculae animula, *Sulp. ad Cic. IIII*, 5. p. 74.
- Ibes aegyptiacae, *N. D. II*, 50. p. 287.
- Iecur, *N. D. II*, 55. p. 291.
- Ignis noster, quem vsus vitae requirit, et contra ille corporeus, vitalis et salutaris, *N. D. II*, 15. p. 282.
- Ignoratio futurorum malorum vtilior, quam scientia, *Diuin. II*, 9. p. 310.
- Imagines praesto sunt et ad dormientem veniunt inuocatae, *N. D. I*, 38. p. 277.
- Imaginum plena sunt omnia, *Diuin. II*, 67. p. 323.
- Imbecillior et valetudine et natura, *ad Qu. Fr. II*, 10. p. 141.
- Imbecillitas valetudinis, *Off. I*, 21. p. 341.
- Imber lapideus aut sanguineus, *Diuin. II*, 28. p. 312.
- Immortalitatem animorum Panaetio a Platone suo dissentiente credamus, *Tusc. I*, 32. p. 205.
- Impetret ratio, quod dies impetratura est, *Att. XII*, 10. p. 129.

- Inanimum inter et animal quid intersit, *Lucull.* 12. p. 147.
- Incidisse in aerumnam multis peccatis suis, *Att.* III, 14. p. 112.
- Incidere in febriculam assiduam et satis molestam ex labore, *ad Planc.* X, 21. p. 90. *ad Terent.* XIII, 8. p. 98. in morbum continuo, *ad Memm.* XIII, 29. p. 95. *Att.* XV, 2. p. 137.
- Incolumes conseruare, *ad Varr.* VIII, 13. p. 86.
- Incolumitas, *de inu. rhet.* II, 56. 58. p. 5. s.
- Incolumitate explorata, *ad Memm.* XIII, 19. p. 94.
- Incolumitatis ac salutis omnium causa esse hunc statum, *de orat.* III, 45. p. 12.
- Incommodo valetudinis commoueri, *Att.* VII, 7. 8. p. 119. s.
- Indicia mortis manu tenere, *Brut.* 80. p. 18.
- Indigere alterum alterius natura voluit, *Fragm.* T. 3. p. 382.
- Indolentia, *Fin.* II, 4. p. 160. *Tusc.* III, 6. p. 232.
- Indulgere valetudini, *ad Tiron.* XVI, 18. p. 107.
- Infans, *Fin.* II, 11. p. 161.
- Infantia, *Consol.* p. 392.
- Infirmus ex graui diurnoque morbo, *Philipp.* VIII, 2. p. 69.
- Ingenia acutiora vbinam, *N. D.* II, 16. p. 282.
- Ingenii celeritas, *Brut.* 14. p. 15. quid sit, *de orat.* II, 21. p. 9.
- Ingeniosos omnes esse melancholicos Aristoteles ait, *Tusc.* I, 33. p. 206.
- Ingenium tuum confer ad te mihi tibi que conseruandum, *ad Tiron.* XVI, 15. p. 106.
- Ingredi posse coepit, *ad Planc.* X. 17. p. 90.
- Insani, *Lucull.* 17. p. 149.
- Insania, *Tusc.* III, 4. 5. p. 230. ridicula et molesta, *in Verr.* III, 66. p. 35. s.
- Insidias moliri, *pro A. Cluent.* 60. p. 47.
- Insipientibus nullane est adhibenda curatio, *Tusc.* III, 2. p. 229.
- Intemperantiae turpioris morbus, *ad Mar.* VII, 26. p. 83. *Tusc.* III, 9. p. 241.
- Interiit vulnere, *Att.* V, 20. p. 117.
- Intolerabilia sunt omnia ad dolorem, *Att.* XI, 13. p. 127.
- Intolerandum nihil putare, *Off.* III, 27. p. 351.
- Inualetudine tua moueor, *Att.* VII, 5. p. 119.

- Ioco quomodo vti liceat, *Off. I*, 29. p. 343.  
 Ira, *Tusc. III*, 23. p. 250.  
 Iracundia, *Tusc. III*, 5. p. 231. *III*, 12. 24. 37. p. 244. 250. 256.  
 Iracundiae dominatus, *Fragm. T.* 3. p. 382.  
 Iracundiae resistendum, *ad. Qu. Fr. I*, 1. 13. p. 139.  
 Irasci velle ei medico, qui sibi successerit, *Att. VI*, 1. p. 117.  
 Isocratis senectus, *Cat.* 5. p. 355.  
 Isonomia, *N. D. I*, 39. p. 277.  
 Iter ad salutem, *Att. III*, 19. p. 114.  
 Iudicabimus facile, *Off. I*, 41. p. 347.  
 Iupiter cur Optimus Maximus appelletur, *N. D. III*, 36. p. 299.  
 Iura tam religiosa mortuis tributa, *Lael.* 4. p. 378.  
 Iurabo et ipse morbum perpetuam, *Att. XII*, 13. p. 130.  
 Iustus non timet, *Off. II*, 11. p. 349.  
 Iuuare aut consolando, aut consilio, aut re, *ad Mar. VII*, 10. p. 82.  
 Iuuare opera, consilio, gratia, *Att. III*, 11. p. 111.

## K.

- κακία, *Tusc. III*, 15. p. 246.

## L.

- Labi in minimis tenuissimisque rebus, *de orat. I*, 37. p. 8.  
 Labor quasi callum quoddam obducit dolori, *Tusc. II*, 15. p. 220.  
 Laborare de sua vita, *pro A. Cluent.* 70. p. 48. ex intestinis, *ad Mar. VII*, 26. p. 83. ex pedibus, *ad Varr. VIII*, 23. p. 89. sine feбри, *Att. V*, 8. p. 117.  
 Lacedaemoniorum epulae quibus rebus condiantur, *Tusc. V*, 34. p. 266.  
 Lacerti, *Brut.* 16. p. 15.  
 Lacrima nihil citius arescit, *de inu. rhet. I*, 56. p. 4. praesertim in alienis malis, *orat. part.* 17. p. 23.  
 Lacrimis nihil proficitur, *Consol.* p. 398.  
 Lamentatio lugubris ex quo sit, *Tusc. I*, 13. p. 202.  
 Languidus vino vigiliisque, *in Verr. III*, 12. p. 32.  
 Lateris dolore consumtus, *de orat. III*, 2. p. 10.

- Lateribus pugnans, *Brut.* 62. p. 17.  
 Laterum infirmitas, *Brut.* 55. p. 16.  
 Laterum valentiorum quæ sint, *orat.* 25. p. 21.  
 Lauatio parata, *ad Varr. VIII*, 5. p. 85.  
 Laxemus animos nostros curamque, *de orat. III*, 61.  
 p. 14.  
 Lecto teneri, *in Verr. V*, 7. p. 36.  
 Lena quasi sui et blanda conciliatrix, natura, *N. D. I*,  
 27. p. 273.  
 Leonidae mors, *Fin. II*, 30. p. 169.  
 Leontinus Gorgias centum et septem compleuit annos,  
*Cat.* 5. p. 355.  
 Leuare aegritudine alios, *Tusc. III*, 26. p. 251.  
 Leuatus statim ita sum, *ad Terent. XIII*, 7. p. 97.  
 Leuitate amoris affecto quæ adhibenda curatio sit, *Tusc.*  
*III*, 35. p. 255.  
 Leuitatis quid sit, *Off. I*, 26. p. 342.  
 Lex in vita seruanda, *Tusc. V*, 41. p. 271.  
 Liber recte qui solus, *Fin. III*, 22. p. 178.  
 Libidine ferri, *pro A. Cluent.* 5. 6. p. 40.  
 Libidines in stupris et flagitiis nefariæ, *in Verr. I*, 5.  
 p. 29. *in L. Pis.* 27. p. 62.  
 Libidinis vestigia, *in Verr. V*, 13. p. 37.  
 Libido iuuenilis, *Hortens.* p. 386.  
 Ligures, *Leg. agr. c. Rull. XVIII*, 35. p. 49.  
 Lineamenta, *in Verr. II*, 36. p. 30. *Fin. III*, 22. p. 178.  
 Lingua, *N. D. II*, 54. 59. p. 289. 294.  
 Lippire fluenter, *Att. VII*, 13. 14. p. 120.  
 Lippitudo molestior mihi erat, *Att. VIII*, 12. s. p. 121.  
 sine vlla lacrima est, sed odiosa propter vigiliis, *Att.*  
*X*, 14. p. 125. refricat crebro, *ibid.* 17. p. 125.  
 Lippitudo diuturna, *Tusc. III*, 37. p. 257. paruula, *ad*  
*Qu. Fr. II*, 2. p. 140.  
 ἄηρος πολὺς in vino et in somno istorum, *Att. XVI*, 1.  
 p. 138.  
 Literæ non modo delectationem, sed etiam salutem at-  
 tulerunt, *Brut.* 3. 4. p. 14.  
 Loci mutatione curandus, *Tusc. III*, 35. p. 255.  
 Loci natura, *Fat.* 4. p. 326.  
 Λόγος ἀργός, ignaua ratio, *Fat.* 12. 13. p. 330.  
 Longinquitas affert medicinam tardam quidem sed ma-  
 gnam, *Tusc. III*, 16. 22. p. 236. s.  
 Longinquitas grauissimi morbi, *Philipp. X*, 8. p. 71.  
 Loqui quomodo fiat *Tusc. I*, 16. p. 202.  
 Lubido, *orat.* 65. p. 21. peccandi, *Off. II*, 24. p. 349.

- Lucina, *N. D. II*, 27. p. 284.  
 Lucretia stuprata per vim, *Fin. II*, 20. p. 165.  
 Lucubrationes detrahere, *Diuin. II*, 68. p. 323.  
 Ludo quomodo vti liceat, *Off. I*, 29. p. 343.  
 Lumina amittere, *pro dom.* 40. p. 54.  
 Lunae cursus, *N. D. II*, 19. 27. p. 284. motu quae gubernentur, *Diuin. II*, 14. p. 311.  
 Lux venisse quaedam et spes salutis videtur, *Philipp. X*, p. 71.  
 Luxuria, *in L. Pis.* 27. p. 61.  
 Lycurgi leges, *Tusc. II*, 14. p. 219.  
 Λύπη; *Tusc. III*, 25. p. 238.

## M.

- Magisteria a maioribus instituta, *Cat.* 14. p. 365.  
 Mala, *in L. Pis.* 18. 19. p. 60.  
 Mali nihil fingi potest, quo non vrgear. *Att. XI*, 15. p. 128.  
 Malum inclusum, intestinum ac domesticum, *Leg. agr. XVII*, 9. p. 48. nascens — inueteratum — *Philipp. V*, 11. p. 69. natium et delatum sanare, *pro dom.* 5. p. 53.  
 Malum nec vllum est tantum, quod non putem impendere, *ad Torqu. VI*, 4. p. 80.  
 Malum vrbani manabat, *ad Cass. XII*, 1. p. 92.  
 Mania, *Tusc. III*, 5. p. 231.  
 Μαντικῆ, *Leg. II*, 13. p. 337.  
 Manus, *N. D. II*, 60. p. 295.  
 Marii auctoritas valuit, *Tusc. II*, 22. p. 225.  
 Masinissa nonaginta annos natus quae faciat, *Cat.* 10. p. 361.  
 Mater, quae sibi, praeter formam, nihil ad similitudinem hominis reseruarit, *pro A. Cluent.* 70. p. 48.  
 Materia rerum ex qua, *N. D. III*, 39. p. 209.  
 Matronae parere cupientis visio, *Diuin. II*, 70. p. 324.  
 Maturitatem habere, *Brut.* 92. p. 19.  
 Medendi ratio vna est omnium philosophorum, *Tusc. III*, 29. p. 253.  
 Mederi iis maxime conuenit, ex quibus maxime laborat, *pro S. Rosc.* 53. p. 27.  
 Medicamenta fucati candoris et ruboris, *orat.* 23. p. 21.  
 Medicamentum ad aquam intercutem, *Off. III*, 24. p. 350.

- Medici, *ad Lentul. I*, 9. p. 73. *Fin. V*, 2. 3. p. 182.  
 Medici commendatio, *ad Memm. XIII*, 20. p. 94. officium et finis, *de inu. rhet. I*, 5. p. 2. *Diuin. II*, 3. 5. 6. p. 309. s.  
 Medici praesentiunt multa, *Diuin. I*, 50. p. 305.  
 Medici sine usu et exercitatione, *Off. I*, 18. p. 341.  
 Medicina cuius causa sit instituta, *de inu. rhet. I*, 38. p. 4. *Fin. V*, 6. 7. p. 182. s.  
 Medicina et diuination quid simile habeant, *N. D. III*, 6. p. 296.  
 Medicina nescio quomodo imbecillior est, quam morbus, *Att. X*, 14. p. 125.  
 Medicina non egere, *Eael. 3*. p. 377.  
 Medicina non minus probanda, quae etc. *Att. II*, 1. p. 109.  
 Medicinae totidem causis opponuntur, *de orat. II*, 83. p. 10.  
 Medicinae egere, *ad Varr. VIII*, 3. p. 85.  
 Medicinae faciendae locus ubi non sit, *pro P. Quint.* 2. p. 24.  
 Medicinae materia, *de inu. rhet. I*, 5. p. 3.  
 Medicinam consilii atque orationis afferre, *in Catil. II*, 8. p. 50.  
 Medicinam temporis expectare, *ad Metell. V*, 16. p. 77.  
 Medicis non ad salutem sed ad necem uti, *de harusp. resp.* 16. p. 54.  
 Medico diligenti quid sit cognoscendum, *de orat. II*, 44. p. 9.  
 Medico mercedis quantum poscet, promitti iubeto, *ad Tiron. XVI*, 14. p. 105.  
 Medico salus proposita est, *Att. VIII*, 11. p. 121. *Fragm. T.* 3. p. 383.  
 Medicorum consuetudo imitanda est, *Off. I*, 24. p. 342.  
 Medicorum ingeniis reperta, *N. D. II*, 50. p. 287.  
 Medicorum scientia, *Fin. I*, 13. p. 156.  
 Medicos cogere, *Sulp. ad Cic. III*, 12. p. 75.  
 Medicos malos imitari, *Sulp. ad Cic. III*, 5. p. 74.  
 Medicum venisse in suspicionem de morte, *ad Brut. I*, 6. p. 142.  
 Medicus de morbis si diserte dixerit aut scripserit, *de orat. II*, 9. p. 3.  
 Medicus nobilissimus atque optimus ubi quaeratur, *pro A. Cluent.* 21. p. 44. s.  
 Medicus plane confirmat, *ad Tiron. XVI*, 9. p. 103.

- Mediocritas optima, *Tusc. III, 20. p. 249. Off. I, 39. p. 347.*
- Melancholia, *Tusc. III, 5. p. 231.*
- Melancholici, *Diuin. I, 37. p. 304.*
- Meliuscule cum tibi esset, *ad Tiron. XVI, 5. p. 102.*
- Membra corporis, *Topic. 6. p. 22. Fin. III, 5. 7. 19. p. 173. 177. N. D. III, 39. p. 299.*
- Membrorum in homine utilitas atque opportunitas, *N. D. I, 33. p. 274.*
- Membrum cohaerens cum omni corpore, *de orat. II, 80. p. 10. tumidum ac turgidum, Tusc. III, 9. p. 233.*
- Memoria, *orat. part. 7. p. 23. senibus quando minuatur, Cat. 7. p. 357.*
- Memoriae ars, *Fin. II, 32. p. 171.*
- Memoriola vacillare, *Att. XII, 1. p. 129.*
- Mens, *Tusc. I, 10. p. 200. ad medicinam accipiendam magis idonea, Consol. p. 411. cuiusque, is est quisque, Somn. Scip. 8. p. 384.*
- Mensae Syracusanae, *Fin. II, 28. p. 166.*
- Menses, *N. D. II, 27. p. 284.*
- Mente permotis quanta sit animi vis, *Diuin. I, 57. p. 308.*
- Mentis etiam errore ex dolore affici, *Att. III, 13. p. 112.*
- Mentis sermo quidam tacitus, *in L. Pis. 1. p. 59.*
- Meridiationes addere, *Diuin. II, 68. p. 323.*
- Metellus extremo tempore aetatis bonis fuit viribus, *Cat. 9. p. 359.*
- Metrodori opinio, *Tusc. II, 6. p. 217.*
- Metus, *Tusc. III, 303. p. 253. V, 18. p. 263.*
- Micare non desinunt, quasi quodam igneo motu, *venae et arteriae, N. D. II, 9. p. 278.*
- Milonis Crotoniatae vox paulo contemptior, *Cat. 9. p. 359. vires corporis, Cat. 10. p. 360.*
- Ministrant nobis tam multae artes, *Off. II, 4. p. 348.*
- Minora dii negligunt, *N. D. III, 35. p. 298.*
- Misanthropos, *Tusc. III, 11. p. 243.*
- Miserrimum quid sit, *ad Torqu. VI, 3. p. 79.*
- Moderatis diutius nos delectari, *de orat. III, 25. p. 11.*
- Moeror me meus quotidianus lacerat et conficit, *Att. III, 8. p. 111.*
- Moeroris sui medicinam non petere foris, sed in se ipsum spectans, ex sua semper virtute pendere, *Consol. p. 419.*
- Molestia iucredibilis et animi et corporis, *Att. XI, 5. p. 126.*

- Momorderunt me valde epistolae tuae, *Att. XIII*, 12. p. 134.
- Morbi, *Tusc. III*, 10. 13. p. 242. 244. animi grauiores ac difficiliore sunt, quam corporis, *Tusc. III*, 3. p. 229. *Consol.* p. 419. excusatio, *pro Muren.* 23. p. 51. insanabiles, *Tusc. V*, 1. p. 258. senescentis remissio, *ad Mar. VII*, 26. p. 83. vis tanta in intestinum imum prorupit, *Att. vit. XXI*, p. 144.
- Morbis recentibus medicinam adhibere vetant sapientes, *Consol.* p. 390.
- Morbo opprimi, *pro A. Cluent.* 7. p. 41.
- Morbo quodam nouo mori, *Att. II*, 20. p. 110.
- Morbos et aduenientes et crescentes ex quibusdam rebus intelligunt medici, *Diuin. II*, 69. p. 324.
- Morbum suo, non nominis, pondere penditote, *in Verr. III*, 1. p. 34.
- Morbus non magis contra naturam est, *Off. III*, 6. p. 350.
- Morbus simulatus, *in Verr. I*, 7. p. 29.
- Mores hominibus non ingenerantur, *Leg. agr. XVIII*, 35. p. 49.
- Mori aequo animo paratoque, *in Catil. III*, 2. p. 51. millies praestitit, quam haec pati, *Att. XIII*, 9. p. 136. repentino, *pro P. Quint.* 4. p. 24.
- Moriendi sensum celeritas abstulit, *Lael.* 3. p. 378.
- Mors consentanea vitae sanctissime honestissimeque actae, *Philipp. VIII*, 7. p. 71.
- Mors insecuta, *Diuin. II*, 29. p. 313.
- Mors naturae finis, *pro Mil.* 37. p. 64.
- Mors nunquam fugienda, saepe etiam optanda videtur, *Consol.* p. 413. 406. modo sine cruciatu atque tormentis, *Philipp. XII*, 8. 9. 12. p. 72. omnium rerum optima, *Consol.* p. 396. 406. optabilis, *Tusc. I*, 49. p. 215. quid sit, *in Catil. III*, 4. p. 51. *Fin. II*, 31. p. 169. *Tusc. I*, 9. 12. p. 200. 201. sempiternum malum, *Tusc. I*, 5. 42. p. 199. 212. silentio non praetercunda, *orat. part.* 23. p. 23. Somni simillima, *Tusc. I*, 38. p. 208. summorum atque immortalium bonorum liberalis ac benefica ministra, *Consol.* p. 403.
- Morte appropinquante animus multo est diuiniior, *Diuin. I*, 30. p. 303.
- Mortem consciscere — optare, *ad Mar. VII*, 3. p. 82. cum vita commutare sine dolore, *Sulp. ad Cic. III*, 5. p. 74. non modo contemnere, sed etiam optare, *ad Metel. V*, 21. p. 78. obire in legatione, *Philipp. VIII*, 1. p. 70. sibi dedita opera consciuisse multos,

- Consol.* p. 405. singulis noctibus induimns, *Consol.* p. p. 415.  
 Morti nihil esse tam simile quam somnum, *Cat.* 22. p. 375.  
 Mortis metus praesens, *pro A. Caecin.* 11. p. 39.  
 Mortis sensus plurimis non modo ingratus sed optatus et incundus accidit, *Consol.* p. 412.  
 Motus animi, *de orat.* III, 57. p. 12. *Tusc.* IIII, 15. p. 246.  
 Motus duo, *N. D.* II, p. 281.  
 Motus voluntarius, *Fat.* 11. p. 336.  
 Mulieres in India, *Tusc.* V, 27. p. 246.  
 Mundi partium coniunctio, *N. D.* II, 33. p. 285.  
 Mundus quorum causa effectus sit, *N. D.* II, 53. p. 289.  
 Mysteriis illis nihil melius, *Leg.* II, 14. p. 337.

## N.

- Narcs, *N. D.* II, 56. 57. p. 292. 294.  
 Nascendi incerta conditio, *in Catil.* III, 1. p. 50.  
 Nascentium non eadem vis, *Diuin.* II, 44. p. 314.  
 Nasus, *N. D.* II, 57. p. 293.  
 Natos esse nos ad agendum apparet, *Fin.* V, 21. p. 196.  
 Natura ab interitu abhorret, *Fin.* V, 11. p. 186. blanda conciliatrix et quasi sui lena, *N. D.* I, 27. p. 273. cuique sua est ad viuendum dux, *Fin.* V, 15. p. 190. s. habet in suo genere res complures dissimiles inter se, *de orat.* III, 7. p. 10. optima bene viuendi dux, *Lael.* 5. p. 379.  
 Natura omnis conseruatix sui, *Fin.* IIII, 7. p. 178. V, 9. p. 184. diligens sui, *Fin.* IIII, 13. p. 180. V, 10. p. 184.  
 Natura vnuscuiusque, *ad Q. Fr.* I, 1. 5. p. 138. *Fin.* V, 9. p. 183.  
 Naturae consideratio contemplatioque, *Lucull.* 41. p. 152.  
 Naturae conuenienter viuere, *Off.* III, 3. p. 350.  
 Naturae corporis et animi in personis spectantur, *orat.* part. 10. p. 23.  
 Naturae dona atque muncera, *de orat.* I, 25. p. 7.  
 Naturae explicatio, *Fin.* IIII, 5. p. 178. V, 15. p. 190.  
 Naturae iter atque progressio, *Fin.* IIII, 14. 21. p. 181.

- Naturae iudicia dies confirmat, *N. D. II*, 2. p. 277.  
 Naturae vitia corrigenda, *Diuin. II*, 46. p. 315.  
 Naturalia, *Tusc. III*, 26. p. 251.  
 Naturam suam versare et regere ad tempus, *pro M. Coel. 6*. p. 57.  
 Necessè quid sit et quibusnam anteponendum, *orat. part. 24*. p. 24.  
 Necessitas ferendae conditionis humanae, *Tusc. III*, 25. p. 238.  
 Nervi, *N. D. II*, 55. p. 291.  
 Nestor vt apud Homerum de virtutibus suis praedicet, *Cat. 10*. p. 360.  
 Nicomachus Tyrius *Hortens.* p. 386.  
 Niconis de polyphagia liber, *ad Mar. VII*, 20. p. 83.  
 Nimia, *Tusc. III*, 26. p. 251.  
 Nimium, *orat. 53*. p. 21.  
 Nosce te, quid sibi velit, *Tusc. I*, 22. p. 203.  
 Noscere nosmet ipsos, *Fin. V*, 16. p. 192. *Leg. I*, 22. p. 335.  
 Νοσήματα, *Tusc. III*, 10. p. 242.

## O.

- Oblectamenta multa rerum rusticarum, *Cat. 16*. p. 367.  
 Oblivionis ars, *Fin. II*, 32. p. 171.  
 Obscoena, *ad Varr. VIII*, 22. p. 87. *Off. I*, 35. p. 346.  
 Occallui iam prorsus, *Att. II*, 18. p. 109.  
 Oculi, *N. D. II*, 56. 57. p. 292. s. nimis arguti, *Leg. I*, 9. p. 333.  
 Oculorum dolor, *Fin. V*, 31. p. 197. s. dominatus, *de orat. III*, 59. p. 13.  
 Oculorum consuetudo, *Lucull. 18*. p. 149. *N. D. II*, 38. p. 285. grauis morbus, *in Verr. V*, 43. p. 37. officium et munus, *Diuin. I*, 32. p. 303.  
 Oculorum sensus acerrimus, *de orat. III*, 40. p. 11. *Fin. II*, 16. p. 164.  
 Oculorum tumor repentinus *Tusc. III*, 37. p. 257.  
 Oculorum vtilitas, *Timae. 14*. p. 389.  
 Oculorum valetudine impeditus, *ad Terent. XIII*, 4. p. 97.  
 Oculorum vera cernentium sensus, *Diuin. II*, 52. 53. p. 317.  
 Oculus conturbatus, *Tusc. III*, 7. p. 233.

- Odium mulierum, *Tusc. III*, 11. p. 243.  
 Odor Apronii taeterrimus oris et corporis, in *Verr. III*,  
 9. p. 32.  
 Offensiones, *Tusc. III*, 11. p. 243.  
 Officii maioris excusatio, *Off. I*, 10. p. 340.  
 Officium in vita manere, — e vita excedere, *Fin. III*,  
 18. p. 176.  
 Ominosa, *Diuin. II*, 40. p. 313.  
 Opinatum malum *Tusc. III*, 24. p. 237.  
 Opinio effocminata, *Tusc. II*, 22. p. 225.  
 Opinionum commenta, *N. D. II*, 2. p. 277.  
 Oratio disertis senis compta et mitis, *Cat. 9*. p. 359. va-  
 ledictoria, *Att. vit. XXI*, p. 144.  
 Orationis vsus, *N. D. II*, 59. p. 294. vis *Leg. I*, 9. p.  
 334.  
 ὄρεσις, *Off. I*, 28. p. 343.  
 Ossa, *N. D. II*, 55. p. 291.  
 Otio litterato quid dulcius, *Tusc. V*, 36. p. 268.

## P.

- Palatum, *N. D. II*, 54. p. 289.  
 Palpebrae, *N. D. II*, 57. p. 293.  
 Pantherae, *N. D. II*, 50. p. 287.  
 Para te ita, vt si inclamaro, adules, *Att. II*, 18. p. 110.  
 Paratus contra mortem aut dolorem, *Tusc. V*, 31. p.  
 265.  
 Parcere parum valetudini, *ad Brut. XI*, 27. p. 92.  
 Parentis boni et liberalis quid sit, *de orat. II*, 28. p. 9.  
 Partum sibi ipsa medicamentis abegit, *pro A. Cluent.*  
 11. p. 42.  
 Parum, *orat. 53*. p. 21.  
 πάθος, *Tusc. III*, 10. p. 234. *III*, 5. 6. p. 241.  
 Patientia dolorum, *Tusc. II*, 27. p. 227.  
 Peccata maxime aniuuertenda, *pro S. Rosc.* 40. p. 26.  
 Peccati sui luere poenas, *Att. III*, 9. p. 111.  
 Pedis offensio, *Diuin. II*, 40. p. 313.  
 Pendere animis exspectando et desiderando, *Tusc. I*, 40.  
 p. 210.  
 Peni dediti adolescentibus, *ad Varr. VIII*, 22. p. 88.  
 Peperit puerum ἐπταμηνιαῖον *Att. X*, 18. p. 125.  
 Perbacchari turpissime, *Philipp. II*, 41. p. 68.  
 Perfecta omnia esse voluit natura, communis parens, *Tusc.*  
*V*, 13. p. 259. s.

- Perfugium vnum, *ad Torqu. VI*, 12. p. 80. omne in te positum, *ad Cass. XII*, 6. p. 92.
- Perire funditus *Att. III*, 27. p. 115.
- Permotiones animis nostris datae, *Lucull. 44*. p. 152.
- Pernicii causa nihil, diuino consilio, factum, *pro S. Rosc. 45*. p. 27.
- Persarum victus, *Tusc. V*, 34. p. 267.
- Perturbatio animi nulla — corporis nulla, *Brut. 80*. p. 18.
- Perturbatio diuturna, *Brut. 3*. p. 14. valetudinis, *ad Varr. VIII*, 15. p. 86.
- Perturbationes animi *Topic. 17*. p. 22. *Fin. III*, 10. p. 174. *Tusc. III*, 6. 11. p. 232. 234. *III*, 21. p. 249. fugiendae, *Off. I*, 38. p. 346.
- Perturbationes mentis tabificae, *Tusc. III*, 16. p. 247.
- Pestem effugere, *in Catil. I*, 5. p. 50.
- Pestilentia iam abiit de loco, *ad Terent. XIII*, 1. p. 95.
- Petulantia, *Cat. 11*. p. 362.
- Pharmacopola circumforaneus, *pro A. Cluent. 14*. p. 44.
- Philocleta gemens, *Tusc. II*, 7. p. 217.
- Philogynia, *Tusc. III*, 11. p. 243.
- Philosophi quid sit, *Diuin. II*, 20. p. 311.
- Philosophia quid efficiat, quibusque medeatur, *Tusc. II*, 4. p. 216. *III*, 38. p. 257.
- Philosophum pictum, vt dicitur, qui nunquam viderunt, *Fin. V*, 27. p. 197.
- Phrenetici *Diuin. I*, 38. p. 304.
- Physicus, i. e. speculator venatorque naturae, *N. D. I*, 30. p. 274.
- Physiologia, naturae ratio, *Diuin. I*, 41. p. 304. *II*, 16. p. 304.
- Physiologiam primis, vt dicitur, labris gustasse, *N. D. I*, 8. p. 272.
- Pilum viri boni ne vllum habere dicatur, ideirco capite et superciliis semper est rasis, *pro Q. Rosc. 7*. p. 28.
- Plato de sensus appetitu et timore, *Consol. p. 403*. de sepulchris, *Leg. II*, 27. p. 338.
- Plato quasi quidam deus philosophorum, *N. D. II*, 12. p. 281. quibus oculis animi fabricam illam tanti operis intueri potuit, *I*, 8. p. 272. quomodo ad somnum proficisci iubeat, *Diuin. I*, 30. p. 302. et Pythagoras, *Diuin. II*, 58. p. 317. s.
- Platonis epistola ad Dionis propinquos, *Tusc. V*, 35. p. 267. senectus placida et lenis, *Cat. 5*. p. 355.
- Pluuias metuo — ranae enim ἑγροτέρουσαι, *Att. XV*, 16. p. 137.

- Podagrae dolor, *Hortens.* p. 386.  
 Podagrae doloribus ardere, *Fin. V*, 31. p. 198.  
 Podagram differre, in alium diem, *ad Mar. VII*, 4. p. 82.  
 Poëtarum et pictorum portenta, *Tusc. I*, 5. 6. p. 198.  
 Polliceri facultates suas ad alicuius salutem, *Att. III*,  
 20. p. 114.  
 Portae iecoris, *N. D. II*, 55. p. 291.  
 Portentosa, *Diuin. II*, 28. p. 312.  
 Posidonii sententia, *Tusc. II*, 25. p. 226. s.  
 Potestatis nostrae quae sint, *Fat. 5*. p. 327.  
 Praecepta medicorum, *Leg. II*, 5. p. 336.  
 Praecordiis iam conceptam mortem continere, *Tusc. I*,  
 40. p. 210.  
 Praedictio mali, adiuncta cautione probatur, *Diuin. II*,  
 25. p. 312.  
 Praegnans, *pro A. Cluent.* 12. p. 43.  
 Fraeponenda, *Fin. III*, 17. p. 176.  
 Fraeposita, *Fin. III*, 8. 9. p. 179.  
 Praesagitione diuina uti, *Diuin. I*, 54. p. 306.  
 Praesentire futura quomodo homo possit, *Diuin. I*, 56.  
 p. 308.  
 Praesidium ad beatam, vitam, *Tusc. II*, 1. p. 216.  
 Premi luctu et desiderio, *Att. III*, 22. p. 114.  
 Principio nulla est origo, *Somn. Scip.* 8. p. 385.  
 Procliuior ad morbos, *Tusc. III*, 37. p. 257.  
 Procliuitas, *Tusc. III*, 12. p. 244.  
 Proficisci ad salutem *Att. III*, 19. p. 113.  
 Propagatio vitae, *Tusc. I*, 35. p. 207.  
 Propensior ad vitia, *Tusc. III*, 37. p. 257.  
 Prosperitate vsus tanta valetudinis, *Att. vit. XXI*, p.  
 144.  
 Prouidendum quid sit maxime in dolore, *Tusc. II*, 23.  
 p. 225.  
 Prudentia, *Leg. I*, 23. p. 336. *Off. III*, 33. p. 351.  
 Prudentiam ad conualescendum adhibere, *Att. XII*, p.  
 129.  
 Ptolemaeus nunquam esuriens ederat, *Tusc. V*, 34. p.  
 266.  
 Pueri Spartiatae, *Tusc. II*, 14. p. 219. *V*, 27. p. 264.  
 Puerorum natura, *Fin. V*, 22. p. 196.  
 Pugione percussus, *Salp. ad Cic. III*, 12. p. 75.  
 Pugnandum tanquam contra morbum sic contra sene-  
 ctutem, *Cat.* 11. p. 362.  
 Pulchritudo, *Tusc. III*, 13. p. 245. *Off. I*, 28. p. 342.  
 Pulmones, *N. D. II*, 54. 55. p. 290.

- Pupula, *N. D. II*, 57. p. 293.  
 Purgationem alui qui primus inuenerit, *N. D. III*, 22.  
 p. 297.  
 Pythagorae sententia de animo, *Cat.* 21. p. 373. vires  
 ingenii, *Cat.* 10. p. 360.  
 Pythagoreorum mos, *Cat.* 11. p. 362. sententia de ani-  
 mo, *Cat.* 21. p. 373.

## Q.

- Quartana decessit, *Att. VII*, 2. p. 118. *VIII*, 6. p.  
 120.  
 Quatenus videndum est in omnibus rebus, *orat.* 22. p.  
 20. s.  
 Querelarum omnium istiusmodi in moribus est culpa,  
 non in aetate, *Cat.* 3. p. 354.  
 Quietem sempiternam animus pati non potest, *Fin. V*,  
 20. p. 194. s.

## R.

- Ratio, *Off. I*, 28. p. 343. a natura data, *Fin. II*, 14.  
 p. 163. ignaua, *Fat.* 12. 13. p. 330. quanta in be-  
 stiis ad perpetuam conservationem generis appareat,  
*N. D. II*, 51. p. 288. vitae reddenda, in *Verr. II*, 11.  
 p. 30. *III*, 1. p. 31.  
 Ratione nihil est in homine diuinius, *Fin. V*, 13. p.  
 189. *Leg. I*, 10. p. 334.  
 Rationis aspernatio, *Tusc. IIII*, 14. p. 245. s.  
 Recidere, *Att. XII*, 21. p. 132.  
 Recordationes fugio, quae quasi morsu quodam dolorem  
 efficiunt, *Att. XII*, 18. p. 131.  
 Recrudescunt, quae consanuisse videbantur, *ad Sulp.*  
*IIII*, 6. p. 75.  
 Redeundi ad sanitatem potestas, *ad Cass. XII*, 10. p. 93.  
 Reduuiam curare, *pro S. Rosc.* 44. p. 26.  
 Reficiendi Tironis spes est in Curio, *Att. VII*, 3. p.  
 119.  
 Refricare vulnera *Att. V*, 15. p. 117.  
 Refugit a medicina animus, *Consol.* p. 410.  
 Regusto crebro tuas literas, *Att. XIII*, 13. p. 134.  
 Reiectanea appellanda, *Fin. IIII*, 26. p. 182.  
 Relinquere quem grauius aegrum, *Att. VI*, 7. p. 118.

- Remedia ad consolandum, *Consol.* p. 410. ad tolerandum  
dolorem, *Tusc. V*, 26. p. 264.
- Remedia eligenda, *N. D. II*, 64. p. 296.
- Remedia morbis animorum adhibenda, *Tusc. IIII*, 27.  
p. 151. s. vulneribus adhibita salutaria, *ad Brut. II*,  
8. p. 144.
- Remediis his non egere, *ad Brut. I*, 9. p. 143.
- Remedium adhibere ad recentes quasi tumores animi  
vetat Chrysippus, *Tusc. IIII*, 29. p. 253.
- Remedium hoc vnum his tot incommodis esse, *in Q.*  
*Caecil. diu.* 3. 22. p. 28.
- Remedium iniuriae morte ac suspendio quaerere, *in*  
*Verr. III*, 56. p. 34.
- Remedium praeclarum sibi comparare temporibus hiber-  
nis, *in Verr. V*, 10. p. 36.
- Repugnare naturae quid sit, *Cat.* 2. p. 353.
- Res humanae fragiles caducaeque, *Lael.* 27. p. 380.
- Resecanda, *in Catil. II*, 5. p. 50.
- Reservare se sibi suisque, *Att. vit. XXII*, p. 145.
- Resistendum est senectuti, *Cat.* 11. p. 361.
- Respiratio, *N. D. II*, 55. p. 291.
- Restitui quae possint — quae non possint, *pro Flac.* 30.  
p. 52.
- Restitui sanarique non posse, *de orat. II*, 79. p. 10.
- Retinere incolumia ac salva, *in Q. Caecil. diu.* 22. p. 29.
- Reuocari a morte ad vitam, *post redit. in Senat.* 9.  
p. 53.
- Risus quid sit, *de orat. II*, 58. p. 9.

## S.

- Saeuitiam in proprium genus atque in se ipsum exer-  
cet suam homo, *Consol.* p. 405.
- Salus communis non relinquenda, *pro Sull.* 16. 22.  
p. 52.
- Salus spe exigua extremaque pendens, *pro Flac.* 2.  
p. 51.
- Salutem hominibus dando homines ad deos propius ac-  
cedunt, *pro Ligar.* 12. p. 66.
- Salutem meam benevolentiae tuae acceptam refero, *Att.*  
*XI*, 1. p. 126.
- Salutem tueri, *ad Torqu. VI*, 9. p. 80.
- Saluti alicui esse, *ad consul.* *XV*, 4. p. 99.
- Salutis certa laetitia, *in Catil. III*, 1. p. 50.

- Salutis expediendae ratio omnis honesta, *pro Mil.* 4.  
p. 63.
- Salutis nostrae ratio habenda, *ad Lentul.* I, 7. p. 73.  
*ad Planc.* X, 34. p. 91.
- Salutis spes commoda, *in Verr.* I, 18. p. 30.
- Salutis suae rationem non habet explicatam aut exploratam is ipse, a quo salus petitur, *ad Torq.* VI, 1.  
1. p. 78.
- Sanatio certa et propria, *Tusc.* III, 28. p. 252.
- Sanguinis communio multum valet, *pro S. Rosc.* 22.  
p. 25.
- Sanguis, *Diuin.* II, 27. p. 312. incorruptus, *Brut.* 9. p. 15. paternus maternusque, *pro S. Rosc.* 24. p. 26. perfusus per totum corpus *ad Herenn.* III, 45. p. 2.
- Sanguis os oculosque illi compleuit, *in Verr.* V, 54. p. 38.
- Sanitas, *Tusc.* III, 13. p. 245.
- Sani et sicci, *de opt. gen. orat.* 3. p. 24.
- Sapiens, *Tusc.* III, 17. p. 247. V, 14. 38. p. 261. 269.
- Sapientia, *Fin.* I, 13. p. 156. *Tusc.* III, 26. p. 251. insita, *Brut.* 58. p. 16.
- Sapientis quid sit, *Philip.* XI, 3. p. 71. *Fin.* I, 17. 19. p. 158. s. III, 10. p. 174. *Lucull.* 17. 47. p. 149. 153. *ad Sulpic.* III, 9. p. 75. *acad. qu.* I, 10. p. 146. *Tusc.* II, 7. p. 217. *Cat.* 2. p. 353.
- Sardanapali bustum, *Tusc.* V, 35. p. 268.
- Satietas cibi, *de inu. rhet.* I, 17. p. 3.
- Satietas studiorum omnium, vitae facit satietatem, *Cat.* 20. p. 373.
- Satietas vitae tempus maturum mortis affert, *Cat.* 20. p. 373.
- Scammoneae radix, *Diuin.* I, 10. p. 300. II, 20. p. 311.
- Scientiam incredibilem affert vetustas, *Diuin.* I, 49. p. 304.
- Scipio Africanus mane mortuus in lecto est inuentus, *Consol.* p. 404.
- Securitas, quid, *Tusc.* V, 14. p. 261.
- Seminis vis, *N. D.* II, 32. p. 285. *Diuin.* II, 45. p. 314.
- Semisomni, *ad Mar.* VII, 1. p. 82.
- Senatus cur ita appellatus, *Cat.* 6. p. 357.
- Senectus, *Cat.* 1. 2. p. 352. s. affert prudentiam, *Tusc.* I, 39. p. 209. amariorem me facit, *Att.* XIII, 21. p. 136. car misera videatur, *Cat.* 5. p. 356. est natura loquacior, *Cat.* 16. p. 367. et legibus et institutis

- vacat muneribus iis, quae non possunt sine viribus sustineri, *Cat.* 11. p. 361. non modo iners non est, verum etiam operosa, *Leg.* I, 3. p. 331. *Cat.* 8. p. 358. non mutans mores, *Cat.* 4. p. 355. peractio aetatis est tanquam fabulae, *Cat.* 23. p. 377. quando obrepat, quomodo non intelligatur, *Cat.* 11. p. 363. quibus non modo non orbari, sed etiam augeri solet, *Cat.* 6. p. 356. quomodo honesta sit, *Cat.* 11. p. 362.
- Senectute otiosa quando nihil iucundius, *Cat.* 14. p. 366.
- Senectutis adiutoria, *Fragm.* T. 3. p. 381. arma aptissima, *Cat.* 3. p. 354. excusatio, pro *P. Sext.* 52. p. 56. honoratae auctoritas, *Cat.* 17. 18. p. 368. incommoda ac miseriae, *Consol.* p. 394. summa laus, *Cat.* 13. p. 364. vituperatio, quod eam carere dicunt voluptatibus, *Cat.* 12. p. 363.
- Senes apud Lacedaemonios qui ita nominentur, *Cat.* 6. p. 357.
- Senes fieri speramus (volumus certe), *Cat.* 2. p. 353.
- Senibus quid cauendum sit, *Off.* I, 34. p. 345.
- Sensibus iudicari, *Fin.* II, 12. p. 162.
- Sensum in corpore nullum esse, medici docent, *Tusc.* I, 20. p. 202.
- Sensus interpretes ac nuncii rerum, *N. D.* II, 56. p. 292.
- Sensus si sani sunt et valentes, *Lucull.* 7. p. 146. similis amoris, *Lael.* 8. p. 380. veri nuncii, *N. D.* I, 25. p. 273. virtutum comites et ministri, *Fin.* II, 34. p. 172.
- Sepeliri in vrbe lex vetat, *Leg.* II, 23. p. 337.
- Sepiac, *N. D.* II, 50. p. 288.
- Seruire valetudini, ad *Tiron.* XVI, 22. p. 107. ad *Q. Fr.* I, 1. 16. p. 139.
- Seselis herbula, *N. D.* II, 50. p. 287.
- Sexus imbecillitas ac mollities, *Consol.* p. 412.
- Signa incerta, ad *Heren.* II, 25. p. 1.
- Signa medicorum, *Diuin.* II, 70. p. 324.
- Signa multa salutis non dubiae, ad *Torqu.* VI. 14. p. 80.
- Significatio calamitatum a diis profecta, *Diuin.* II, 25. p. 311.
- Significationes nonnullae valetudinis, *Diuin.* II, 69. p. 324.
- Signum a Deo datum, *Diuin.* I, 54. p. 307.
- Similitudo, *N. D.* I, 35. p. 275. amoris humani, *Lael.* 8. p. 380. humani generis, *Leg.* I, 11. p. 334.
- Simulat se aegrotare et testamentum facere velle, pro *A. Cluent.* 13. p. 43.

- Simulationi certe facere satis, *Att. XII*, 20. p. 131.  
 Sitis restincta, *Fin. II*, 3. p. 160.  
 Socratem ferunt obsonasse ambulando famem, *Tusc. V*,  
 34. p. 266.  
 Socrates de immortalitate animorum, *Cat.* 21. p. 373.  
*Tusc. I*, 43. p. 212.  
 Socrates morti proximus, *Consol.* p. 421.  
 Socrates mundanum se dixit, *Tusc. V*, 37. p. 268. s.  
 Socrates rogatus a Critone, quemadmodum sepeliri vel-  
 let, *Tusc. I*, 43. p. 212.  
 Socratica medicina, *Tusc. IIII*, 11. p. 242.  
 Socratis, iam morte mulctati, oratio apud iudices, *Tusc.*  
*I*, 41. p. 210.  
 Socratis vitia ex naturalibus causis, *Fat.* 5. p. 327. s.  
 Sol excidisse mihi e mundo videtur, *Att. VIII*, 10. p. 123.  
 Solatia salutifera ad *Sulp. IIII*, 3. p. 74.  
 Solis candor, *N. D. II*, 15. 19. 27. p. 282. ss.  
 Solitudine nihil amicius, *Att. XII*, 15. p. 131.  
 Sollicitare quem spe et pretio, ad venenum dandum, *pro*  
*A. Cluent.* 16. 19. p. 44.  
 Sollicitus de salute, ad *Cass. XII*, 12. p. 93.  
 Solonis versiculus, *Cat.* 14. p. 366.  
 Somniantis diuinitio, *Diuin. I*, 51. p. 306.  
 Somniare homines deorum impulsu tribus modis, *Di-*  
*vin. I*, 30. p. 303.  
 Somniorum coniectionis definitio Chrysippi, *Diuin. II*,  
 63. p. 322. defensio, *Diuin. II*, 58. p. 317. interpre-  
 tatio, *Diuin. II*, 63. p. 321. innumerabiles varietates,  
*Diuin. II*, 71. p. 325. significationes, *Diuin. II*, 60.  
 p. 319. obscuritates et aenigmata, *Diuin. II*, 64. p.  
 322. omnium vna ratio est, *Diuin. II*, 67. p. 323.  
 patrocinium a philosophis susceptum, *Diuin. II*, 72.  
 p. 325. quae ratio *Lucull.* 16. 17. 28. p. 148. 151.  
 Somnium Alexandri, *Diuin. II*, 66. p. 322. Eudemi,  
*Diuin. I*, 25. p. 301.  
 Somnum mihi attulerunt literae tuae, *Att. VIII*, 7. p.  
 123.  
 Somnum statim capere, *pro S. Rosc.* 23. p. 25.  
 Somnus, *Fin. V*, 19. p. 194. *Diuin. II*, 72. p. 325.  
 arctior, quam solebat, *Somn. Scip.* 1. 2. p. 383.  
 Sophocles, ex eo quaerenti: vterturne rebus venereis,  
 quid bene responderit, *Cat.* 14. p. 365.  
 Soter, in *Verr. II*, 63. p. 30.  
 Spartiatæ foeminae, *Tusc. II*, 15. p. 220.  
 Specilli inuentor, *N. D. III*, 22. p. 297.

- Spem habeo maximam in Curii diligentia, *Att. VII*,  
2. p. 119.  
Spem habere recuperandae salutis, *ad Terent. XIII*, 4.  
p. 96.  
Spes salutis pertenuis ostenditur, *ad Terent. XIII*, 3.  
p. 96.  
Spes tenuior, *Att. III*, 19. p. 113.  
Spiculum sibi auelli iubet, *ad Metell. V*, 12. p. 76.  
Sternutamenta, *Diuin. II*, 40. p. 313.  
Stilpo, Megareus philosophus, *Fat. 5*. p. 327.  
Stomachari omnia, *Att. XIII*, 21. p. 136.  
Stomachus, *N. D. II*, 54. p. 289.  
Studia erga salutem maiora, *ad consul. XV*, 7. p. 99.  
Studiis quibus deditum se esse medicus fateatur, *pro*  
*Arch.* 6. p. 52.  
Studium, *de inu. rhet. II*, 9. p. 5.  
Stulti, *Fin. I*, 17. p. 158.  
Stultitia senilis, *Cat.* 11. p. 362.  
Stultitiae simulatio, *Brut.* 14. p. 15.  
Stupor, *pro dom.* 36. p. 54. *Philip. II*, 45. p. 68.  
Sudor, *Diuin. II*, 27. p. 312.  
Supercilia, *N. D. II*, 57. p. 293.  
Supercilium, *pro P. Sext.* 8. p. 55.  
Supernacaneum esse, *N. D. I*, 35. p. 276.  
Surditas, *Tusc. V*, 40. p. 270.  
Sympathia in dolore *Att. III*, 15. p. 116.

## T.

- Tabescendum esse in hac calamitate, *Att. III*, 25. p. 115.  
Tactus, *N. D. II*, 56. p. 292.  
Talorum iactus venerius, *Diuin. II*, 59. p. 318.  
Tantalo saxum impendens, *Tusc. III*, 16. p. 247.  
Tectus vulcaniis armis, i. e. fortitudine, *Tusc. II*, 14.  
p. 219.  
Τεινεσμός, *Att. vit. XXI*, p. 144.  
Temperans qui esse non possit, *Off. I*, 2. p. 338.  
Temperantia, *de inu. rhet. II*, 54. p. 5. *Fin. I*, 14. p.  
156. *II*, 19. p. 164. *Tusc. II*, 13. p. 219. *V*, 14.  
p. 261. *Off. III*, 33. p. 351. *Hortens.* p. 386.  
Tempestiuitas sua cuique parti aetatis est data, *Cat.* 10.  
p. 361.  
Temporum quatuor mutationes, *N. D. II*, 19. p. 283.  
Tempus sumendum est, *Tusc. III*, 31. p. 239.

- Tentari quodam valetudinis genere, *Att. XI*, 23. p. 128.  
 Tenuitas, *Brut.* 16. p. 15.  
 Terminum vitae a Deo praefinitum esse, *Consol.* p. 417.  
 Terminus vitae si fatalis est, *Consol.* p. 417.  
 Terrae medicamentorum salutarium plenissimae, *N. D. II*, 53. p. 289.  
 Terrae quae siccitate lutum, imbre puluis fiant, *Fragm. libr. inc.* p. 390.  
 Terrarum situs plus, quam Lunae tractus ad nascendum valet, *Diuin. II*, 46. p. 315.  
 Teucris vox *Tusc. V*, 37. p. 268.  
 Thebani, *Fat.* 4. p. 326.  
 Theodori Cyrenaci dictum, *Tusc. I*, 43. p. 212.  
 Theodorus Lysimacho mortem minitanti, *Tusc. V*, 40. p. 271.  
 Theophrastus, quae dixerit, *Fin. V*, 26. p. 197. moriens accusasse naturam dicitur, *Tusc. III*, 28. p. 238.  
 Theremenes, *Consol.* p. 412. elato animo est, *Tusc. I*, 40. p. 210.  
 Thraces apud Herodotum sapienter fecisse colligitur, *Consol.* p. 396.  
 Timens an possit esse beatus, *Tusc. V*, 6. p. 258.  
 Timonis odium, *Tusc. III*, 11. p. 243.  
 Timothei coena apud Platonem, *Tusc. V*, 35. p. 267.  
 Tonsillae, *N. D. II*, 54. p. 289.  
 Torminosi, *Tusc. III*, 12. p. 244.  
 Torpedines, *N. D. II*, 50. p. 288.  
 Tractare vulnera, *Att. XII*, 22. p. 132.  
 Turbulentum quiddam in hominibus singulis est, *Fragm. T. 3.* p. 382.  
 Turpes, *Tusc. III*, 32. p. 254.  
 Tute tibi imperes, *Tusc. II*, 20. 21. 22. p. 223. 225.

## V.

- Vacandum quibus sit, *Off. I*, 20. p. 341.  
 Valere melius — minus, *Att. III*, 14. p. 116.  
 Valetudine melior fieri, *ad Varr. VIII*, 18. p. 87.  
 Valetudine perdita esse *Philip. VIII*, 10. p. 69.  
 Valetudini demus operam, *de orat. I*, 62. p. 8.  
 Valetudinis curatio, *Off. II*, 3. 24. p. 347. 349.  
 Valetudinis excusatio, *pro P. Sext.* 52. p. 56. *in L. Pis.* 6. p. 59. incertus euentus, *pro M. Marcel.* 7. p. 65. ratio habenda, *Cat.* 11. p. 362.

- Valetudo bona, *de inu. rhet. I*, 50. p. 4. anteponeuda voluptati, *Off. II*, 25. p. 350. quibus iucundior, *ad Quir. post. red. 1*. p. 52. quibus opportuna, *Lael. 6*. p. 379.
- Valetudo confirmata a vetere morbo, *Att. X*, 17. p. 125.
- Valetudo quid postulet, *ad Tiron. XVI*, 18. p. 107.
- Valetudo tua magnae nobis est sollicitudini, *ad Tiron. XVI*, 8. p. 102.
- Valetudo incommoda, *Brut. 34*. p. 15.
- Valetudo integra, *orat. 23*. p. 21.
- Varices secare, *Tusc. II*, 15. p. 219.
- Vena caua, *N. D. II*, 55. p. 291.
- Venas incidere, *de har. resp. 16*. p. 54. in *L. Pis. 34*, p. 62.
- Veneficia, *Brut. 60*. p. 17. pro *A. Cluent. 60 — 63*. p. 45 — 47.
- Veneficus, *Philip. XIII*, 11. p. 72.
- Veneri crimen, *pro Deiot. 6*. p. 66. vestigia, *pro A. Cluent. 10*. p. 41.
- Venenis erepta memoria, *orat. 37*. p. 21.
- Veneno necati signa, *ad Heren. II*, 5. p. 1. memoria, *ibid. III*, 20. p. 2.
- Veneno necatus ab reo, *ibid. p. 2*.
- Venenum Fabricanum, *pro A. Cluent. 71*. p. 48.
- Veneri et Libero reliquum tempus deberi, *in Verr. V*, 11. p. 37.
- Vestitus ratio est habenda, *Off. I*, 36. p. 346.
- Vetula et multarum nuptiarum, *Att. XIII*, 29. p. 135.
- Vetustas nimia, *Brut. 83*. p. 18.
- Vexare noli valetudinem istam infirmam, *ad Terent. XIII*, 2. p. 96.
- Victus consideratio, *de inu. rhet. I*, 25. p. 3. *ibid. II*, 9. p. 4.
- Victus hominum excoli potest, *orat. 9*. p. 19.
- Victus iucunditas, *Tusc. V*. 34. p. 267.
- Victus tenuissimus et exquisitissimus, *Fin. II*, 28. p. 165. s.
- Vigilantibus cur non potius quam dormientibus visa daret Deus, *Diuin. II*, 61. p. 320.
- Vigilias suscipere, *Fin. V*, 19. p. 194.
- Vinculum ad cohaerendum desideratur, *Timaeus 4*. p. 387.
- Vinolenti, *Lucull. 17*. p. 148.
- Vinum aegrotis melius est non adhibere omnino, *N. D. III*, 27. p. 297.

- Virgo quae non sit, *de inu. rhet. I*, 40. p. 4.  
 Viribus infirmis esse, *in Verr. III*, 43. p. 35.  
 Virium imbecillitas, *Brut.* 55. p. 16.  
 Vis adhibita, *pro A. Caecin.* 15. p. 39. nocturna illata,  
*pro Mil.* 7. p. 63. quae sit in sensibus, *Lucull.* 10. 12.  
 p. 147.  
 Visa in somniis *Lucull.* 15. p. 147. a mente ac ratione  
 vacua, *Diuin. I*, 29. p. 301. s.  
 Visa quietis tranquilla atque veracia, *Diuin. I*, 29. p. 302.  
 Vita animantium tribus rebus tenetur, *N. D. II*, 53. p. 289.  
 brevis, *Philip. XIII*, 12. p. 73. diuina, *Hortens.* p.  
 387. hominum minus certa ac minus diuturna, *pro*  
*L. Manil.* 20. p. 39. mortuorum in memoria viuorum  
 est posita, *Philip. VIII*, 5. p. 70. nostrum cuiusque  
 quam longa futura sit, incertum est, *in Verr. I*, 58.  
 p. 30. optabilior meliorque, *Fin. III*, 23. 25. p.  
 181.  
 Vitae cupidus, *Philip. II*, 15. p. 67. curriculum exi-  
 guum, immensum gloriae, *pro C. Rabir.* 10. p. 49.  
 degendae ratio sapiente dignissima, *Fin. V*, 4. p. 182.  
 Vitae prorsus taedet, *Att. II*, 24. p. 110.  
 Vitia, *Tusc. III*, 13. p. 244. morum non senectutis,  
*Cat.* 18. p. 369.  
 Vitiis ab iis se abstineant maxime, in quibus alterum  
 reprehenderit, *in Verr. III*, 2. p. 31. modum ap-  
 ponere, *Tusc. III*, 18. p. 249.  
 Vitio vocis claudicare, *Brut.* 63. p. 17.  
 Vitiositas, *Tusc. III*, 15. p. 246.  
 Vitium quod aliquanto latius patet, *Att. I*, 17. p. 109.  
 ventris et gutturis, *pro M. Coel.* 19. p. 57.  
 Viuendi ratio optime comparata, *Tusc. V*, 12. p. 259.  
 Viuere est spiritum ducere, *de inu. rhet. I*, 46. p. 4.  
 Viuere ex natura, *Leg. I*, 21. p. 335.  
 Viuere inculte atque horride, *pro P. Qu.* 18. p. 25.  
 Vlysses perquam flebiliter lamentatur in vulnere, *Tusc.*  
*II*, 21. p. 224.  
 Vnguenta meliora, *Frgm. libr. inc.* p. 390.  
 Vnum esse omnia haec quae supra et subter, *de orat.*  
*III*, 5. p. 10.  
 Vocare ab his me remediis noli in istam turbam ne re-  
 cidam, *Att. XII*, 21. p. 132.  
 Voce inclinata vluantique canere, *orat.* 8. p. 19.  
 Vocis bonitas optanda, *orat.* 18. p. 20.  
 Vocis curandae ratio, *ad Heren. III*, 11. p. 1.

- Vocis formandae ars (*φωνασκία*), *not. ad Heren. III, 11, p. 1.*
- Vocis formandae magistri (*φωνάσχοι*), *not. ad Heren. III, 11. p. 1.*
- Vocis mutationes, *orat. 17. 18. p. 20.*
- Voluptas, *Fin. I, 9. ss. p. 153. ss. II, 3. p. 159. Cat. 12. 13. 14. p. 363. ss. passeribus nota omnibus, Fin. II, 23. p. 165.*
- Voluptates corporis, illecebrae atque escae malorum, *Hortens. p. 387. homine docto indignae, Off. II, 1. p. 347.*
- Vomere in conspectu populi, *Philip. II, 25. p. 67.*
- Vomica gladio aperta, *N. D. III, 28. p. 297.*
- Vorago immensa aliqua aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium, *in Verr. III, 9. p. 32.*
- Vox, *N. D. II, 59. p. 294.*
- Vulnera belli curanda, *pro M. Marcel. 8. p. 65. occulta, Leg. agr. XVII, 9. p. 48.*
- Vulnere tam graui accepto, plane dolore percussus, atque afflictus, *Consol. p. 425.*
- Vulneris si quid intra cutem subest, *ad Planc. X. 18. p. 90.*
- Vulnus in latere acu punctum, *pro Mil. 24. p. 63. nec dissimulandum, nec pertimescendum, Att. I, 16. p. 109. qui primus obligaverit, N. D. III, 22. p. 297.*
- Vultus plurimum potest, *orat. 18. p. 20. Leg. I, 9. p. 333. semper idem, Tusc. III, 15. p. 236.*
- Vrgeri miuus, seque ipsum propemodum colligere, *Att. XII, 35. p. 133.*
- Vri secarique patimur, *Philip. VIII, 5. p. 69.*
- Vsum non habere, *N. D. I, 35. p. 276.*
- Vsuram vitae dedit natura tanquam pecuniae, nulla praestituta die, *Tusc. I, 39. p. 209. Consol. p. 399.*
- Vxoris molestiae, *Consol. p. 395.*

## X.

- Xanthippe, *Tusc. III, 15. p. 236.*
- Xenophontis symposium, *Cat. 14. p. 365.*

## Z.

- Zenonis opinio, *Fin. V, 28. 29. 31. p. 197.*
- Zopyrus nutram cuiusque ex forma perspexit, *Tusc. III, 37. p. 257. physiognomon, Fat. 5. p. 327.*

## ERRATA TYPOGR.

- Pag. 49. l. 22. *vita*, leg. *vitae*.  
— 102. l. 1. *XVI*, 3. leg. *XVI*, 5.  
— 102. l. 12. *XVI*, leg. *XVI*, 6.  
— 217. l. 2. *constitum*, leg. *constitutum*.  
— 282. l. 1. *cardor*, leg. *candor*.
-





R  
127  
C4  
1812

